Vol 74


NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
16 D
29

ADM. REV. P. FR.

PETRI DE HERRERA

HISPALENSIS

Ordinis Prædicatorum,

SACRÆ THEOLOGIÆ MAGISTRI
Sapientissimi, & in Vniuersitate Salmanticensi Primarij Theologiæ Professoris.

IN TRACTATVM DE Trinitate D. Thomæ Aquinatis
Commentarij, & Disputationes.



PAPIÆ. MDCXXVII.

APVD IO. BAPTISTAM RVBEVM.



IVO Thomæ Aquinati, Angelico Doctori, Diuinæ volūtatis Interpreti, Theologorum Primipilo, Eccleſiæ columi, fidei firmiſſimo fundamento; Cuius doctrina vti ſol omnem hæreſum, & errorum caliginem prorſus diſſipat: Puros veritatis radios manifeſtat: In omnibus Academijs ſemper floruit: Quam Romani Pontifices, vt diuinitus infuſam, vt ſolidam, vt veridicam, vt Catholicam, & vt Chriſtianæ doctrinæ regulam, miris laudibus extulerunt: Quam Concilium Tridentinum, cum in hæreticis refellendis, tum in Sacris dogmatibus Orthodoxæ fidei ſtabiliēdis vbiq; ſequitur, & tenet: Quam tandem Ieſus Chriſtus Crucifixus mirabiliter ore ſuo approbauit.

Optimè noſti, Sapientiſſime Præceptor, illud Spiritus Sācti canticorum quinto: *Labia*

eius ſicut Lilia, Labia D. N. Ieſu Chriſti eſſe Sanctos Doctores, Lilia dictos ob candorem, fragrãtiamq; vitæ, atq; doctrinæ, etiam ex paraphraſi Caldaica dicente, *labia ſapientum*, qui laborant in lege, fluunt ſententijs ex omni parte, congruè explicari, Verum tu ſpeciali quadam præ cęteris Doctoribus ratione liliorum proprietatem videris imitari, quæ dilatatis folijs tres aureos floſculos ab eodem ſtipite erumpentes, quaſi in aperto ſinu per bellè demonſtrant, Quod in Sacra Theologia mira profunditate, ac verborum proprietate, dum Patris potẽtiam, Filij ſapientiam, & Spiritus Sancti bonitatem, veluti tres auratos flores, candidiſſimum lilium oſtendis, & doces; ſed in tractatu de Trinitate dilucidius hoc itidem præſtas, perſonarum diuinarum relationem veluti trium granorum auratorum diſtinctionem, & eiuſdem eſſentiæ vnitatem demonſtrando. Expoſuit inter alios hunc tuum tractatũ P. Magiſter F. Petrus de Herrera Ord. Pręd. Florẽtiſſimę Vniuerſitatis Salmanticen. Cathedraticus Theologiæ Primarius, tuus deuotiſſimus diſcipulus, tuæq; doctrinæ acerrimus defenſor, & Ampliator, cuius expoſitio-

nis

nis exemplar cum ad meas perueniſſet manus, qui ſingularis animi humili propenſione, ac multorum largitate tuorum beneficiorũ me tibi deuinctum obteſtor, rem gratam me tibi facturam exiſtimaui, ſi ad tuam doctrinam fideliter intelligendam, atq; docendam, & ad tuorum diſcipulorum profectum illud in lucẽ prodire curarem, & tuo celeberrimo nomini cõſecrarem. Accipe igitur, ſapientiſſime Doctor, hoc qualecumq; munuſculũ in mei erga te grati animi ſignum, & qui ſemper ab erroribus veritatem, ab ignorantia ſapientiam vindicaſti, huius tui fidelis ſerui, & diſcipuli operam à murmurãtium obtrectationibus defende, & me apud Deum aſſiduis interceſſionibus efficaciter commenda, vt in æternum perpetua tecum felicitate frui merear.

Io. Baptiſta Rubeus Typographus.

Candido Lectori.

SCIO, optime Lector, primum argumentum compositæ mentis esse, posse consistere, & secum morari, & illud videre debes, ne lectio multorum auctorum, & omnis generis voluminum habeat aliquid vagum, & instabile. Certis ingenijs immorari, & innutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbique est. In peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat, necesse est ijs, qui nullius se ingenio familiariter applicant, sed omnia cursim, et properantes transmittunt. Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus remititur. Nihil æquè sanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Non coalescit planta, quæ sæpè transfertur; nihil tam vtile, quod in transitu prosit; distrahit animum librorum multitudo. Itaq;

cum

cum legere non possis, quantum habueris, sat est habere quem legas; sed modo, inquis, hunc librum euoluere volo, modo illum; fastidientis stomachi est, multa degustare, quæ vbi varia sunt, et diuersa, inquinant, non alunt. Probatos ergo semper lege, Angelicũ scilicet Doctorẽ, eiusq; fideles discipulos; et si aliquãdo ad alios diuertere libuerit, ad priores redi; & cum multa percurreris, vnum excerpe, quod illo die cõcoquas. Hoc doctiores fecerunt, solebãt,.n. et in aliena castra transire; non tamquam transfugæ, sed tamquam exploratores. Hoc tu fac, et me ama.

INDEX,

Locorum Sacræ Scripturæ.

INDEX.

Quæstionum, & dubiorum, quæ in his commentarijs disputantur, & dilucidantur.

Ar. 2.

nomine

Ar. 3.




Vidit D. Matthias Guarguantus Congregationis Sancti Pauli.

Die 10. Decembris 1626.

Imprimatur.

Inquisitor Papiæ.

Vidit Saccus &c. pro Excellentissimo Senatu &c.



Admodum Reu. P. Fratris
PETRI DE HERRERA
HISPALENSIS


Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magiſtri Sapientiſſimi, & in Vniuerſitate Salmanticenſi Primarij Theologiæ Profeſſoris.

In Tractatum de Trinitate D. Thomæ Aquin.

Commentarij, & Diſputationes.

DVBITATVR

An pertineat ad Theologum diſputare ſcientificè de TRINITATE.



VIDETVR quod non. Primo quia Hylar. lib. 4. de Trin. in princ. ait, illicitũ, & vitioſum eſſe diſputare de illa, & Moſes Barceſa Epiſc. Siriæ lib. 2. de Paradiſo, in medio, & in fine ait, prohibitam eſſe diſputationem de Trinitate, & id ſignificare Cherubim, & flammeũ gladium quo cuſtodiebatur via ligni vitæ, Ideſt, diſputatio de Trinitate. Confirmatur argumento Hiero. nam vt dicitur 2. ad Corint. 12. Paulus audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui: inter hæc autem verba, potiſſima ſunt, quæ pertinent ad materiam de Trinitate, ergo

ſi de alijs non licet in hac vita loqui, multo minus licebit ſcientificè loqui de Trinitate.

Secundo Arguitur. Quia Cyrilus explicãs illud Iſaiæ 8. Scribe ſtylo hominis, ait, quod de incarnatione diſputantes, vtimur ſtylo hominis de Trinitate vero, ſolum poſſumus diſputare, & ſcribere illo calamo, de quo dicitur Pſal. 44. Lingua mea calamus ſcribæ. Ex hoc ſic arguitur; Ad diſputandũ de Trin. non ſufficit ſtylus, vel ſcientia, quæ ſufficit ad agendum de incarnatione, Sed ſcientia Theologiæ eſt, quæ ſufficit ad agendum de incarnatione, Ergo illa non ſufficit ad agendum de Trin. Confirmatur nam idem Cirilus lib. 9. in Ioann. c. 47. ait Trinitatem ſolum in beatitudine poſſe cognoſci, quia Ioann. 14. dicitur In illa die cognoſcetis: quia ego in Patre &c. quaſi, ante illum diẽ beatitudinis hoc miſterium nequeat cognoſci, Ergo Theologus hoc explicare non poterit.

Tertio Arguitur. Nã Chriſoſt. Hom. 2. & 8. ad Rom. ait, quod ſi flagicioſum eſt indagare quæ Deus præcipit, multo maius ſuppliciũ manet præſcrutanti generationem Filij: quia hoc eſt Deo iniurioſum, & Hom. 19. Imperfecti ait, Chriſtum omnes hæreticos vocare tribulos, ſpecialiter eos, qui Trinitatis ſunt profeſſores, & triangularem ſapientiã in ſua perfidia baiulant, ita habet alia littera Chriſoſt. quam refert Sixtus Senenſis lib. 6. annotat. 39. Ergo impium, & perfidum eſt diſputare de Trinitate.

Quarto Arguitur, & probatur, quod de Trinitate ſciẽtia haberi non poſſit. Nã primæ ad Cor. 8. dicitur: *Si* quis putat ſe aliquid ſcire, ſcilicet de Trinitate, nundum ſcit &c. ita explicat. Aug. lib. 9. de Trin. in principio, & Ser. 189. de tẽpore, repræhẽdit eos, qui quærũt ſcientiã de Trinitate, quod etiã habet lib. 2. de viſitãdis infirmis, Ergo. Cõfirmatur Diſputatio ſcientifica ſolum ex eſſentia, tãquã ex principio infert paſſiones, Sed diſputatio Theologica de Trinitate non ſic procedit, Ergo Probatur minor. Nã talis diſputatio declarat proprietates perſonales, earum oppoſitionẽ, & naturam, illæ autem non ſunt paſſiones eſſentiæ, cum non conueniant omnibus perſonis, quæ habent eſſentiam diuinam. Ergo.

Quinto Arguitur; Quia aliàs ſcientia deſcenderet ad ſingularia, & darentur plura præcognita, quam tria. Conſeq. eſt cõtra Ariſt. 1. Poſteriorum Ergo. Conſequ. patet: quia iſte tractatus conſiderat ſingulas Perſonas Trinitatis ſecundum ſibi propria, illæ autem ſunt ſingulares, ergo. Similiter proprietates, quæ demõſtrãtur ineſſe nõ ſunt propriũ ſubiectum, nec paſſio diuinæ eſſentiæ, ſed cõditiones indiuiduales; vt

autem

autē ostēdatur illas conuenire personis, oportet prius præcognoscere quid sint, sicut de passione præcognoscitur quid sit antequam demonstretur illam inesse subiecto, ergo.

Sed contra est quod D. Tho.

Scientificè explicat hoc Mysterium 1. p. a quæst. 27. vsq; ad 43.

IN hoc dubio, quidam Tutianus expers, & acerrimus hostis Theologię in annotationibus super Chrisost. reprobatis a Concilio Triden. damnat Theologos, quod nitantur docere, in quo Personæ distinguantur, & cōueniant, & cæteras virtutes, quas de hac materia docent in Scholis.

Sed pro Explicatione.

Conclusio I.

DIco primo, Proprium munus Theologi est explicare fidelibus hoc mysteriū Probatur. Nam ideo plures SS. Patres tractatus de illa ediderunt, aliquos eorum refert, hic Valentia in prologo huius materiæ. Confirmatur nam Aug. lib. 9. de Trin. c. 1. ait, nullum repræhendere iuste eos, qui de hoc mysterio inquirunt Ergo. Secundo, nam teste Aug. lib. 19. de Trin., munus Theologiæ est fidem nutrire, & defendere explicando eius principia, scilicet, articulos fidei soluendo argumenta, quæ fiunt cōtra eos, inter eos autem continētur articuli de Trini. Ergo Theologi est explicare, & defendere illos, ratio est Hilarij lib. 2. de Trinit. & Basilij lib. 1. cōtra Eunomiū in prin. 3. Theologi est asserere de incarnatione vt ostendimus 3. p. Ergo, & de Trin. sine qua non potest cognosci Mysterium Incarnationis. Confirmatur. Nam 2. Q. 2. art. 8. ostenditur omnes fideles obligari ad fidem huius mysterij explicitam. Ergo ad Theologos pertinet explicare illud, nisi .n. sic explicetur non potest explicite credi.

Conclusio II.

DIco secundo. Theologus potest procedere scientificè in tractatu de Trinitate. Primo, quia Theologus habet multos assensus certos, & veros circa hoc mysteriū, qui non sunt immediate reue-

lati, neq; habiti per traditionem, ergo qui ſunt cogniti per ſcientiam. Antecedens patet: Nā certo ſcimus Spiritum ſanctū productum eſſe à Patre, & Filio, vt ab vno principio, & pſonas diuinas relatione opponi inter ſe: iſta autē nō ſūt immeditate reuelata in ſe, ſed in ſuis principijs Ergo. Conſequētia verò probatur: quia aſsēſſus certus de his nō poteſt haberi, niſi vel per fidem, ſi ſit immediatè reuelatus, aut habitus per traditionem, vel per ſcientiam cauſatam ex principijs fidei, & ita, ſi tales aſſenſſus non eſſent reuelati, aut diffiniti in Concilijs, haberentur per ſcientiā Theologiæ, & eſſent reuelati mediate in ſuis principijs. Non nego eos fuiſſe diffinitos in aliquibus Conclijs: nam v. g. in Concilio Florentino, & Lugdunenſi diffinitum eſt, Patrem, & Filiū eſſe vnū principiū Spiritus Sācti, ſed loquor de eis ante tales diffinitiones, nam ante illas, Patribus Latinis erat certa prædicta propoſitio talis, & tamen tunc non erat immediate reuelata.

Secūdo probatur: Nā Theologus ante prædicta Cōcilia poterat inferre illā veritatē ex principijs fidei per bonā cōſequētiā, Ergo procedebat modo ſcientifico: hoc .n. ſufficit ad ſcientiam Theologiæ vt diſputatur ſupra Queſt. 1. Antecedēs patet: Nam Ioan. 15. dicitur Ego, & Pater vnum ſumus, ſcilicet in his, quibus non opponuntur, & non opponūtur in productione Spiritus Sācti, inde per bonam conſequentiam poterat inferre illos eſſe vnum principium Spiritus Sancti.

Tertio Chriſtus per ſcientiam infuſam, & Beati per viſionem beatam habent ſcientiam de multis veritatibus huius myſterij, Ergo eam poteſt habere Theolog⁹. Antecedēs ſupponitur, & probo Cōſequētiā: quia Theologus ſcit illas ex eiſdē principijs, & propter eaſdem rationes formales, licet ſub diſtincto lumine, ergo, ſi Chriſtū, & Beatos ſcire illas, proueniebat ex hoc, quod inferunt eas, ex talibus principijs, idem ſufficiet, vt Theologus habeat ſcientiam de illis.

Concluſio III.

Dico tertio. Tractatus de Trinitate non excedit dignitate obiecti cæteros tractatus Theologiæ. Probatur. Nā Trinitas, quæ eſt obiectum huius tractatus, non eſt dignior Deo ſecundum ſe: quia relationes Trinitatis, vel nō dicunt perfectionē vel dicunt eandē; quam Deus ſecundum ſe. Imo vero: quia omnis perfectio Dei, vt eſt Trinus præhabetur eminenter in Deo, vt eius eſſentia præintelligitur Trinitati, ideo Trinitas, vt ſic, non eſt dignior eſſentia Dei, & per conſequens tractatus de Trinitate, ex parte obiecti, non excedit tracta-

tum

tum de Deo secundum se, & secundum sua essentialia absoluta.

Ad argumēta, ad primū ergo, & eius Cōfirmationē respōdeo. Sāctos Patres solū intēdere, quod nō licet, idest, quod nō possimus perfectè, & pro rei dignitate disputare de Trin. quia excedit captum nostrum, & cognoscendi modum, ex sensibilibus, vel quod est peccatum disputare de illa, iuxta regulas humanarum rationum, non vero si disputatio fundetur in his, quæ per diuinam reuelationem, accepimus de illa.

Ad secundum respondeo, Cyrilum solum intendere, quod in incarnatione reperitur humanitas, cuius proprietates, & actiones possunt attingi stylo hominis, id est, cognitione naturali: in Trinitate vero nihil reperitur, quod possit cognosci, nisi per reuelationem diuinam, quæ significatur per calamum linguæ paternæ. Ad cōfirmationem respondeo, Cyrilum ibi loqui, de perfecta cognitione Trinitatis, quæ non potest haberi, nisi in patria.

Ad tertium respondeo, Chrisost. solum loqui de his, qui præsumptuose mysteria Trinitatis mensurant, iuxta regulas rationis humanæ, nō de Theologis, qui disputant illa, iuxta regulas diuinæ reuelationis, vel fortè talia verba addita sunt Chrisostomo, ab Arrianis, sicut alia multa.

Ad quartum respondeo. Paulum, & Aug. loqui de perfecta scientia Trinitatis, quæ in hac vita acquiri nequit. In alijs vero locis loquitur Aug. de his, qui scientiam Trinitatis inquirunt non ex diuina reuelatione, sed ex principijs rationis humanæ. Ad Confirmationē posset negari maior: Nam eclypses Solis, quæ demonstrantur in Astrologia, non sunt passiones Solis, propriè loquendo: quia non conueniunt semper illi, vt ergo habeatur scientia de aliqua veritate, maxime in Theologia, satis est, si talis veritas habeat causam necessariam, vel infalibilē sui, vel saltim rationem formalem, vt docui in principio tertiæ partis, & ita, quia veritates pertinentes ad proprietates personales habent rationem formalem infalibilem talis connexionis, ideo de illis potest haberi scientia Theologiæ.

Ad quintum concedo primam partem sequelę. Ad eius impugnationem respondeo, de singularibus corruptibilibus, vt sic, non esse scientiam: bene autem de incorruptibilibus, & æternis, quales sunt personæ diuinæ, quarū veritates singulares sunt æternæ, & infallibiles, quod sufficit ad scientiam Theologiæ. Ad secundam, partem sequelæ nego illam, quia nomine passionis præcognitæ intelliguntur ea omnia, quæ infallibiliter connectuntur cum subiecto, & ita connectuntur Personis diuinis earum proprietates indiuiduales. Dico secundo

cundo; quod tales proprietates personales conuenire Personis, pertinet ad articulos fidei, qui sunt principia nostræ Theologiæ, respectu vero visionis beatæ, quæ ex ipsa essentia Dei, infert illas conuenire Deo, & cōstituere Personas, habent (quantū ad hoc) modum passionis, & ibi potest esse scientia de conuenientia earum.

QVÆSTIO XXVII.

De Processione diuinarum personarum.

Dubitatur, an recto ordine D. Thom. procedat in hoc Tractatu.



IDETVR quod non. Nam essentialia in Deo sunt priora personalibus, Sed Deum esse principium creaturarum, vel vltimum finem earum, est essentiale, Ergo debuit D. Thom. prius, quam ageret de processione Personarum, disputare de his, & nō differre tractatus istos, ad Q. 44. & ad 1. Secūdæ. Confirmatur nam D. Thom. in Primo dist. 29. q. 1. a. 2. ad 5. ait, in Deo esse principiū creaturarum esse quid prius, quam esse principium Personæ Ergo prius debuit agere de Deo, vt de principio creaturæ.

Secundo Arguitur, Personas esse indiuinis, intelligitur prius, quam illas procedere, Ergo prius debuit D. Thom. agere de Personis explicādo quid sint, & quod sint in Trinitate, quā ageret, de earum processione.

Dices esse de fide, quod sint Personæ diuinæ, ideoque id supponeret D. Thom. Sed contra id est, quod etiam est de fide in diuinis esse plures Personas, & Deum prædestinare homines, & tamen id probat D. Thom. Quia Theologię vt potè, quæ est suprema Sapientia, est probare sua principia, Ergo idem deberet esse hic.

Sed contra est, D. Tho. qui in introductione huius Quęstionis docet agendum esse de Trinitate post considerationem eorum, quæ pertinent ad vnitatem Dei. Pro cuius declaratione sciendū est, prædicata

commu-

communia, & absoluta, vel quæ dicunt respectum ad creaturas, fundatum super aliquam proprietatem, vel actionem immanentem Dei, esse priora proprijs, & personalibus: quia includuntur in conceptu personalium; v.g. Infinitas, omnipotentia, iustitia, prouidentia, & prædestinatio sunt priora, secundum intellectum, relationibus, personalibus, Paternitate, v.g. & filiatione, & ideo D. Tho. egit de eis prius, quā de Trinitate. Ea vero nomina, quæ dicūtur de Deo per respectum ad creaturas, fundatum in operatione transeunte sunt intellectu posteriora personalibus: quia Persona diuina procedit, vt principium talis actionis, de quo vide D. Tho. sup. Qu. 33. art. 3. ad 1. & Quæst. 45. art. 6. & ideo Persona supponitur ad talem actionē, qua ratione D. Th. prius egit de Trinitate, quā de creatione, & gubernatione, & de Deo quatenus exercet rationem vltimi finis, & aliquid fit propter illum, & per hæc patet ad primum.

Ad Confirmationē respondeo, D. Tho. ibi loqui de ratione principij non actualis, sed quasi radicalis, id est de virtute, ratione cuius conuenit Deo posse producere creaturas.

Ad secundū respondeo, D. Thom. Seruasse ordinem cognitionis distinctæ: quia. n. distincta cognitio plurium Personarum prouenit ex distincta cognitione processionū per quas producūtur, ideo D. Th. prius egit de processionibus, quam de Personis: vel quia personæ diuinæ nostro modo concipiendi, constituuntur per relationes, quæ, vt relationes sunt, supponunt processiones: ideo prius agendum erat de processionibus, ita D. Th. in introductione huius quæstionis.

ARTICVLVS PRIMVS.

An processio sit in diuinis, id est, An intra ipsum Deum formaliter, & realiter sit aliqua processio.

Prima Conclusio.

IN diuinis ad intra, ponenda est aliqua processio, non vt effectus procedit à causa, nec vt causa procedit in effectu, sed secundum actionem immanentem, & emanationem intelligibilem.

Secunda Conclusio.

QVicunq; intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit intra ipsũ aliquid, quod est conceptio rei intellectæ, proueniẽs ex vi intellectiua, & procedens ex notitia, quod dicitur Verbum.


Tertia.

In solutione ad II

NEcesse est quod, id quod procedit in Deo ad intra, sit idem cum eo, a quo procedit absq; omni diuersitate.

Dubitatur. Primo.

An tres priores partes. Primæ Conclusionis sint veræ.



VIDETVR quod non. Et arguitur primó contrá primam partem. Habenti Deitatẽ, & necessitatem essendi ex se, repugnat ꝓcedere ab aliquo, sed si daretur formalis processio, in diuinis ad intra, procedẽs per illam haberet Deitatẽ, & necessitatẽ essẽdi ex se, vt infra ostẽdetur ergo repugnat illi procedere ab aliquo. Maior ꝓbatur tripliciter. Primo quia habenti deitatem conuenit ratio essentialis Deitatis scilicet esse Primum ens necessarium ex se à nullo alio procedens, aut productum, Sed primo enti necessario ex se, & anullo procedenti, aut producto repugnat produci, & procedere ab alio: quia hoc inuolit contradictionem Ergo.

Secundo habenti deitatem repugnat dependere ab alio: quia hoc dicit imperfectionem, Sed omne procedens ab alio dependet ab illo: quia non esset sine illo Ergo.

Tertio talis processio nõ est ex nihilo, neq; ex aliquo ergo nulla. Cõsequẽtia patet, quia inter hæc nõ datur mediũ, & Antecedẽs pro prima parte probatur, Quia esse ex nihilo est solius creaturę, & repugnat habenti Deitatem. Pro 2. vero parte patet quia quod est ex aliquo est materiale, & compositum, id .n. ex quo procedit dicit habitudinem causæ materialis, Sed Personæ diuinæ repugnat compositio, vt ostenditur supra Quæst. 3. ergo.

Confirmatur secundo, Id ex quo aliquid producitur supponitur produ-

productioni, & per illam producitur aliquid distinctum ab eo, quod supponitur, alias per talem processionem nihil procederet, quia iam præexistebat in eo, scilicet in eo ex quo producitur, Sed produci aliquid includens aliquid distinctum ab eo, ex quo procedit, nequit intelligi, sine illius compositione, & imperfectione Ergo.

Secundo si ista processio est ex aliquo, sequitur illum ex quo est, esse imperfectum, & carere perfectione, qui procedit, Sed hoc repugnat Deo ergo, Sequela patet: nam si id ex quo est talis processio, haberet illam perfectionem prius, quam intelligeretur talis processio, non esset processio talis perfectionis: quia non procedit, quod præintelligitur processione alias frustra esset talis processio.

Secundo Arguitur. Non est de quiditate essentiæ diuinæ habere processionem ad intra, Ergo illa non reperitur ibi. Consequẽtia patet: quia in Deo nihil est accidentarium, sed solum, quod est de essentia eius, vt disputatur sup. Quæst. 3. ar. 6. Antecedẽs probatur nã, si habere processionem esset de quiditate essẽtiæ processio reperiretur in essentia antequam intelligeretur Persona Patris, & cõueniret Spiritui Sancto, quod ab illo procederet Alius, quod vtrumq; est falsum: nam neq; ab essentia, neq; ab Spiritu Sancto, aliquid procedit. Declaratur hoc. Quod est de quiditate essentiæ est prius, quam id quod est personale. & conuenit omnibus Personis diuinis, Ergo si habere processionem est de quiditate essentiæ conueniet illi antequam intelligatur proprietas personalis Patris; & conueniet Spiritui Sancto cui conuenit, quid est de quiditate essentiæ.

Alia multa argumenta contra hanc primam partem primæ conclusionis vide in Cyrilo primo Thesauri C. 7. & 8. & in Belarminio lib. 2. de Christo a C. 7. vsq; ad 58.

Tertio Arguitur contra secundã partem istius conclusionis. Qui procedunt in diuinis ad intra sunt creaturæ, & effectus Dei, ergo talis processio est effectus à causa. Antecedẽs patet, nã de Filio, qui est sapientia increata Dei, Prouerb. 8. secũdũ editionẽ Septuaginta, dicitur Dominus creauit me; & Ecclesias 24. dicitur de eadem. Qui creauit me &c. & ad Hebre. 1. & 3. & Actorum secundo dicitur Christum, qui est Filius Dei esse factum, Ergo procedit, vt effectus, & creatura, similiter de Spiritu Sancto Amos 4. secundum Septuaginta dicitur, quod Deus creat Spiritũ, idest Spiritũ Sãctũ, nã teste Hiero. Micheeæ 2. & Abacu. 2. & Origene lib. 8. Periarcot, hoc nomen Spiritus sumitur pro Spiritu Sancto, quoties in scriptura ponitur sine addito. Confirmatur Personæ diuinæ procedunt à Patre vt a principio, Ergo vt à causa, &

per cõsequẽs, sunt effectus Dei. Patet Cõsequẽtia quia Arist. & D. Tho. 4. Meth. cap. 2. docent causam, & principium esse idem conuertibiliter, sicut ens, & vnũ, & Lib. 5. c. 1. dicitur causam dici tot modis, quot dicitur principiũ. Alia multa argumenta, contra hanc partem conclusiónis vide in Ambr. lib. 3. 4. & 5. de fide, & lib. 1. de Spiritu Sancto, & in Cyrilo lib. 10. Thesauri per totum, & lib. 13. c. 3. & 4. & lib. 10. in Ioann. c. 9. & 13. & in D. Tho. 4. Contra Gentiles c. 6. & 16.

Quarto Arguitur, contra tertiã partẽ cõclusionis, & probatur, istas processiones esse causę in effectus, ita quod eadem persona vocetur Pater, Filius, vel Spiritus Sãctus, quatenus producit diuersos effectus: nam eadẽ operatio tribuitur Patri, Filio, & Spiritui Sãcto, Ergo isti tres sũt eadẽ persona, & solũ differũt, vt producũt diuersos effectus. Probatur Consequentia: quia eadem numero operatio nõ potest totaliter prodire a diuersis suppositis eiusdẽ ordinis, non sub ordinatis. Antecedẽs declaratur: Nã Isaię 6. refertur dictũ esse à Patre. Vade dic populo huic &c. & tamen Ioann. 12. refertur dictũ esse à Filio, & Actor. 28. refertur, dictũ esse ab Sp. Sãcto. Similiter suscitatio à mortuis Rom. 8. tribuitur Patri, & Ioa. 6. Filio, & Ezechiel. 37. tribuitur Sp. Sãcto, vnde Christus Ioan. 5. ait Quæcumq; ille facit hæc, & Filius similiter facit, & sicut Pater suscitat mortuos, & viuificat sic Filius &c.

Confirmatur dupliciter. Primo quia in Euangelio Aegiptiorum, cuius meminit Clemens Alexandrinus lib. 5. stromatum, refertur Christum sæpè dixisse, se esse eãdem Personam cum Patre, de quo Epiphanius hæresi 62.

Secundo quia, Naziancenus Oratione quadragesima quinta solam differentiam nominum admittit in Personis diuinis.

Quinto Arguitur. Ideo tantum, est vnus Deus: quia est simpliciter Infinitus, & nequeunt dari plura simpliciter infinita. Sed etiam Persona diuina est omnibus modis infinita, in ratione personæ, Ergo non potest dari nisi vna. Confirmatur quia alias si persona Patris, non esset formaliter Persona Filij, vel Sp. Sãcti, nõ esset formaliter, infinita siquidẽ careret formali perfect. & ꝓprietate personali Filij, vel Sp. Sãcti, & hoc sufficit, vt non sit formaliter infinita, sicut essentia non esset formaliter, infinita, si formaliter careret aliqua perfectione, v. g. sapientia, vel misericordia.

Sed contra est Conclusio D. Thom.

IN hoc dubio, iuxta tres prædictas partes conclusionis tria tanguntur inquibus mira est hæreticorum varietas, Circa primum Indei

dei, Sarraceni, & alij Hæretici, quos ex SS. Patribus referũt Belar. lib. 1. de Christo c. 1. & Vazq. hic disp. 168. c. 1. negant in Deo esse processionem ad intra, & in diuinis solum admittunt vnam Personam. Eandem processionem negant alij, quos Geuebrardus lib. 1. de Trin. & Belarm. lib. 2. de Christo c. 19. referunt, admittere in diuinis plures Personas negare, tamen quod vna, procedat ab alia.

Circa secundã, vero partẽ Cõclus. Errarunt Arrius, & alij, quos referunt Basil. 1. contra Eunonium, Ambros. 1. de fide ad Gracianum c. 3. & 5. Aug. lib. de hæresibus, a C. 41. vsq; ad 58. Bernar. Epist. 190. Belar. lib. 1. de Christo in prologo & Valentia hic Quæst. 27. puncto 1. §. 6. 7. 8. & 9. Dicebant isti hæretici Filiũ, & Sp. Sãctum procedere à Patre, vt effectus a causa. Imo alij, quos referunt Athanas. in Epist. ad Cerapionem, Nazianc. oratione 5. de Theologia, Valentia vbi sup. §. 24. & alij dicebant, Spiritum Sanctum, esse creaturam imperfectiorem Filio, & esse Angelum, vel animam mundi.

Circa tertiam partem conclusionis, Errauit Sauellius Praceas, & alij, quos referunt Hiero. Epist. 54. Niceforus lib. 4. hystoriæ, c. 22. Belarm. lib. 2. de Christo c. 1. & Val. vbi supra §. 5. qui tenuere in diuinis solum esse vnam Personam, quæ secũdum quod ab ea, procedunt diuersi effectus, vocatur diuersis nominibus Patris, Filij, & Spiritus Sancti.

Sed per explicatione veritatis dico I.

Conclusio I.

IN diuinis ad intra, datur vera, & realis ꝓcessio Filij, & Sp. Sãcti Hęc cõclusio est de fide, & prima pars de filio probatur, Quia Ioan. 8. dicitur de Filio. Ego ex Deo processi, quẽ locum licet Rupertus, & alij iuniores explicent super illum locum, de aduentu Christi in mundum, tamen intelligendum est de æterna processione Filij a Patre. docent idem Rupertus lib. 1. de glorificatione Trinitatis c. 14. Cyrilus lib, 6. in Ioann. cap. 5. Hylar. lib. 6. de Trin. Aug. Tractatu 42. in Ioan. Athana. in expositione fidei, & in Epist. de decretis Synodi Nicenæ D. Thom. glosa ordinaria, & inter linealis Ioan. 8.

Confirmatur, Nam Christus Ioann. 7. dicit de se. Ego scio: quia ab ipso sum, & c. 15. Exiui à Patre. Secundo id probat Cyril. lib. 6. in Ioan. c. 12. quia de Filio dicitur Ecclesiast. 24. Ego ex ore altissimi processi, & Michææ 5. Egressus eius a diebus æternitatis, de quo loco vide Galati. lib. 7. c. 3.

Con-

Confirmatur, quia in Symbolo dicitur. Deum de Deo lumen de lumine.

Secũda, pars cõclusionis de Sp. Sãcto, Patet ex illo Ioann. 16. Spiritus veritatis qui a Patre ꝓcedit, & c. 16. dixit Christus de illo, De meo accipiet, idem De me procedit, ita Hylar. lib. 8. de Trin., & Aug. tractatu 99. in Ioan.

Confirmatur quia ad Rom. 8. vocatur Spiritus Christi, & Ioann. 15. vocatur Spiritus veritatis: Quia ꝓcedit a Christo: qui est veritas. ita explicat Concilium Alexandrinum, vt habetur in Epist. 10. Cyrili, & in 1. tom. Concilij Efecini c. 14.

Dico II.

Conclusio II.

SI indiuinis, non esset processio, non possent esse ibi plures Personæ, ita docet D. Thom. Infra q. 33. a. 4. ad 4. Scotus in 1. dist. 1. Q. 5. & Enrriq; Quodlibet 6. Q. 1. & in sũma a. 54. Q. 2. & probat ratione D. Thom. quia alias essent plures dij, quod implicat. Hæc ratio non placet Scoto, sed est Hylari lib. 4. de Trinitate, & in lib. de Synodis diffinitione 26., & Athanasij in oratione cõtra Gregales Sabelij circa finem, & explicatur: quia ablata processione vnius Personæ diuinæ ab alia non restat, per quid tales Personæ posset constitui, & distingui in eadem essentia, Ergo. Añs patet: quia non possent distingui, & constitui per relationem realem, nec per aliquid absolutum, ergo nullo modo. Prima pars huius Antecedentis patet: Quia in Deo nulla est relatio realis, nisi fundata in processione, vel productione vnius Personæ ab alia, vt Infra dicetur, ergo ablata processione, nulla superest relatio realis, qua Personæ diuinæ possint constitui, & distingui.

Confirmatur. Omnis relatio realis in diuinis, quam habet vna Persona, est communis alteri, nisi sit relatio producentis, ad productam, vel productæ, ad producentem, propter quod relatio realis actiuæ spirationis, est communis Patri, & Filio: quia per hanc neuter refertur ad alterum, vt ad suum Producens, vel productum; sed ablata processione in diuinis, licet posset manere ibi, relatio realis nulla esset ad personam producentem, vel productam, ergo esset communis illis, & per eam non posset constitui, vel distingui, quia constitutiuum, & distinctiuum earum debet esse proprium, & singulare.

Secũda pars Antecedẽtis patet, eadẽ ratione: quia in diuinis omnia

abso-

absoluta sunt communia,& ideo non possunt esse constitutiua,nec distinctiua Personarum: quia solum constituuntur, vel distinguuntur per id,quod est sibi proprium,ergo si ablata processione non remanet per quid distinguuntur in eadem essentia, Consequens est illas constitui,& distingui per diuersas essentias diuinas,& ita erūt plures Dii.

Secundo,probatur alia ratione D.Th. ibidem, quæ, licet non placeat Scoto,est tamen Athanasij vbi supra, & Fulgentij in lib. ad obiectiones Arrianorum,& Plotini,vt refert Eusebius Cesarien. lib. 11. c. 10. quia scilicet, in omni natura debet dari aliquod primum, Sed, si darentur plures Personæ improductæ, essent plura prima, ergo. Mai. patet: quia omnis multitudo debet reduci ad vnitatem,& in quolibet genere est vnum primum,vt ostendit D. Thom. 1. Contra Gentes c. 42.& hic q. 11. a. 3. vt ibi bene explicat Vazquez ad nostrum propositum. Min. vero probatur, vel vt potius dicam certa est: Nam tales Personæ improductę non producerentur ab alia priori,siquidem, sunt improductæ, ergo in natura earum non datur aliquod primum, imo vt deducit Ricard. de Sācto Vict. lib. 5. de Trin. c. 3. tunc essent plura prima principia creaturarum: quia, vt dictum est, si in Personis diuinis non esset processio, quælibet earum haberet diuersam essentiam diuinam, & ita non essent vnum principium creaturarum sicut modo sunt,propter vnitatem essentiæ, sed diuersa prima principia propter diuersitatem essentiarum.

Dico III.

Conclusio III.

PErsonæ,quæ procedunt in diuinis,scilicet Filius,& Sp.Sanctus non procedunt,vt creaturæ,& vt effectus a causa. Hæc conclusio est de fide, & prima eius pars probatur argumento Aug. nā Ioann. 11. dicitur: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Filij Dei, vt glorificetur filius hominis, ergo filius Dei pro cuius gloria fuit illa infirmitas est verus Deus.

Confirmatur,nam ad Rom. 9. dicitur de Christo, qui est Filius Dei qui est super omnia Benedictus Deus, & ad Titum 2. dicitur Spectantes aduentum magni Dei,& Saluatoris nostri, Ergo ille est Deus, & tamen secundum fidem est Filius Dei, Ergo.

Secundo,probatur testimonio quod adducit hic D.Th. Nam primę Ioann. 5. dicitur, Vt simus in vero filio eius. Hic est verus Deus. Hoc testi-

testimonium infirmant hæretici. Erasmus ait illa verba. Hic est verus Deus, referenda esse ad illud pronomen eius, scilicet ad Patrem. Transiluani vero, & alij referunt quidem ad Filium: dicunt tamen illum dici Deum: quia habet diuinitatem Patris accidentariè sibi communicatam, sicut Apocal. 5. dicitur Dignus est agnus accipere diuinitatem. Eunomius, vero teste Nazianceno Orat. 3. de Theologia, ait illum esse verum Deum, sed æquiuoce. Sed contra Erasmum est, Quod SS. Patres vnanimiter illa verba intelligũt de Filio, ita Basilius lib. 4. contra Eunomium, Athan. in disp. cum Arrio. Hylar. lib. 6. de Trinit. Hyero. Isaiæ 65. Aug. 1. de Trin. c. 6. & Cyrilus lib. 12. Thesau. c. 13. & lib. 9. in Ioann. c. 44. Contra Transiluanos vero facit argumentum Cyrili lib. 12. Thesau. c. 13. quia alias non esset verus Deus essentialiter, sed solum accidentaliter sicut iusti, vel ad summum, sicut humanitas Christi, quibus ab extrinseco adiungitur diuinitas, & non identificantur substantialiter cum illa. Contra Eunomium tandem facit, quia alias scriptura admitteret plures veros Deos æquiuocè, & licet Ioan. 17. dicatur Patrem esse verum Deum posset explicari æquiuocè, quod est verus Deus æquiuoce.

Alia testimonia pro hac parte conclusionis collegit Cyrilus lib. 12. Thesauri per totum. Vide D. Thom. 4. Contra Gentiles. c. 7.

Secũda, etiã pars cõclusionis probatur Quia 1. ad Corin. 3. & 6. dicitur nos esse templum Dei: quia sumus templum Spiritus Sancti, Ergo. Ita arguunt Ambros. 3. de Spiritu Sancto c. 13. Basilius 3. & 4. Contra. Eunom. Athanasius in dialogo de Trinitate, & alij.

Secundo probatur: quia Petrus Act. 15. dixit Ananiam mentitum esse Deo, quia mentitus fuit Spiritui Sancto.

Tertio arguitur argumento Cyrili lib. 9. in Ioann. c. 44. & lib. 10. c. 3. & Nazianceni Oratione 5. de Theologia: quia, vt dicitur primæ ad Corin. 6. Nos iustificamur in Spiritu Sancto, ergo ille est verus Deus, quia iustificare est opus solius Dei. Ideo enim dicitur Leuitici 22. Ego Dominus, qui sanctifico vos, & Psal. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus. Alia multa pro hac veritate vide in D. Thom. 4. Contra Gent. c. 17. & in Cyrilo lib. 13. Thesauri per totum.

Dico IV. & vltimo.

Conclusio IV.

PRocessio in diuinis non est secundum, quod causa procedit in varios effectus, sed quatenus ibi ab vna Persona diuina procedunt aliæ

aliæ realiter distinctæ. Probatur, quia Math. vltimo, & 1. Ioann. 5. referuntur distinctę Personæ Trinitatis dum dicitur Tres sunt &c. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & Ioann. 10. dicitur Ego, & Pater vnum sumus &c. & c. 16. Pater mecum est, & c. 8. Ego non sum solus, sed Ego, & qui misit me Pater, & in lege vestra scriptum est: Quia duorum hominum testimoniũ verum est, quibus significatur distinctio Personarum Eadem significatur in illo Ioan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ita hoc probant Athana. Contra gregales Sabellij, & Basilius ser. Contra Sabelium, & Arrium.

Vltimo probatur, quia secundum aliam litteram dicitur Isaiæ 26. In Domino Dominus, qui fecit sæcula, de quo Epipha. hæresi 76. & c. 45. In te est Deus, & non est Deus præter te, de quo vide Hyeroni. & Cyrilus ibi. Epiph. hæres. 57. & 62. Ambros. lib. 1. de fide c. 2. Alia multa circa istam conclusionem vide in D. Thom. 4. contra Gentiles c. 50.

Ad Argumenta Respondeo.

AD argumenta, Ad primũ ergo distinguo dupliciter Maiorem. Primo repugnat procedere ab aliquo distincto secundum naturam cõcedo Maiorẽ, distincto secundum personam nego Maiorẽ. Secundo repugnat procedere secundum naturam ab alio, concedo Maiorẽ, nam si haberet naturam procedentem ab alio haberet naturam distinctã, quod implicat in diuinis, Repugnat, vt procedat in ratione Personæ nego maiorem.

Ad primam probationem illius, eodem modo distinguo Minorem. Primo enti necessario ex se, & a nullo alio producto repugnat procedere ab alio habente naturam distinctam, vel procedere secundum rationẽ naturæ concedo Minorẽ, Repugnat, vt in ratione Personæ procedat ab alio habente eamdem numero naturam indiuisam, & necessariã ex se, nego Minorẽ, neq; est aliqua contradictio, quod aliquis, qui secundum suam naturam est ens necessarium ex se, vt ex Persona habeat suum esse non ex se, sed communicatum ab alia Persona distincta habente eandem numero naturam.

Ad secundam probationem distinguo Minorẽ. Omne procedens ab alio distincto secundum naturam, vel procedens ab alio ratione suæ naturæ est dependens ab illo, transeat Minor, nam tunc per talem processionem causatur esse, & productum per illam consequenter debet causari, & sic dependere ab alio. Omne procedens ab alio habente

ean-

eandem numero naturam, vel quod procedit solum in ratione personæ, & non in ratione naturæ, quia illa manet improducta est dependẽs nego Minorẽ: Ratio est: quia in tali Persona producta solũ reperiuntur, natura, & relatio personalis, natura non pendet: quia est eadem numero in Producẽte, & producto, & per talem productionem cõmunicatur idem esse omnino independens, & formaliter identificatur cum ipsa Persona, & proprietate relatiua eius, ergo ratione illius non pendet a Producente, nec vero pendet ratione relationis, Quia vnum relatiuum diffinitur ad aliud, non vero pendet ex illo, ergo talis Persona producta nullo modo est dependens, & causata a Producente neq; vero illam non posse sine Producente arguit talem dependẽtiam: quia vnum relatiuum non potest esse sine alio, a quo tamen non dependet, & ad dependentiam ab aliquo requiritur, vt id sine quo aliud non potest esse sit distinctum secundum naturam, & causet esse per quod alterum existit, quod hic non reperitur.

Ad tertiã probationem nego Antecedens, nam psalm. 109. dicitur Ex vtero genui te, & infra Q. 41. a. 3. ostẽdetur hanc processionem esse ex substãtia Patris. Ad probationem vero distinguo Antecedens. Id quod est ex aliquo tanquam ex parte, vel potentia transeat Antecedens, quod vero est ex aliquo tanquam ex tota substantia simplici dicente totam eius quiditatem, nullo modo formaliter distincta ab eius proprietate psonali nego Antecedẽs, & ita Persona Filij procedit ex substantia Patris tanquam ex actu purissimo. formaliter identificato cum proprietate personali eius, & dicente totam eius quiditatem.

Ad primam Cõfirmationem, admitto primam partem Maioris de eo ex quo aliquid producitur tanquam ex parte, vel potentia, non tamen de eo ex quo producitur aliquid tanquam ex actu purissimo omnibus modis formaliter sibi identificato, qualiter Persona diuina producitur ex natura Dei: nam si est omnibus modis idem cum illa natura, solum intellectu potest esse prior Persona. Nego tamen eandem Maiorẽ, pro secũda parte, Nam hæc est eminentia diuinæ processionis, quod Persona, quæ procedit est omnino idem formaliter cum actu purissimo ex quo producitur, & solum virtualiter potest distingui ab illo.

Ad probationem nego Antecedẽs: quia licet Persona procedens, & omnis eius perfectio, & relatio formaliter entitatiue contineatur in essentia, ex qua producitur, imo in Persona, a qua procedit, tamen proprietas eius constitutiua, & distinctiua non continebatur relatiue constitutiue in persona producente quia non constituebat illam in

suo

ſuo eſſe perſonali relatiuo, & hoc ſufficit, vt per illam productionem aliquid procedat; quia id quod entitatiue præerat in eſſentia, & continebatur in Perſona producente procedit relatiuè tanquam aliquid relatiuè realiter diſtinctum à tali Perſona producente.

Ad ſecundam confirmationem nego Sequelam. Ad probationem nego Antecedens: nam, vt per illam proceſſionem aliquid procedat, ſatis eſt, vt id, quod entitatiue præerat in ſubſtantia, & eſſentia Dei, ex qua producitur talis Perſona per talem proceſſionem procedat relatiuè, conſtitutiuè, & diſtinctiuè. Declaratur hoc. Ratio filiationis in ratione perfectionis, ſi quam dicit, formaliter præhabetur in eſſentia diuina: quia eſt infinita, & ideo debet includere omnem perfectionem tamen nec illa relatio vt conſtituens relatiuè Filium, nec vt relatiuè illum diſtinguens a Patre, intelligitur formaliter præexiſtere in eſſentia diuina, antequam intelligatur generatio Filij, & ita, vt per talem diuinam proceſſionem intelligatur procedere aliquid, quod non præintelligebatur proceſſioni, ſatis eſt, vt id quod entitatiue, & in ratione perfectionis præintelligebatur eſſe in eſſentia, per talem proceſſionem producatur conſtitutum, & diſtinctum relatiuè.

Ad ſecundum, argumentum principale infra dicetur amplius, modo nego Antecedens ad probationem nego Conſequentiam: nam licet id, quod eſt de eſſentia eſſentiæ diuinæ, vt perfectio eſſentialis, vel attributalis eius, debeat competere ipſi eſſentiæ, vt præintelligitur Perſonis, & debeat etiam conuenire omnibus Perſonis diuinis, non tamen conuenit omnibus illis, aut eſſentiæ, vt præintellectæ Perſonis, quod conuenit illi, vt proprietas perſonalis, modus vel determinatio eius ad Perſonam, ſicut multi volunt perſonalitatem angeli per ſe conuenire illi, vt modus eſt, & determinatio eſſentiæ ad Perſonã, & tamen non conuenit illi conſiderato ſecundum ſua prædicata quiditatiua, proceſſio autem diuina per ſe cõuenit eſſentiæ, vt via ad determinationem eius perſonalem, & ideo non debet conuenire, neq; omnibus Perſonis, neq; eſſentiæ vt præintellectæ illis Perſonis, de quo latius infra.

Ad tertium, Nego Antecedens. Ad primam, & ſecundam probationem varie reſpondet D. Thom. infra q. 41. a. 3. ad 4. quod ſilicet, illa loca intelliguntur primo de ſapientia creata, ita Atha. Serm. 3. contra Arrianos, vel de humanitate Chriſti, ita idem Athan. ibidem, & Oratione 5. contra Arria. Nazian. Ora. 3. de Theolog. Baſil. lib. 3. & 4. contra Eunomium Ambro. Niſenus, Cyrilus, Epiphan. & alij, Vel tertio ſi intelliguntur de Filio diuino ille dicitur creatus, vt intelligatur quod ſicut creaturæ creantur à Deo ſubſiſtentes ſine eius mutatione,

& sine supposita materia, ita Filius producitur à Deo subsistens sine præsupposita materia, & sine mutatione generantis. Ita Epipha. hæresi 73. Athan. Ser. 3. cōtra Arrian. & Hylar. lib. de Synodis, Vel quarto explicātur de Beata Virgine, ita Galatinus lib. 7. c. 1. vel quinto, Et vltimo intelliguntur de Ecclesia, ita Athan. tom. 3. de natura suscepta contra Apolinares.

Ad tertiam probationem respondeo, Christum dici factum ratione humanitatis, ita Basil. lib. 3. & 4. contra Euno. Cyri. 8. Thesauri. c. 2. & lib. 9. c. 3. Ath. Oratione 2. & serm. 3. cōtra Arrian. & tom. 3. de incarnatione Christi, vel dicitur factus, idest declaratus, & prædicatus iuxta illud Ioann. primo Quem te ipsum facis, i. prædicas, ita Basil. 4. contra Euno. & Cyri. 8. Thesauri c. 3. & lib. 10 c. 7.

Ad quartam probationem de Spiritu Sancto, respondeo ex D. Th. vbi supra, illum locum intelligi de vento, aere, anima hominis, vel alia substantia inuisibili. Ita Nazian. Oratione 5. de Theolog. Athan. in Epist. ad Cerapionem, Basil. lib. 4. contra Euno. Ambro. lib. 2. de Spiritu Sancto c. 7. Hyeronim. & Theodoret. Amos. 4. Regula vero in contrarium adducta a Hieron. displicet Aug. lib. 2. de mirabilibus S. Scripturæ c. primo, & nō fallit se:nam Zachariæ 5. Math. 26. & 27. Lucæ 1. Ioann. 3. & Exodi. 15. ponitur spiritus. sine addito, & non vtimur pro Spiritu Sancto, sed pro vento, vel anima hominis, Vel etiam Demone.

Ad confirmationem nego Consequentiam, ad probationem Suarez lib. 5. Metha. sect. 1. num. 26. & Vazq; hic disp. 139. c. 6. varie explicant Aristotelem, videte ibi. Germanior expositio est Aristotelem more Græcorum vsurpasse pro eodem causam, & principium: Græci enim, vt constat ex Concilio Florentino Sessione vltima pro eodem sumunt hæc duo nomina: licet teste D. Thom. 5. metha. lect. 1. non sint sinonima: quia significant sub diuersa ratione eandem rem, latini vero: quia nomine causæ, significant id, quod producit aliquid extrinsecum suæ naturæ, & dependens ab illo, quod est imperfectio, & id nō dicit ratio principij, ideo dicunt processiones diuinas esse à principio non à causa.

Ad quartum nego Consequentiam. Ad probationem distinguo Antecedens. Si illa supposita non conueniant in eadem numero natura, quæ sit principium operationis, vt quod: concedo Antecedens. Nego vero illud si conueniāt in tali natura, quomodo tres Personæ Trinitatis conueniunt in natura diuina.

Ad primam Confirmationem respondeo, illud Euangelium esse

apocrifum; ita Epipha. & Clemens vbi supra.

Ad secundam respondeo, Quod, teste Basi. Epist. 64. propter illa verba Nazian. Neocesarienses secuti sunt errorem Sauelij, sed sine fundamento quia Nazian. per illa verba solum intendebat in diuinis non reperiri distinctionem in absolutis, sed solum in relatiuis, qualia significantur per illa nomina, vnde idem Nazian. Orat. 3. de Theolog. docet Personas Trinitatis, realiter, & numero distingui.

Ad quintum, Nego Consequentiã, differentia est. Quia ad infinitatem Dei requiritur, vt eius essentia per se, & immediate includat omnem rationem, & perfectionem entis omni modo interse compossibili, & ita non remanet per quid possint multiplicari plures Dij, quorum quilibet sit infinitus, vt ostendit D. Th. supra Q. 11. Ar. 3. ratione 2. & Primo cõtra Gent. c. 42. ratione 2. ad infinitatẽ vero Personæ, licet requiratur, vt includat omnem relationem: non tamen requiritur vt includat illas relatiuè constitutiuè, & distinctiuè: quia isti modi sun t incompossibiles in eadem Persona cum opponãtur inter se relatiue, sed satis est quod habeat naturam infinitam terminatam proprieta te personali illi proportionata, & facientem illam incommunicabilem, cæteras vero proprietates personales includat hentitatiue, & in rat ione perfectionis non relatiue, constitutiue: & quia in diuinis sunt plures relationes quæ possunt constituere plures Personas infinitas relatiue constitutiue, licet in ratione perfectionis, & entitatiuè sint in alijs, quas non constituunt, ideo in diuinis possunt dari plures Personæ diuinæ, & non plures Dij.

Ad confirmationem nego Sequelam. Ad probationem nego Antecedens nam dictum est Patrem ratione essentiæ, & in ratione termini habere entitatiue relationem Filij, licet careat illa formaliter constitutiue: quia non constituitur per illam in ratione Patris, & hoc non requiritur ad infinitatem Personæ, neq; est idem de perfectionibus absolutis: quia enim illæ non opponuntur inter se, ideo secundum omnem suam formalitatem possunt esse simul in eodem: proprietates vero personales vt relatiue, constitutiue opponuntur, & ideo vt sic non possunt esse simul in eodem.

DVBITATVR II.

Circa vltimam partem eiusdem Primæ Conclusionis.

An processiones in diuinis sint secundum actionem immanentem; & emanationem intelligibilem.

Videtur, quod non.



PRIMOQ; Probatur, quod non sit secundum aliquam actionem, quia de ratione actionis productiuæ est, vt per eam producatur effectus realiter distinctus à producente, quod hic non contingit, vt dictum est, Ergo. Antecedens patet: quia producens aliquid per actionem est agens, & quod per actionem producitur est actum, & ita producens erit efficiens, & productum per actionem erit effectus, de cuius ratione est, vt sit realiter distinctus à causa, Ergo.

Confirmatur dupliciter. Primo, quia omnis actio est inter duos terminos, à quo, & ad quē, & terminus, a quo, dicit priuationem, vel negationem termini ad quem, Ergo si Persona diuina procedit per actionē procedit a termino, a quo, ad terminū, ad quem scilicet, a non esse Personæ ad esse illius, quod repugnat eius infinitati, & necessitati essendi à se, quam habet Deus.

Confirmatur secundo, Personæ diuinæ procedunt per actus notionales, sed illi sunt relationes, Ergo. minor est D. Thom. infra q. 41. a. 1. ad 2. cuius ratio est, quia in actione solum est motus, & relatio illius ad suum principium in actu vero notionali Dei nullus potest esse motus, quia Deus est omnino immutabilis; Ergo ibi solum reperitur relatio.

Secundo Arguitur argumento Eunomij, quod saltim ista processio non sit secundum actionem immanentem: quia omne quod procedit per actionem immanentem, supponit potentiam passiuam in eo, à quo procedit, sed in deo non datur talis potentia, Ergo. minor probatur à D. Thom. supra q. 27. a. 1. quia Deus est actus purissimus, & per consequens repugnat ei omnis potentialitas. Maior vero patet, quia

quia omne quod procedit per actum immanentem manet in eo, a quo procedit, Ergo in eo a quo procedit est potentia passiua receptiua illius, alias non reciperetur in eo. Confirmatur, quia alias Filius, v. g. produceretur de potentia Patris, vel essentiæ diuinæ, Sed hoc derogat eius actualitati, & infinitæ perfectioni, Ergo. Probatur Minor, quia essentia tunc non intelligeretur esse actum purum ante processionem Filij, si quidẽ intelligeretur esse in potentia passiua, & receptiua illius.

Tertio, Arguitur Actio immanens non habet terminum productum per illam, ergo processio Personæ diuinæ, in qua ipsa Persona diuina est terminus productus, non est per actionem immanentem. Antecedens probatur quattuor modis. Primo, quia ita docent Aristo. D. Thom. & Commentator 9. metha. tex. 16. Secundo, quia istæ actiones solum sunt a natura, vt per eas potentiæ vniantur obiectis, Ergo non vt sint productiuæ terminorum. Tertio, quia per sensationem, reminesentiam, iuditium, assenssum, imperium, & votum, quæ sunt actiones immanentes nullus terminus producitur, neque enim ille est assignabilis, Ergo non est de ratione actionis immanentis, vt per illam producatur terminus.

Quarto, Verbum est perfectius specie intelligibili, quia est actualius, quam illa, & ex parte obiecti sunt eiusdem perfectionis, & tamen non est productiuum vlterioris termini, Ergo neque speciei, & ita per actionem immanentem intellectus, cuius principium est species, nihil producitur. Minor patet nam, si verbum esset productiuum alterius verbi secundum verbum esset productiuum Tertij, & sic in infinitum. Consequentia vero probatur, quia inter formas eiusdem generis propinqui, quæ est nobilior, est magis actiua, Ergo si species est productiua termini, Verbum, quod est forma eiusdem generis propinqui, & nobilius specie, debet esse productiuum illius, & e contra, si verbum non est productiuum termini, neque species erit.

Alia multa argumenta ad probãdum idem Antecedens refert Capreolus in 1. distinct. 27. Quæst. 2. Art. 2. contra primam.

Quarto principaliter Arguitur. Terminus productus per actionem immanentem est imperfectior illa, & ordinatur ad ipsam, vt ad finem, Sed Persona diuina non ordinatur ad actionem immanentem Dei, neq; est ignobilior illa, Ergo. Maior est doctrina cõmunis, quam explicat Caiet. hic §. ad 5. dubium Minor vero patet, quia Persona diuina est vltimus finis, & infinite perfecta, Ergo non ordinatur ad actionem immanentem, neque est imperfectior illa.

Confirmatur processio diuina debet esse secundum supremum ge-

nus emanationum; vt dicit D.Thom. hic. Ergo non debet esse secundum actiones immanentes, & intelligibiles, quia, vt Caiet. & alij Thomistæ insinuant infra q. 50. a. 1., datur aliud genus actionum Eminentius alias potentia diuina esset exhausta, si non posset producere actiones nobiliores, quam immanentes, & intelligibiles.

Quinto Arguitur. Actiones intelligibiles non sunt emanationes nisi grammaticaliter, sed solum sunt verę qualitates, Ergo per illas nihil producitur, quia solum producitur aliquid per veram, & realem processionem. Antecedens probatur dupliciter. Primo, quia intelligere aliquam rem est esse illam, vt habet D.Thom. hic q. 34. a. 1. ad 3. & 1. Contra Gentiles c. 45. & Caiet. hic, & q. 34. a. 1. ad 3. & q. 79. a. 2. & Thomistæ communiter supra q. 14. a. 1. esse vero non est operari. Secundo, quia vera actio est a potentia actiua, Sed operatio immanens non est ab illa, Ergo. Minor patet: quia potentia actiua est potentia transmutandi aliud inquantum aliud, non se ipsum, Operatio autem, quæ procedit a potentia transmutatiua alterius vt sic, est transiens, quia transit ad transmutandum aliud. Ergo actio immanens non est actio, sed vera qualitas, vt sentiunt Caiet. locis citatis, & lib. 2. de anima c. 5. Scotus in 1. dist. 27. q. vnica, & in 4. dist. 49. q. 2. ad 4. & Quodlib. 1. & 13. Soncinas. 9. metha. q. 20. & 21. Iauel. q. 7. & alij.

Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

IN hoc dubio sunt duæ sententiæ. Prima hæreticorum, quod processio in diuinis, si quæ reperitur non est secundum emanationem intelligibilem, sed instar corporalium, ita quod Persona procedens sit pars producentis, & producens immutetur per talem productionem, sicut corpus remanet imperfectum per ablationem alicuius partis, ita tenuit Eunomius, vt refert Cyri. lib. 1. Thesauri. c. 7. similiter Arrius teste Athan. lib. contra Gregales Iauelij, negans Filium esse proprie verbum negabat illum procedere per intellectum, & emanationem intelligibilem. Idem negauit Hieronymus Camelius 1. parte sui libri de Trinitate lib. 5. c. vltimo.

Secunda est Molinæ hic disp. 1. in fine, qui propter primum argumentum propositum tenet has, procesiones esse per emanationes immanentes, & intelligibiles, non tamen per actiones immanentes: quia emanatio, vel productio diuina non est actio. Sequitur illum Franciscus Suarez lib. 1. de Trinitate c. 8. nu. 5.

Sed

Sed pro explicatione.

Conclusio I.

DIco primo Processiones in diuinis sũt secũdũ emanationẽ immanẽtẽ,& intelligibilem. Hæc conclusio est de fide. Probatur, Primo quia in S.Script. dicitur Filium productũ manere in Patre producente, vt Ioan. 1. Vnigenitus, qui est in sinu Patris, &c. 10., & 14. Ego in Patre. Secundo quia in S.Script. processio Filij tribuitur emanationi immanenti, & intelligibili, vt Psalm. 44. Eructauit cor meum verbum bonum. Eructatio vero, & productio verbi, est emanatio immanens, & intelligibilis: quia verbum manet in intellectu producentis, ita Aug. ibi, & Hieron. in Epist ad Principiam Ambros. lib. de benedictionibus Patriarcharum C. penult. Gregor. 33. moral. C. 4. & Ebaristus Papa Epist. Prima.

Tertio, Nam Filius procedens in diuinis vocatur verbum, vt patet Ecclesiast. 1. Ioan. 1. Primæ Ioan. 5. & Apocal. 19. vocatur etiam Sapientia, vt patet Prouer. 8. & Eccles. 24. Vocatur item veritas, vt patet Ioan. 14. Sed emanatio verbi, Sapientiæ, & veritatis est immanens, & intelligibilis, Ergo.

Confirmatur multis testimonijs Sanctorum, vt Cyrili, vbi supra, & aliorum, quos refert Vazquez hic disp. 111. C. 2. & disp. 112. C. 2. docẽtes Filium, & Spiritũ Sanctum procedere in diuinis per amorem, & intellectionẽ, quæ sunt emanationes immanentes, & intelligibiles. Quarto probatur quia, vt D. Th. docet in ar. hoc pertinet ad vnitatẽ essentiæ diuinæ in qua conueniunt omnes Personæ, & ad infinitatem cuiuslibet Personæ diuinæ, ad vnitatem quidem essentiæ, Nam quod procedit per emanationem transeuntẽ est extra suum principium, quod autem habet eandem naturam cum suo principio numero indiuisam ab illo non est extra ipsum, licet distinguatur ab illo realiter, & personaliter, Ergo. Ad infinitatem vero Personæ: quia, si Persona producta non maneret in producente producenti deesset entitas, & perfectio procedentis, & ita non esset infinita.

Confirmatur, quia Deo, vt pote enti perfectissio, debet conuenire emanatio perfectissimi generis, Sed talis est emanatio immanens, & intel ligibilis, Ergo.

Conclusio Secundo.

DIco secundo. Processiones in diuinis sunt secundum rationem actionis intelligibilis. Hæc conclusio est D.Th. hic Art. 2. vbi ait quod processio verbi est per modum actionis intelligibilis, quæ est operatio vitæ,& Art.3.ait. Processio in diuinis est secundum actionem, quæ manet in agente, & iterum ibidem. Processio verbi attenditur secundum actionem immanentem, & Art. 5. ait Processiones in diuinis accipi non possunt: nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Similiter Quæst.40. Art.4.& q. 41. Art.4. concedit processiones esse secundum actus, vel actiones notionales, idem concedunt Caiet. hic Art.5.& alij, quos refert Vazq. hic disp. 111. C.2.

Secundo, Probatur ratione D. Th. Quæst. 41. Art.4. in Deo est potentia respectu actuum notionalium, & processionum, vt ibi declarabitur, Ergo processiones sunt actiones: quia potentia nihil aliud est nisi principium alicuius actus.

Tertia, Processiones diuinæ sunt emanationes, vt concedunt Molin. & Suarez. & sunt complemētū, & vltima actualitas, nostro modo intelligendi, potentiæ generatiuæ, & spiratiuæ, Ergo sunt actiones. Probo Consequentiā, quia de ratione actionis non est, vt producatur ab aliquo principio, neque quod sit medium inter principium, & terminū, Sed quod sit vltima actualitas, & quod sit vltimum complementum potentiæ, si quæ datur respectu illius, v.g. intelligere diuinum essentiale est actio, vt alias ostendetur, quia est summa actualitas: licèt non producatur ab aliquo principio, nec sit medium inter Deum, & aliquem terminū, Sed idem habet generatio, vel spiratio diuina, est enim quælibet earum vltima actualitas potentiæ generatiuæ, vel spiratiuæ, Ergo est actio, licet nec sit media inter producēs, & productum, nec producatur à suo principio.

Ad Argumenta.

AD Primum, Ergo nego Antecedens, Ad probationē distinguo Antecedens, producens aliquid per actionem, quæ est cum motu, vel quæ realiter est producta, & distincta à suo principio concedo Antecedens, producens aliquid per actionem, quæ est sine motu, & realiter non est producta, nec distincta à suo principio, quo, nego Antecedens, & tales sunt processiones diuinæ, non enim sunt cum motu nec realiter distinctæ ab essentia, quæ est principium, quo, earū.

Vnde

Vnde D.Th. de potentia Quæst.2. Art.1.ad 1.negat Filium esse actũ, quia per istos terminos, agens, & actum, Latini significant rationem causæ, & effectus; quam non significat actio: quia ex vsu Latinorum sumitur communiùs, & non importat imperfectionem causalitatis. Exemplum huius sumitur ex D.Th. supra Quæst.33. Art.1. ad secundũ, vbi docet Patrem diuinum à Latinis dici principium Filij, Filiũ tamen non dici principiatum à Patre: quia nomine principiati significant Latini quandam nominationem, & subiectionem ad principiũ, quam non habet Filius respectu Patris.

Ad primam cõfirmationem distinguo Mai. actio, quæ est mutatio, & productio noui esse, & quæ est in fieri. Concedo Mai. Nam priuatio est principium rei in fieri, & mutari, Actio, quæ non est mutatio, Sed solum est origo vnius ab alio habente, idem omnino esse, & quæ est perfecta, & in facto esse. Nego Mai. Nam hac ratione intellectio essẽtialis Dei, de qua aliàs latius docui esse actionem perfectissimam, non est à non esse ad esse, & quia processiones diuinæ, sunt actiones isto modo ideo non sunt de non esse ad esse.

Ad secundam confirmationem dicitur Quæst.41.& dub. sequenti, quod licet tales actus secundum id, quod intelliguntur super addere actibus essentialibus solum dicant relationes, tamen, quia includunt ipsos actus essentiales habent rationem actus.

Ad Secundum argumẽtum distinguo Mai. Quod per actionem immanentem procedit distinctum à suo principio, quo. Concedo Mai. quod procedit, vt omnino idem formaliter cũ eo nego Mai. v.g. atributa Dei: quia à nobis intelliguntur, vt passiones Dei, intelliguntur virtualiter procedere ab eius essentia, & tamen non requirunt in Deo potentiam passiuam, in qua recipiantur: quia formaliter identificãtur, cum essentia à qua procedunt. Similiter Ergo: quia Persona diuina procedens formaliter identificatur cum essentia, quæ est principium, quo eius, & ratione cuius manet in Persona producente, ideo non datur in Deo potentia passiua, & receptiua illius.

Ad confirmationem, nego Min. Ad probationem nego Antecedẽs: nam quando, id quod procedit formaliter identificatur cum actu purissimo, qui est principium eius, quo, quomodo Persona diuina procedens identificatur cum essentia Patris, qui est principium, quo illius, non intelligitur supponere potentiam passiuam, aut receptiuam illius: quia hæc solum supponitur ad recipiendum actum distinctum, & Persona diuina non est distincta ab essentia.

Ad tertiũ. Multi, quos refert Capreol. vbi supra, censent Antecedens

esse

esse verum, Alij vero vniuersaliter negant illud, censent enim omnem actionem esse productiuam alicuius termini, sed hos alias expugnabimus, modo vero, quod attinet ad nostrum propositum nego Antecedens. Nam per actiones immanentes producuntur in nobis habitus, & per actiones intellectus agentis producuntur in nobis species intelligibiles, & vt alias docui per actum voluntatis qui est peccatum Mortale producitur in voluntate habitualis quędam inclinatio, qua phisicè inclinamur in creaturam, vt in vltimum finem, & per imperium practicum intellectus producitur obligatio legis, vt habet D. Thom. 1. secundæ Quæst. 90. Ar. 1. ad 2.

Ad primam autem probationem in contrarium varie respondent Theologi, quidam dicunt Aristo. Solum voluisse, quod per actionem transeuntem producitur terminus, qui manet finita, actione per immanentem vero nihil producitur, quod illa transacta maneat, ita Conrad. 1. secundæ Quæst. 90. Art. 1. ad 2. & Belarm. lib. 2. de Christo c. 17. Suarez disp. 44. in meth. sect. 8. num. 13. & disp. 48. sect. 2. nu. 21. & Molina hic disp. 8. memb. 2.

Alij vero dicunt Aristo, Solum voluisse per actionem transeuntem produci terminum, ad quem ordinatur ipsa actio transiens, per immanentem vero non produci terminum ad quem ipsa ordinetur, sed potius qui ordinetur ad perficiendam, & complendam ipsam actionem immanentem, qualiter dicemus verbum ordinari ad intellectionem, ita Capre. in primo dist. 27. Quæst. 2. ad 2. secundo loco contra primam, & Caiet. hic §. ad 5. dub. Ferrar. 3. contra Gentiles c. 2. Conrad. vbi supra, & Molina membro 4. ad primum.

Tertio, Alij dicunt Aristot. solum voluisse per actiones transeuntes produci terminum extra subiectum operans, non vero per immanentes.

Sed contra primam explicationem facit, quod habitus, & habitualis inclinatio voluntatis ad creaturam, vt vltimum finem, & obligatio legis manent finitis actibus immanentibus per quos producuntur. Secundo quia illuminatio aeris, & conseruatio creaturarum à Deo sunt actiones transeuntes, & tamen termini earum non manent eis finitis.

Contra secundã etiam explicationem facit, quod nec habitualis voluntatis inclinatio ad creaturam, vt vltimum finem ordinatur ad perfectionem peccati Mortalis præteriti per quod producitur, neq; habitus productus ad perfectionem actuum præcedentium per quos generatur, nec species ad perfectionem abstractionis, Ergo.

Contrà tertiũ modũq dicendi facit, quod per actiones immanentes intellectus agentis extra ipsum in intellectu possibili producuntur species, & illuminantur principia.

Dicendum, Ergo est Arist. dupliciter intelligi. Primò, quod actiones transeuntes habent terminum productum per eas, qui sit finis earum, per immanentes vero nullus terminus producitur, qui sit finis earum, sed qui ordinetur ad ipsas, vel ad alias operationes aut fines, vt per abstractionem producuntur species, quæ non ordinantur ad ipsam abstractionem, Sed ad intellectionem, ita D. Thom. lib. 1. Eticorum c. 1. litera. C.

Secundo Aristot. non loqui vniuersaliter, sed permissiuè, quod aliqua operatio immanens non habet terminum, vt visio. Licet aliqua transiens habeat terminum vt ædificatio, ita D. Thom. 9. methaph. tex. 16. litera G. & Cai. hic, & id sonant expresse verba Arist. loquitur enim de quibusdam immanentibus, & transeuntibus dum ait. Cum autem quorundam quidem vltimum sit vsus vt visio, & nihil præter hanc aliud a visu fiat opus, & a quibusdam vero fiat aliud, vt ab ędificatiua &c.

Ad secundam probationem Respondeo, quod licet per se primo tales actiones sint institutæ, vt vniant potentias obiectis, tamen: quia ad istam vnionem perfectam faciendam aliquando est necessarium producere terminum, vt dicemus dubio sequenti, ideo secundario ordinantur ad illud producendum, vt ratione eius perfecte vniant potentias obiectis.

Respondeo secundo, negando Antecedens: Nam per timorem, aut odium non vnitur voluntas obiectis, sed refugit ab illis, & per abstractionem specierum non vnitur intellectus agens obiectis cognitis, sed remouet a phantasmatibus conditiones indiuiduales.

Ad tertiã probationem, nego Consequentiam, nam diximus doctrinam Arist. non esse vniuersalem, Sed particularem in aliquib.

Ad quartam Capreo. vbi supra sentit verbum non producere aliud verbum, quia solum durat durante intellectione per quam producitur, & non possumus habere simul plures intellectiones, ita quod verbum vnius producat verbum alterius. Sed contra hoc est, quod possumus simul intelligere plura per modum vnius, vel ordinata ad vnũ, vel saltim minus perfectè, & attentè, vt vult Ferrar. Tunc, Ergo vnum verbum posset aliud producere, & ita verum esse docet D. Tho. de potentia Quæst. 9. Art. 9. ad 1. & Caie. hic §. ad cuius euidentiam, in fine, & Ferra. 4. contra Gentiles c. 13. in principio, & ratione: quia

cognitio

cognitio cõclusionis causatur ex cognitione principiorum, Ergo verbum, quod perficit cognitionẽ principorũ poterit causare verbum conclusionis. Vel dicatur, quod licet aliqua forma sit operatiua, non ideo aliæ eiusdem generis etiam perfectiores debent esse operatiuæ, vt visio beata est perfectior lumine gloriæ, quod est operatiuum, & ipsa non est operatiua, & gratia non est operatiua, & est perfectior, & eiusdẽ generis cũ virtutibus super naturalibus, quæ sunt operatiuæ.

Ad quartum, Principale distinguo Maior. quando terminus actionis immanentis, fit per illam &c. Necessarius ad eius complementum transeat Maior. Nego vero illam quando talis terminus productus non est factus, nec necessarius ad eius complementum, Sed producitur ex fœcunditate naturæ, quo modo Personæ diuinæ procedunt in diuinis, vt infra dicemus, & ideò nec sunt imperfectiores actionibus diuinis, nec ordinantur ad earum complementum.

Ad confirmationem negandum est Antecedens, vt ibi docui, Nam ideo perfectissimus gradus imaginabilis, est intellectualis, propter quod ipsa essentia Dei formaliter est suum intelligere, vt aliàs docuimus, neque ex hoc sequitur potentiam Dei exhauriri quoad gradus rerum: quia non ex impotentia Dei, Sed ex impossibilitate obiecti prouenit, quod non possit fieri alius gradus nobilior, sicut non exhauritur potentia Dei, quia non potest simul verificare duas contradictorias, quia id prouenit ex impossibilitate obiecti, non ex impotentia Dei.

Ad quintum, Vazq. hic disp. 141. Cap. 4. & auctores citati in argumento censent actus immanentes non esse veras actiones, nisi grammaticaliter, & quoad modum significandi: Quia scilicet sunt veræ qualitates significatæ per modum actionis.

Sed contra est, quod Beatitudo consistit in operatione, vt ostenditur, 1. 2. Quæst. 3. & tamen consistit in intellectione, Ergo.

Confirmatur, quia Beatitudo est vita iuxta illud Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te &c. Vita autem actualis est operatio, vt ostenditur supra Quæst. 18. Art. 2.

Secundo probatur. Intellectus, vt sic est potentia vitalis ordinata ad intellectionem, vt sic, Nam, & diffinitur per illam, vt per finem, Ergo intellectio est vera operatio: Nam potentia actiua de se ordinatur ad operationem.

Confirmatur: quia aliàs Deus posset vniri nobis in ratione intellectionis, vel amoris cuius contrarium ostenditur. Prima secundæ in materia de Beatitudine, & 2. 2. Quæst. 23. Art. 2. & in tertia parte.


Imò vero posset Deus in nobis sine nobis causare amorem, cuius contrarium ostendit D. Th. in prędicto Art. 2. sequela patet: Nam tota repugnantia huius est: Quia amor est actio vitalis procedens à principio intrinseco, Ergo si non est actio vitalis non est cur non possit à Deo produci immediatè, & Deus vniri in ratione illius.

Tertio natura intellectualis, vt sic, habet aliquam actionē sibi propriam ad quam ordinatur, vt ad finem eo modo, quo vnaqueq; res, teste Aristot. in libris de Cælo, est propter suam operationem, hæc autem operatio, ad quam ordinatur natura intellectualis, vt sic, est intellectio; Nam dictio, quæ etiam est operatio intellectus non est vltimatus finis eius cum ex se ordinetur ad intelligere, Ergo.

Ad quintum Ergo nego Antecedens pro secunda parte: Nam licet sint qualitates, sunt tamen etiam actiones spirituales, quæ non includunt motum, & ideo non pertinent ad prædicamentum actionis de quo alias.

Ad primam probationem, distinguo Minorem esse naturale non est operari. Cōcedo Minorē esse intellectuale actuale nego Minorē: Nam intelligere est esse excelentioris generis, quam esse naturale; & ideo est operatio, de quo latius supra Quæst. 14.


Ad secundo probationem, nego Minorem. Ad probationem explico Antecedens. Potentia actiua agens per motum physicum concedo Antecedens, agens sine motu physico, Nego, quod solum sit potentia transmutandi aliud realiter distinctum, Sed satis est si transmutet aliud distinctum formaliter scilicet se ipsam, vt receptiuam sui actus: Nam sic est distincta à se ipsa, vt productiua illius.



DVBITATVR III.

An actio immanens per quam procedit Filius in diuinis formaliter sit intellectio, an alia actio diuina.

Videtur quod sit alia actio distincta.



PRIMO quia Pater distinguitur à Filio actione, quâ producit illum, vt infra ostendetur, & non distinguitur intellectione, Ergo actio, qua producitur non est intellectio. Consequentia est manifesta, & Min. est Augustini lib. 7. de Trinitate Cap. 7. dicentis idem intelligere esse in Patre, & Filio, & in eo non differre. Maior autem est eiusdem Aug. de Trinitate Cap. 4. & Damasce. lib. 1. Cap. 9. & 11. dicentium Patrem distingui à Filio: Quia genuit illum. Cuius ratio est: quia Pater paternitate distinguitur à Filio, teste autem D. Tho. hic Quæst. 41. Art. 1. ad secundũ paternitas non differt à generatione nisi in modo significandi, Ergo.

Confirmatur actio: qua procedit Filius est formaliter relatio, Sed intelligere Dei est absolutum, Ergo. Maior patet: quia non est cõmunis toti Trinitati, & vt dictum, est solum in modo significandi distinguitur à paternitate. Minor autem certa est, & Consequentia patet, quia in diuinis distinguntur absoluta à relatiuis.

Secundo Arguitur: dicere est prius, quam intelligere, Ergo distinguitur ab intelligere, & includit illud, & per Consequens generatio actiua Patris, quæ est dictio eius distinguitur ab intellectione illius. Consequentia patet: quia prius distinguitur à posteriori, & non includit illud. Antecedens autem probatur dupliciter. Primo, quia dicere est prius, quam verbum, quod per illud producitur, intelligere vero est posterius, vel simul cum verbo, vt hic explicabimus, Ergo de primo ad vltimum, dicere est prius, quam intelligere. Secundo subiectum intellectionis est prius illa: Nam ideo diffinitur per illud, vt per prius, de quo vide D. Thom. Caiet. infra Quæst. 77. Art. 3. Sed dicere est prius, quam obiectum intellectionis, quia est prius verbo, quod, vt dicemus, est obiectum immediatum intellectionis, Ergo.

Tertio Arguitur. Intelligere Dei est essentiale, absolutum, & commune Trinitati, dicere vero, & generare, est proprium, & notionale

nale Patris, & relatiuum, Ergo distinguitur ab intelligere sicut relatiuum ab absoluto.

Confirmatur tripliciter. Primo, quia dicere, vel generare, & intelligere sunt actiones, quæ habent principia, & terminos distinctos, Ergo non sunt eadem actio formaliter. Consequentia patet, quia ex distinctione principiorum, vel terminorũ distinguntur actiones. Antecedens autem pro prima parte patet: Nam principium dictionis, vel generationis est intellectus diuinus, vt est in Patre connotando Paternitatem, & in Patre, teste D. Thom. infra Quæst. 40. Art. 3. ad 3. datur potentia respectu generationis, respectu vero intellectionis non damus potentiam in Patre: quia est ipsa essentia Dei, quæ non habet principium, de quo D. Tho. infra Quæst. 41. Art. 4. ad 3. Ergo. Pro secunda parte patet etiam idem Antecedens, nam terminus immediatus intellectionis est essentia Dei: terminus vero immediatus dictionis est verbum, Ergo.

Secundo dicere est productio verbi intelligere vero est ipsum esse verbi, vt dicetur Art. 2. dubio vltimo, Ergo distinguntur: quia productio, & existentia formæ distinguntur inter se.

Tertio quia D. Thom. infra Quæst. 34. Art. 1. ad 3. & Quæst. 37. Art. 1. & 2. ait quod intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur, Sed solum, quædam informatio intellectus, dicere vero principaliter importat habitudinem ad verum conceptum nihil enim aliud est dicere, quam proferre verbum, Sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, & Quæst. 40. Art. 3. ad 3. ait, quod intellectio, & volitio Dei non sunt tales actiones, quæ designent processionem alicuius personaliter procedentis, sicut dicere, Ergo dicere, & intelligere non sunt formaliter idem: quia distinguntur, quod principaliter dicit originem, & processionem, & quod nullo modo dicit illam.

Arguitur quarto: Quia alias intellectio esset actus imperfecti, & verus motus, vt diffinitur 3. Physi. Cap. 2. scilicet actus entis in potentia, vt in potentia consequens est contra Arist. lib. 2. de anima, Ergo. Sequela patet. Illud dicitur imperfectum, quod est in potentia ad esse alicuius formæ, & illa actio dicitur, actus imperfecti, qua producitur aliqua forma, qua subiectum caret, Sed si intellectio formaliter est productio verbi intellectio erit actio, qua producitur verbum, quo caret intellectus, Ergo.

Confirmatur, quia alias, si intellectio, vt sic, est productio verbi,

bi, verbum produceretur per omnem intellectionem, quod esse falsum patet in intellectione essentiali Dei, & in visione Beata, vbi non formatur verbum.

Quinto Arguitur. In Deo datur duplex ratio substantiæ virtualiter distincta, scilicet essentia, & personalitas, quæ distinguuntur quia essentia, est communis, & absoluta, & prior personalitate, sicut essētialia ratione sūt priora notionalibus, personalitas vero est propria relatiua, & posterior essentia; Sed etiam intellectio, est communis, absoluta, & prior, quam dictio, quæ est relatiua propria Patri, & posterior; Ergo eodem modo debemus, saltim virtualiter distinguere istas duas actiones.

Sed contra est, quod dicitur in secunda conclusione Articuli.

Quod quicumq; intelligit ex hoc ipso, quod intelligit format verbum, si autem verbum procederet ex alia actione distincta ab intellectione, non procederet formaliter ex hoc, quod intelligit, Sed ex hoc, quod habet aliam actionem.

IN hoc dubio, omissa sententia. Durandi, quam Art. 5. damnabimus, sunt quinq; modi. Primus est non quamcunq; intellectionem, neq; simplicem assensionem rei esse productionem verbi, Sed illud produci perfectum quidem quando peracto discursu peruenimus ad cognoscendam quidditatem, & diffinitionem rei, imperfectum vero quando homo discurrit, & nondum peruenit ad cognoscendam rei diffinitionē, ita Enriquez quodlibet 6. Quęst. 1. & videtur hæc sentētia esse Aug. lib. 15. de Trin. Cap. 15. vbi ait verbū formari quando non sunt volubiles cogitationes: Quia scilicet tunc formatur perfectum, applicando vero hæc ad Deum ait Enric. in Deo intelligere essentiale esse simplicem apræhēsionē rei, & veluti imperfectum, & ideo per illud non formari verbum, Sed per intelligere notionale, quod est proprium Patri, & intellectio perfecta, & veluti quiditatiuā.


Secundus modus dicendi est. In nostro intellectu dari duo realiter

ter distincta, scilicet intellectionẽ, quæ non est actio productiua verbi, Sed qualitas identificatiua cum verbo; & dictionem, quæ est actio de prædicamento actionis, & est ipsa productio intellectionis, & verbi, & ita dicunt auctores istius sententiæ, verbum non produci ab intelligentia, id est, ab intellectu, vt actualiter intelligente, Sed a memoria fæcunda, idest ab intellectu, qui quatenus actuatur specie intelligibili habet virtutem fæcundam producendi verbum, ita Scotus in primo dist. 2. Quæst. 7. & dist. 27. Quæst. 1. & 2. Aureo. Gabri., & Ocam. ibidem Alensis. 1. p. Quæst. 42. memb. 2. & alij, quos refert Palude. in 1. dist. 10. Quæst. 3. & expresse tenet idem Suarez lib. 1. de Trin. Cap. 7. num. 6. Applicando autem hæc ad diuina, Scotus, Suarez, & Molina hic dist. 8. membro 2. §. Verumtamen. Dicunt, quod licet in Deo non distinguantur realiter dicere, & intelligere, distinguuntur tamen instar duarum rerum, quarum vna, scilicet dicere, est realis productio verbi, altera vero, scilicet, intellectio, non est actio, neq; emanatio, aut productio verbi, & ita secundum eos processio verbi non est per intelligere diuinum, vt sic.

Tertius est, actionem, per quam producitur verbum, realiter esse eandem cum intellectione distingui vero formaliter, & ita verbum diuinum procedere quidem per intellectionem diuinam realiter, Sed non vt est intellectio, neq; actio, sed quatenus est productiua, quæ ratio est distincta a ratione actionis, quæ est intellectio, ita Ferrar. in 4. Contra Gent. Cap. 13. & Torres 1. p. Quæst. 27. Art. 1. disp. 1. & alij.

Quartus est, quod in Deo datur duplex intellectio altera essentialis, absoluta, & cõmunis toti Trinitati, & hæc non est productio verbi. Altera notionalis relatiua, & propria Patri, & hæc est productio verbi Ita insinuat Vazq. hic disp. 112. Cap. 3. & tenẽt alij relati ab Aureolo in primo dist. 23. & à Torres hic Art. 5. in 2. parte disputationis.

Quintus, est intellectionem, & dictionem, vt est productiua verbi, sola ratione distingui, ita Capre. in 1. dist. 27. Quæst. 7. conclusione 2. & Caiet. hic 3. ad secundam dubitationem.



C Sed

Sed pro explicatione.

Conclusio I.



ICO primo. Per simplicem apræhensionem intellectiuam rerum producitur verbum. Hæc conclusio, est expressa D. Thom. 1. 2. Quæst. 90. Art. 1. ad 2. Eandem habet hic vbi docet, quod quicunq; intelligit ex hoc ipso, quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, & dicitur verbum cordis, & significatur verbo vocis, Sed verbo vocis significatur, quod cognoscitur per simplicem apræhensionem, Ergo per illam formatur verbum cordis. Idem docet D. Tho. Ioan. 1. lect. 1. & quodlibe. 1. Art. 11. & de potentia Quæst. 8. Art. 1. & Quæst. 9. Art. 5. & de veritate Quæst. 4. Art. 2. & de spiritualibus creaturis Art. 9. ad 6.

Secũdo. Verbum ponitur in intellectu vt, iuxta doctrinam Arist. 6. metha. tex. 8., eius obiectum sit intra ipsum, & vt per illud intellectus fiat actualiter similis rei intellectæ, Sed etiam intellectus in simplici apræhensione rerum debet habere obiectum sibi intrinsecum, & debet effici actualiter similis rei intellectæ, Ergo etiam per illam debet formare verbum, vt habeat prædictas conditiones.

Tertio, Simplex intellectio rei est cogitatio, Ergo est dictio, & productio verbi. Antecedens est Aug. 14. de Trinitate Cap. 7. Consequentia vero probatur, quia idem Aug. lib. 15. de Trin. Cap. 7. & fulgentius lib. 3. ad Monimum Cap. 7. dicunt idem esse cogitare, & dicere intellectuale, quod est proferre verbum: nam sapientiæ 7. dicitur Dixerunt intra se cogitantes, & Math. 9. & alias in scriptura per eodem sumitur dicere, & cogitare. Aug. vero in contrarium citatus, loquitur de cogitationibus præcedentibus cognitionem rei, quibus scilicet cogitamus an aliquid debeamus cognoscere, vel non: per illas enim non formatur verbum rei cognoscendæ, ita Augustinum explicat D. Thom. Ioann. 1. lect. 1. & de potentia Quæst. 9. Art. 9. quod vero attinet ad diuina falitur Henricus: nam intelligere essentiale Dei est infinitè perfectionis; includens perfectionẽ omnium intellectionum, siue illa sit simplex apræhensio siue discursus, vel assensus, siue directa siue reflexa, & includit omnem perfectionem, quam dicit intelligere notio-

notionale, Ergo propter suam imperfectionem non impeditur a productione verbi.

Conclusio II.

DIco secundo. In nostro intellectu non dantur duæ res, quarum vna sit productio verbi, & altera sit intellectio non productio verbi. Probatur nam D.Thom.hic,& de potentia vbi supra absolute concedit verbum produci per actum intelligendi, & hic Quæst. 34. Art.1.ad 2. ait, quod dicere principaliter importat habitudinem ad verbum conceptum, & mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti, Ergo dicere non distinguitur realiter ab intelligere tanquam res omnino distincta siquidem includit illud: nam includit habitudinem ad rem intellectam, quæ, teste D.Thom. ibi, est ipsum intelligere. Idemq; D. Thom.de veritate Quæst. 4. Art. 2. ait verbum esse effectum actus intelligendi, Sed est effectus dictionis, Ergo dicere, & intelligere sunt idem,& ibidem in solutione ad 5. ait, quod dicere in nobis non solum significat intelligere, Sed intelligere cum expræsione verbi, & quia nos aliter intelligere non possumus, nisi exprimendo verbum, ideo omne intelligere in nobis proprie loquendo est dicere, Et tandem 4. Contra Gent.Cap.11. ait de ratione verbi esse, quod procedat ab intelligente secundum suum intelligere cum sit quasi terminus operationis intellectualis: intellectus enim intelligendo concipit, & format verbum.

Secundo probatur. Verbum procedit ex cognitione, & scientia eius rei, cuius est verbum, vt dicunt Aug. 15. de Trinitate Cap. 7. & D.Thom.infra Quæst.34. Art. 1. ad 3. & Art. 3. Sed procedit ex dictione, Ergo dictio, & cognitio rei sunt idem.

Confirmatur nam, vt diximus conclusione prima omnis cogitatio est productio verbi cogitatio vero est ipsa cognitio, & intellectio rei, Ergo productio verbi est idem, quod intellectio.

Vltimo: nam alias Deus posset facere, vt intellectus diceret, & produceret verbum, & tamen nihil intelligeret. Consequens implicat, Ergo sequ. patet in sententia Scoti tenentis posse Deum eas res, quæ distinguuntur realiter, separare realiter ad inuicem, & vnam conseruare, sine alia: nam tunc, cum in sententia Scoti dictio, & intellectio

realiter distinguantur, poterit Deus separare dictionem ab intellectione, & conseruare sine illa. Minor vero patet, quia intellectus vt sic, cum essentialiter sit potentia intellectiua, nihil potest operari; nisi intelligendo, sicut nec visus, aut auditus possunt aliquid operari, quod non sit videre, aut audire, alias enim si nihil intelligeret nihil diceret, sicut nihil diceret termino vocali, qui nihil voce significaret.

Confirmatur, Intelligere, vt diximus ex D. Thom. est dicere habitudinem ad rem intellectam, Sed implicat intellectum producentem verbum non dicere talem habitudinem ad id cuius est verbum; Ergo implicat illum producere verbum, & non intelligere. Minor patet: nam verbum de se dicit habitudinem ad id, cuius est verbum, Ergo subiectum, quod afficit, scilicet intellectus necessario ratione illius dicet talem habitudinem: quia hic est effectus formalis talis formæ inseparabilis ab illa.

Applicando autem hæc ad diuina nostra conclusio est certior certissimum enim est in Patre Diuino non reperiri duos actus intellectus realiter distinctos, quorum vnus sit intelligere, & alter dicere: quia enim relationes non distinguuntur realiter ab essentia, ideo dicere, quod in Deo significat relationem, non distinguitur ab intelligere, quod est essentia Dei.

Sed arguit Suarez pro Scoto: Nam illæ productiones sunt realiter distinctæ per quas procedunt qualitates realiter distincte, distinguuntur enim ex terminis, & cum illis identificantur, & ideo debent realiter distingui, sicut & termini, sed dicere, & intelligere sunt productiones per quas procedunt qualitates realiter distincte, Ergo. Minor probatur: quia verbum, & intellectio in opinione Thomistarum distinguuntur realiter, Sed dicere est productio verbi: intelligere vero, vt est actio, est productio ipsius intellectionis realiter distinctæ a verbo, Ergo.


Sed Respondeo dupliciter. Primo negando Minor. nam verbum, & intellectio per se producuntur, Sed verbum producitur propter intellectionem: vnica autem actione possunt produci diuersi termini quorum vnus ordinatur ad alium v. g. eadem creatione producitur Angelus, & existentia eius, & eadem absolutione baptismali producuntur character, gratia, & virtutes, quæ sunt res distinctæ.

Secundo Respondeo distinguendo Maior. quando illæ qualitates productæ ita sunt termini productionum, quod nulla earum est ipsamet productio; Transeat Maior. Nego tamen illam quando aliqua earum est ipsamet productio sui, & quia dicere, quod est productio

verbi,

verbi, est etiam productio sui ipsius, vt est intellectio, ideo licet intellectio, & verbum realiter distinguantur non oportet ibi esse duas productiones, & actiones. Exemplum huius reperitur in abstractione, per quam producuntur species intelligibiles realiter distinctæ ab illa, & quia quælibet actio est productio sui ipsius, abstractio etiam, quæ est quædam qualitas, cum sit actio spiritualis, & immanens, etiã est productio sui ipsius, & non opportet ponere duas actiones, quarum vna producatur abstractio, altera, species.

Conclusio III.



DICO tertio. Dicere non est actio omnino formaliter distincta ab intelligere, neq; distincta ab illo ratione, quomodo distinguuntur genus, & species. Sed quia dicere includit aliquem modum realem, quem non dicit intelligere. Prima Pars conclusionis statuitur contra tertiã sententiam supra relatam, & probatur: Dicere includit formaliter intelligere, Ergo non distinguitur ab illo omnino formaliter Antecedens patet ex testimonio adducto D. Thom. infra, Quæst. 34. Art. 1. ad 2. vbi ait, quod dicere mediante verbo dicit habitudinem ad rem intellectam, quod est esse ipsum intelligere, vt ibi ait D. Thom. Consequentia vero probatur, nam non omnino formaliter distinguuntur illæ rationes quarum vna formaliter includit alteram, quia conuenit formaliter cum illa in ratione eius quam includit.

Confirmatur ex alijs locis, quæ conclusione secunda attulimus ex D. Thom. in quibus ille asserit productionem verbi esse intellectionem.

Secundo probatur in Deo, vt præintellecto Personis non datur aliqua ratio actionis vitalis formaliter distincta ab intellectione, & volitione, Ergo neq; in nobis datur dictio, quæ sit actio omnino formaliter distincta ab intellectione, Antecedens de se patet, & ideo Art. 5. ostẽdemus in Deo tantũ esse duas processiones: quia in illo tantũ reperiuntur duæ actiones immanentes, scilicet intelligere, & velle. Consequentia vero probatur: quia si in natura intellectuali esset alia ratio distincta actionis spiritualis, & immanentis, illa seclusis imperfectionibus reperiretur in Deo, sicut reperiuntur in eo attributa pro-

portionata cæteris perfectionibus noſtris, ſeclusis imperfectionibus.

Tertio. Implicat intellectum proferre verbum mentale, quin eo ipſo intelligatur fieri rem intellectam in eſſe intelligibili, & dicere habitudinem ad eam, Ergo implicat intelligere rationem formalem dictionis, quia in ea intelligatur incluſa ratio intellectionis, Conſequentia patet, quia intelligere eſt dicere habitudinem ad rem intellectam, & intellectum fieri illam in eſſe intelligibili. Antecedens autem probatur: quia dictio eſt actio vitalis cuius terminus ſcilicet verbum manet in ipſo intellectu, verbum autem eſt forma actualis, & expreſſa rei intellectæ in eſſe intelligibili, & ideo, ſicut implicat albedinem in eſſe alicui, quin faciat illum album, ita implicat verbum ineſſe intellectui, quin faciat illum eſſe rem intellectam in eſſe intelligibili, & dicere habitudinem ad eam.

Secunda pars concluſionis eſt contra Vazq. hic, diſp. 112. Cap. 3. vbi ait hæc duo diſtingui, ſicut homo, & animal, Sed noſtra concluſio probatur: quia ratio productionis verbi non eſt differentia intellectionis, vt ſic, nec dicit aliquid intrinſecum intellectioni, vt ſic, Ergo nō cōſtituit ſpeciem intellectionis. Conſequentia patet, quia differentia conſtituens ſpeciem ſub aliquo genere, importat rationem intimam, & pertinentem ad ipſam rationem generis. Antecedens verò probatur: quia intelligere ſpecificatur ab obiecto formali, & ideo, quod non dicit rationem formalem, & ſpecificam obiecti formalis non dicit aliquid contentum ſub ratione intellectionis, producere autem verbum non eſt aliqua ratio formalis obiecti, Sed eſt quidam modus fœcunditatis regulariter coniunctus cum intellectione, Ergo.

Tertia pars concluſionis eſt D. Thom. de veri. Quæſt. 4. Art. 2. ad 5. pro cuius declaratione notandum eſt intellectum actuatum ſpecie intelligibili eſſe ſufficiens principium proximum intellectionis, quia vero actualiter intelligere rem eſt intellectum actualiter eſſe rem intellectam in eſſe intelligibili, & ad eſſendum rem intellectam iſto modo requiritur, vt intellectus habeat formam actualem rei intellectæ, & non habeat illam, licet habeat ſpeciem intelligibilem, niſi illa ſit omnino infinita, & pure actualis, vt contingit in cognitione eſſentiali Dei, & viſione beata, vbi eſſentia diuina: quia eſt omnino infinita, & pure actualis habet & rationem ſpeciei intelligibilis, & formæ actualis intelligibilis, ideo ex hoc, quod intellectus cum ſpecie eſt principium ſufficiens intellectionis, eſt etiam ſufficiens ad producendum verbum, quod eſt forma actualis per quam intellectus fit actualiter res intellecta, in eſſe intelligibili, & quæ eſt neceſſaria ad illam

intelli-

intelligendam, & ita dicere non est intelligere quocumq; modo, Sed intelligere producendo formam actualem requisitam ad intellectionem, scilicet verbum.

Ex hoc patet tertia pars conclusionis: Nam, quia dicere est intelligere rem producendo verbum necessarium ad intellectionem, sequitur necessario, quod non distinguatur ab intellectione tanquam ratio formalis omnino distincta, & nullo modo includens illam, nec tanquã ratio inferior distincta à superiore, Sed eo modo, quo intellectio habens istum modum intrinsecum producendi verbum, distinguitur ab ipsamet intellectione sine tali modo, & productione. Exemplum huius reperitur in actibus scientiæ generantibus habitum. Etenim illi, vt sunt scientiæ, & vt generant habitum non distinguuntur formaliter inter se, nec vt species à genere: quia vt sunt generatiui habitus non dicunt aliquid per se pertinens ad obiectum scientificum, Sed sunt eiusdem omnino rationis, & vt generant habitum, habent quendam modum causalitatis, quem non habent, vt terminantur ad obiectum scientificum, vnde post generationem habitus manent eiusdem speciei circa idem obiectum formale, & tamen non habent illum modum causalitatis, ita similiter. Dicere, & intelligere sunt idem actus, & solum differunt ex modo: quia dicere habet modum producendi verbum, quem non habet intellectio, vt sic.

Conclusio IIII.



DICO quarto, & vltimo. Processio Filij in diuinis nõ est per intelligere notionale, quod sit actus distinctus ab intelligere essentiali, Sed per ipsummet intelligere, essentiale quod est commune omnibus Personis diuinis, quatenus Pater babet illud à se, & non ab alio.

Prima pars probatur in Patre enim non ponimus duos intellectus formaliter distinctos, vnum essentialem, & alterum notionalem, Sed tantum vnum essentialem, qui in Patre habet quédam modum personalem, quem non habet in Filio, & Spiritu Sancto, Ergo idem erit de intellectione. Antecedés patet dupliciter Primo, nã in Patre nõ ponimus duas iustitias, misericordias, vel potétias, vnã essétialẽ, alte-

tam notionalem, licet Pater habeat ista à se, & non ab alio sicut Filius, & Spiritus Sanctus habent ab alio, Ergo idem erit de intellectu.

Secundo probatur: quia D. Thom. infra Quæst. 37. Art. 2. ad 1. ait quod intelligere in diuinis solum est essentiale, Ergo, & intellectus Dei solum est essentialis: quia ibi, idem prorsus, & formaliter sunt intelligere, & intellectus: quia intellectus diuinus est pura actualitas, nihil dicens de potentialitate, & per consequens est ipsum intelligere. Consequentia vero principalis etiam probatur. Dupliciter.

Primo ratione facta: quia in Deo idem prorsus formaliter sunt intellectus, & intelligere.

Secundo, quia intelligere essentiale Dei, & est actus simpliciter infinitus, & omnino adequatus intellectui Dei, prçter actum autem omnino adæquatum alicui potentiæ non datur alius eiusdem potentiæ, Ergo.

Secundo probatur conclusio: intelligere notionale nõ potest distingui ab essentiali, nisi per relationem, Sed per relationem non potest constitui aliquod intelligere diuinum distinctum ab essentiali, Ergo illud non datur. Maior patet: quia notionalia solum distinguuntur ab essentialibus, quia super addunt relationem illis, Minor vero patet, quia omnis actus intelligendi dicens ordinem ad obiectum cognitum est actus vitalis, relatio autem non est actus vitalis, Sed terminus diuinæ naturæ constituens personam, & secundum se non dicit ordinem ad correlatiuum, Sed ratione essentiæ, quam includit, vt docent D. Thom. & Caiet. infra Quæst. 34. Art. 3. ad 1. & 4.

Secunda pars conclusionis patet ex prima: Nam, si processio Filij est per intelligere diuinum, & illud non est, nisi vnum essentiale, debet esse per intelligere essentiale.

Tertia vero pars patet: nam idem intelligere essentiale est in Filio, & Spiritu Sancto, & tamen per illud non procedit ab eis Filius, Ergo vt per illud procedat Filius à Patre necesse est, vt in Patre habeat aliquem modum proprium, quem non habet Filius, & Spiritus Sanctus, & hic modus est: quia Pater habet intelligere à se non ab alio, Filius vero, & Spiritus Sanctus habent illud ab alio per processionem de quo vide Caiet. infra Quæst. 37. Art. 1.

Ad primum, Ergo Nego Consequentiam: nam sola distinctio rationis, quæ virtualiter, vel eminenter est formalis sufficit, vt vna Persona diuina conueniat cum alia in vna ratione, & non in alia v. g. essentia, & Paternitas solum distinguuntur ratione modo prædicto, & tamen hæc sufficit, vt Pater conueniat cum Filio in essentia, & distinguatur

guatur in Paternitate. Ita similiter hic sola distinctio rationis; inter dicere, & intelligere Dei, vt explicata est sufficit, vt Pater conueniat cum Filio in intelligere, & distinguatur in dicere.

Ad confirmationem latius infra modo: Respondeo transeat, Antecedens, & distinguo Consequentiam, distinguuntur formaliter. Nego Consequentiam, ratione concedo Consequentiam: quia solum ratione distinguuntur in Deo absoluta, & relatiua.

Ad secundum variè respondent Theologi. Quidam, quod dicere intellectuale est prius, quā intelligere, ita Scotus, & alij, alij vero dicūt prius esse intelligere, quam dicere, quia, vt ostensum est, intelligere clauditur in dicere. Alij tandem: quia prioritas naturæ est prioritas causalitatis, & dicere non est causa intellectionis, vt ipsi censent, neque est contra, ideo sentiunt nullam prioritatem esse inter, dicere, & intelligere.

Sed pro vera explicatione huius rei quattuor notanda sunt.

PRimum est omnem actionem intellectus esse intellectionem, quia oritur à potentia intellectiua, vt sic, vtente sua specie, qua informatur ad eliciendam cognitionem, & mediante illa dicit habitudinem ad rem intellectam, quod est intelligere, vt conclusione 3. diximus ex D. Thom.

Secundum est, quod intellectio consideratur in duplici statu. Primo, vt est in via, & in inchoatione. Secundo, vt est in termino, & complemento. Primo modo consideratur, vt oritur ab intellectu informato specie intelligibili, & tendit ad contemplandum obiectū in verbo producto per eandem actionem, quod est dicere habitudinem ad rem cognitam. Secundo vero modo consideratur, vt est contemplatio obiecti, habetq, quēdam modū quietis spiritualis in cognitione ipsius obiecti.

Tertium est in verbo mentali considerari. Tres rationes. Prima quod est quasi effectus productus, & expræsus per intellectionem, vt est dictio.

Secunda quod est obiectum immediatum, in quo intellectus contemplatur rem ad extra. Negauit hoc Vazq. hic disp. 102. Cap. 4. Sed asseritur à D. Thom. de veritate Quæst. 4. Art. 2. in corpore, & ad 3. & de potentia Quæst. 9. Art. 5. Capreol. in primo dist. 27. Quæst.

1. ad 1. Caiet. hic, & Art. 2. & Ferrar. 1. contra Gent. Cap. 53. Imo id docuit Arist. 2. de anima tex. 59. & 60. & ideo 6. metha. tex. 8. dixit obiectum intellectus esse illi intrinsecum, scilicet ratione verbi, de quo alias.

Tertia ratio est, quod verbum de se est forma actualis formaliter, & actualiter faciens intellectum, & rem intellectam in esse intelligibili: quia enim dictum est, quod intellectum aliquid intelligere est esse illud in esse intelligibili, & intellectus creatus non potest esse illud actualiter nisi ratione alicuius formæ actualis, quæ habeat similitudinem, vel identitatem cum illo in esse intelligibili, & hanc non habet intellectio, ideo oportet ponere verbum, quod sit forma, rei intellectæ in esse intelligibili, vt intellectus habens illam fiat intelligibiliter res intellecta, sicut ex materia, & forma hominis, vel equi in esse naturali fit homo, vel equs in esse naturali: ad hanc vero identitatem in esse intelligibili, quam efficit verbum, vt forma actualis, ipsa intellectio concurrit, vt existentia actualis intelligibilis, & illa habet se ad verbū sicut existentia ad formam, ita D. Thom. & Caiet. infra Quæst. 54. Art. 1. ad 2. & 4. ratio est, quia sicut, vt homo sit actu homo in esse entitatiuo, requiritur forma hominis, & eius existentia naturalis, & entitatiua, qua talis forma actuetur, neq; vnum sine altero potest actu conseruari, forma enim sine existentia erit potentialis non actualis, ita, vt intellectus actualiter fiat homo in esse intelligibili, requiruntur alia dua, scilicet verbum hominis, quod est actualis forma eius in esse intelligibili, & actualis intellectio, quæ est existentia eius in esse intelligibili, sine qua totus ordo intelligibilis est potentialis tantum, & non actualis. De quo Caiet. supra Quæst. 17. Art. 3. & hic Ar. sequenti.

Contrarium huius tenet Vazq. vbi supra, & disp. 141. C. 4. dicens quod intelligere rem nihil aliud est: nisi informari verbo sine aliqua actione. Sed huius falsitas, & inefficatia argumentorum alias ostendetur.

Quartum est istas tres rationes verbi seruare ordinem inter se, & respectu intellectionis inter se quidem: quia verbum, vt effectus productus per dictionem est prius se ipso, vt est obiectum, vel forma intellectus, quia non habet has rationes: nisi postquam est productum, vt vero est forma actualis intellectus est prius se ipso, vt est obiectum illius. Ratio huius est duplex. Prima, quia verbum non exercet rationem obiecti, nisi vt terminat cognitionem: ad cognitionem autem nostram supponitur ipsum verbum, vt forma actualis intellectus; Ergo

go, de primo ad vltimum verbum, vt est forma actualis nostri intellectus supponitur ad se ipsum, vt est obiectum illius. Minor patet: quia, vt dictum est, intelligere se habet ad verbum, sicut existentia ad formam, & ideo sicut materia non est capax existentiæ: nisi mediante forma hominis, v.g. per quam determinetur ad existentiam hominis potius, quam Leonis, ita intellectus non est capax intelligibilis existentiæ actualis idest actualis intellectionis, nisi per verbum, hominis, v.g. determinetur ad intellectionem hominis, potius, quam Leonis.

Secunda ratio est: Quia de ratione intellectionis est, vt feratur in obiectum eo modo, quo illud actualiter sit vnum in esse intelligibili cum intellectu: Nam ideo cognitio fit per assimilationem, & cognoscẽs fit res cognita, & cognitio eo est perfectior, vel imperfectior, quo cognoscens magis, vel minus perfecte fit res cognita de quo Caiet. supra Quæst. 14. Art. 1. & infra Quæst. 55. Art. 3. circa solutionem ad 3. Sed obiectum non fit actualiter vnum cum intelligente in esse intelligibili per intellectionem, quæ neque est similitudo, neque forma rei intellectæ, nec per species, quia illa est habitualis, Ergo per verbum, vt est actualis forma intellectus, & sic ista ratio supponitur ad ipsum verbum, vt est obiectum intellectus, respectu vero intellectionis, ita se habent, quod intellectio in sui inchoatione, vel vt est dictio est prior verbo, vt est expressum per dictionem: quia est productio illius, & omnis productio in esse rei est prius termino suo, & per consequens est prior verbo, vt est forma, & obiectum intellectionis: quia vt sic verbum supponit se ipsum, vt expressum: intellectio vero in termino, & vt est contemplatio obiecti supponit ipsum verbum, vt est expressum, & forma intellectus, quia ad verbum, vt est forma actualis intellectus habet se, vt esse ad formam: esse autem supponit formam determinãtem esse, & constituentem proprium, & proximum susceptiuum illius, vt dictum est. Tandem: quia verbum non exercet rationem obiecti actualis; nisi vt terminat intellectionem, vt est in suo complemento: ideo, vt est obiectum actu terminans intellectionem supponit illam, licet ratio obiecti, quod ex natura sua est obiectum, vt sic, sit prior intellectione: nam ideo intellectio à priori diffinitur per illud.

Ex his sequitur. Tertiam sententiam relatam in principio huius solutionis esse falsam: nam dicere est prius verbo; & verbum, vt est forma intellectus, est prius intellectione completa, & vt in termino; Ergo de primo ad vltimo dicere est prius natura, quam intelligere, vt in termino: quia saltim virtualiter est causa illius, quia est productio

verbi, quod eſt cauſa formalis, vel determinata intellectionis, vt dictū eſt, ſi vero intelligere ſumatur, vt abſtrahit ab intelligere in via, & in termino: tunc dicere non prius eſt, quam intelligere: quia dicere eſt ipſummet intelligere, vt in via, & ſui ad ſe ipſum non eſt prioritas.

Aliæ vero duæ ſententiæ ibi relatæ ex dictis concordantur: nam. Prima ſententia eſt vera de intelligere, vt eſt in termino: nam dicere eſt prius verbo, quod ordine naturæ ſupponitur ad intelligere, vt eſt in termino, Ergo eſt prius tali intellectione.

Secunda vero ſententia eſt vera, ſi loquamur de intellectione, vt abſtrahit ab intelligere. vt eſt in via, & vt in termino: quia vt dictum eſt ratio intellectionis ſic ſumpta eſt prima ratio, ſub qua oritur omnis actio intellectus, & ideo dictio, quæ eſt operatio intellectus claudit, & ſupponit rationem intellectionis ſic ſumptæ.

Hoc ſuppoſito ad ſecundum principale diſtinguo: Antecedens, Dicere eſt prius, quam intelligere, vt in termino, concedo Antecedens, & conſequentiam. Dictum enim eſt tale intelligere diſtingui a dictione non ſicut actus diſtinctus, Sed ſicut idem actus cum quodam modo diſtinguitur a ſe ipſo ſine tali modo, & ita dicere non includit tale intelligere, vt eſt in termino. Dicere eſt prius quam intelligere vt in via, & inchoatione, & vt intellectio dicit actum procedentem a potentia intellectiua, vt ſic, & vt vtente ſpecie intelligibili, & tendente ad contemplandum obiectum in verbo producto per eandem actionem, Nego Antecedens, neq; eius probationes, aliquid probant contra hoc, Sed ſolum conuincunt eſſe veram primam partem huius diſtinctionis.

Ad tertium concedo totum: nam illo ſolum probatur dicere, & intelligere diſtingui ſola ratione modo explicata, & tali modo ſolum diſtinguuntur in diuinis eſſentialia, abſoluta, & communia a relatiuis perſonalibusq; & proprijs.

Ad primam confirmationem nego conſequentiam. Ad probationem diſtinguo Antecedens. Ex diuerſitate formali principiorum, & terminorum concedo Antecedens. Ex diuerſitate rationis nego Antecedens nam ſatis eſt actiones diſtingui, ſicut principia, & termini earum diſtinguuntur, & ita cōtingit hic: nam eſſentia diuina ſecundum ſe noſtro imperfecto modo concipiendi dicitur ab aliquibus eſſe principium intellectionis, & eſſentia, vt eſt in Patre eſt principium generationis, & eſſentia ſecundum ſe, & vt eſt in Patre ſola ratione diſtinguitur, ſimiliter ſola ratione diſtinguitur eſſentia ſecundum ſe, vt eſt terminus intellectionis, eſſentialis, & eſſentia vt eſt in Filio quo-

modo est terminus generationis. Vel dicatur intellectionem essentialem; quia est ipsa essentia Dei non habere principium, a quo procedat; licet significetur per modum emanationis.

Ad secundam confirmationem nego consequentiam, ad probationem distinguo Antecedens, Esse formæ in esse entitatiuo, concedo Antecedens in esse intelligibili. Nego Antecedens. Nam illud potest esse actualis intellectio: quia sicut existentia est vltima actualitas in esse entitatiuo, ita intellectio in esse intelligibili, & ideo esse Dei, quod est perfectissimum in esse intelligibili est ipsum intelligere, & hac ratione 2. de anima tex. 37. dicitur, quod viuere viuentibus est esse; quia esse vitali in actu, vt sic consistit in operatione vitali, quæ vocatur vita iuxta illud Ioan. 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, Ratio huius est nam, sicut ad esse Leonem entitatiue requiritur eius forma, & existentia entitatiua ita ad esse intelligibiliter Leonem requiruntur forma, & existentia intelligibilis illius; vt autem intelligens leonem sit intelligibiliter leo solum concurrunt verbum eius, & intellectio illius: verbum autem est forma, & non existentia eius intelligibilis, vt dictum est, Ergo ipsa actualis intellectio est existentia intelligibilis illius,

Ad vltimam confirmationem, Respondeo distinctionem rationis prædictam inter dicere, vel intelligere vt in via, & vt in termino sufficere ad illam diuersam habitudinem, & vt detur potentia respectu vnius, & non alterius,

Ad quartum. Nego consequentiam. Ad probationem Respondeo ex D. Thom. 3. de anima lect. 12. illum motum esse actum imperfecti, qui est a contrario in contrarium cum successiua acquisitione termini; ita, quod quando actuat subiectum illud sit in potentia ad terminum acquirendum: nam imperfectum est, quod est in potentia, & ideo motus, qui est actus subiecti existentis in potentia ad acquisitionem termini est actus imperfecti, ille vero motus est actus perfecti, qui non est a contrario in contrarium, nec cum succesiua acquisitione termini, & quia intellectio non actuat potentiam relinquendo illam in potentia ad successiuam acquisitionem verbi, ideo est actus perfecti.

Ad confirmationem. Nego consequentiam: quia non dicimus omnem intellectionem esse productionem verbi, Sed omnem dictionem, vel productionem verbi, vt sic, includere intellectionem, cum quo stat aliquam intellectionem non producere verbum,

Ad quintum. Concedo totum: nam sicut essentia, & Paternitas sola ratione distinguuntur: quia Paternitas præter essentiam, quam inclu-

dis

dit explicat relationem, ita dicere, & intelligere sola ratione distinguuntur: quia dicere præter intelligere essentiale, quod includit explicat modum relatiuum, quem supra diximus.

ARTICVLVS II.

An aliqua processio in diuinis possit dici generatio.

Conclusio est.

Processio verbi in diuinis dicitur generatio, & ipsum verbum procedens dicitur Filius.

Dubitatur Primo.

An ista conlusio sit vera quoad vtramq; partem.



IDETVR, quod non. Primo contra primam partem Arguitur, quod processio Filij non sit propriè generatio viuentis, Sed per similitudinem. Nam ita videntur docere Aug. lib. 3. Thom. 6. contra Maximin. Cap. 14. Dionis. Cap. 5. de mystica Theolo. & Basi. lib. 5. contra Eunom.

Confirmatur dupliciter. Primo Generatio viuētis proprie sumpta intrinsicè claudit mutationē de non esse ad esse, Sed talis mutatio repugnat processioni verbi diuini: quia nunquam transiuit de non esse ad esse, Ergo repugnat ei ratio generationis viuentiū. Consequentia patet: quia illi repugnat aliquod prædicatum, cui repugnat aliqua ratio intrinseca talis prædicati. Maior vero patet: quia ratio generationis communiter dicta, & ratio generationis viuentium sunt essentialiter subordinatæ: alias in generatione hominis

esset

esset duplex ratio generationis omnino distincta, vna communis omnibus generabilibus altera propria viuentium, quod implicat cum per illas non producantur duo termini omnino formaliter distincti, quorum vna ratio non sit formaliter sub ordinata essentiali rationi alterius.

Secundo, Generatio proprie dicta requirit subiectum, in quo fiat, Sed illud non requirit processio verbi diuini, Ergo. Maior est D. Thom. in 2. dist. 1. Quæst. 1. Art. 2. vbi id probat, quia in hoc distinguitur creatio a generatione substantiali, quod illa fit sine subiecto hæc autem ex subiecto potentiali silicet materia prima. Minor vero probat idem D. Thom. infra Quæst. 41. Art. 3. ad 1. quia quod fit ex subiecto fit per transmutationem illius in aliquam formam in processione autem verbi nulla est transmutatio.

Secundo Arguitur. Generatio viuentis per se primo ordinatur ad Filium, vt ad finem, Sed productio verbi non per se primo ordinatur ad illud, Ergo. Maior est Arist. 2. phys. tex. 70. & D. Tho. supra Quæst. 15. Art. 1. & infra Quæst. 44. Art. 4. ad 2. cuius ratio est, quia generatio diffinitur per terminum tanquam per finem, quia ex sua ratione formali est communicatiua essentiæ generantis ad hunc finem, vt generans conseruetur in Filio genito iuxta illud Eccles. 4. mortuus est, & quasi non est mortuus, relinquit enim post se similem sibi. Minor vero est Caiet. hic Art. 1. dicentis verbum per se ordinari ad intellectionem, producitur enim a natura non, vt vltimate intentum, Sed vt per illud fiat contemplatio rei, vt diximus dubio præcedenti, Ergo.

Tertio productio verbi nostri non est generatio viuentis etiam imperfecta, Ergo generatio verbi diuini non est generatio simpliciter, & perfecta. Consequentia patet: quia omnia, quæ perfectè reperiuntur in Deo, vt intelligente; imperfecte, & secundum quid debent reperiri in intellectu nostro: quia conuenit cum diuino in eodem gradu analogico intellectualitatis, & ideo cum talis gradus in nobis, & in deo habeat operationes, & modum operandi eundem annalogicè, quæ in Deo vt intelligente reperiuntur perfecte, in nobis debent reperiri imperfecte, & analogicæ. Antecedens vero probatur, quia verbum nostrum non procedit, vt viuens a viuente coniuncto in similitudinem naturæ: quia cum sit qualitas, quædam non est viuens, nec est simile in natura cum intelligente, a quo procedit, Sed cum re, quam repræsentat, quæ sæpè non est viuens, vt patet in verbo lapidis. Ergo.

Quarto Arguitur. Verbum diuinum non procedit, vt simile naturæ substantiale Patris, Ergo eius processio non est proprie generatio.

Con-

Consequentia patet: quia ad veram generationẽ viuentis pertinet, vt id quod procedit per eam ex vi suæ processionis sit simile ei, a quo procedit, in eo quod habet primariam rationem formalis, & substantialis naturæ, non in eo quod habet rationem naturæ quasi identice: nam ideo, vt dicemus, processio Spiritu Sancti non est generatio: quia per se primo ex vi suæ processionis procedit simile Deo in voluntate: voluntas autem diuina, secundum suam formalem, & præcisam rationem non est prima ratio substantialis naturæ diuinæ, Sed quasi identice: quia identificatur cum essentia Dei: Antecedens autem patet: nam verbum, vt verbum, ex natura sua procedit simile obiecto, & rei cognitæ, secundum rationem, qua est cognita non secundum rationem, qua est cognoscens: essentia autem substantialis, & primaria Patris Diuini non est esse obiectum cognitum, Sed ipsum intelligere, Ergo.

Confirmatur, & explicatur hoc. Filius genitus per se primo assimilatur suo principio productiuo, quoad suam substantiam, & primariam rationem essentiæ: verbum autem diuinum non sic assimilatur per se primo Deo producenti, Ergo non proprie generatur, vt Filius Dei. Minor patet: quia verbum ex sua primaria ratione solum habet esse actuale, & expræssam similitudinem rei, quæ intelligitur, & repræsentatur per speciem, a qua producitur; vt verbum equi, solum habet esse actualem, & expressam similitudinem equi, qui repræsentatur per speciem equi; essentia autem primaria, & substantialis Dei non est esse speciem sui nec intelligi per illam: quia hoc est attributum Dei, Sed primaria, & formalis essentia eius est esse suum esse; & suum intelligere, Ergo licet verbum diuinum per se primo assimiletur Patri, vt repræsentatur, & cognoscetur per suam speciem, non ideo ex vi suæ processionis assimilatur illi, quoad suam primariam essentiam, & per consequens eius productio non est generatio.

Quinto Arguitur contra secundam partem eiusdem cõclusionis, & probatur quod licet verbo diuino conueniat proprie ratio generationis viuentium, non inde bene inferat D. Thom. illud procedere, vt Filium: nam processioni vnius plantæ ab alia conuenit ista ratio propria generationis, & tamen non inde sequitur plantam genitam esse filiam: quia esse filium solum conuenit viuenti cognoscenti, Ergo ex hoc, quod diffinitio propriæ generationis conuenit verbo nisi aliquid aliud addatur non inde sequitur illud procedere, vt filium.

Confirmatur. Ratio verbi, & ratio filij sunt rationes distinctæ, Ergo non possunt terminare eandem generationem formaliter.

Sed

Sed contra est conclusio Articuli.

IN hoc dubio, præter errores, quos referemus dub. sequenti sunt quatuor modi dicendi.

Primus Filium non procedere vt genitum, Sed, vt creaturam ita Arrius, & alij, quos retulimus Art. 1. dub. 1.

Secundus Processionem verbi non esse generationem: quia non procedit Patri similis in essentia, Sed secundum voluntatem. Ita quidam, quos refert Cyr. lib. 1. Thesauri. Cap. 9.

Tertius Proximus huic est, quod Patrem generare Filium, est velle habere consortem sibi, & quod eius processio consistit in voluntate, per cuius actum procedit verbum exquo enim sequitur processionem verbi non esse generationem, quia vt dicetur Art. 4. velle habere consortem sibi aut alius actus voluntatis non est generatio.

Hunc modum dicendi insinuat Ricardus de Sancto Victore lib. 6. de Trin. Cap. 6. & 7.

Quartus est. Processionem verbi: quia est per intellectum non esse proprie generationem: quia generatio est opus naturæ fæcundæ, & non intellectus, ita Durand. in primo dist. 6. Quæst. 2. de quo dicemus Art. 5. Modò verò.

Pro explicatione.

DIco primo. Processio verbi diuini est verè, & proprie generatio viuentis, vt distinguitur a generatione communiter sumpta. Hæc conclusio est de fide, & habetur in Symbolis Apostolorum Niceno, & Athanasij, in quibus dicitur Filium esse genitum non factum, & probatur. Primo ex illo Psal. 109. Ex vtero ante luciferum genui te. hunc locum Christus Math. 22. explicat de se, quod sit genitus à Patre, de quo vide Atha. lib. de vnitate 5. Trinita. & in Oratione contra Arrium, & in disputatione, quam habuit in Concilio Niceno Basil. 5. contra Eunom. Cyril. lib. 2. Thesauri Cap. 2. & Aug. Quæst. 1. ad Orosium, & lib. 3. contra Maximinum Cap. 18. & lib. de Trin., & vnitate Dei Cap. 1.

Confirmatur ex illo Psal. 2. Filius meus es tu, Ego hodie genui te. quem locum D. Paulus ad Hæbre. 1. intelligit de æterna Filij generatione, & ex illo probat eius diuinitatem.

Secundo probatur ex illo Isaiæ 53. Generationem eius quis enarrabit,

rabit, qui locus intelligitur etiam de æterna Filij generatione, vt docent Clemēs Papa Epist. 1. Leo. 1. ser. de natiuitate Sixtus 2. Epist. 1. Cyr. lib. 5. in Ioan. C. 2. Basi. 2. contra Eunomiū, Chrisost. Aug. Hiero., Eusebius, & alij.

Confirmatur ex illo Prouerb. 8. non dum erant abyssi, & ego iam concepta eram, & rursus, Ante omnes colles ego parturiebar Caldeus, & septuaginta legunt. Ego genita eram, quod intelligitur, de Filio Dei. Alia multa testimonia pro hac veritate vide in Concil. Hispal. 2. can. 3.

Dices ista testimonia intelligi de Filiatione adoptiua, vel metaphorice, sicut intelligitur illud Iob. 38. Quis est pluuiæ Pater, & stillas roris, quis genuit? Sed contra hoc est, quod Ecclesia prædicta testimonia intellexit in sensu proprio de generatione naturali: quia nullum sequitur inconueniens ex hoc, quod sic intelligantur, & est regula S. Scripturæ, verba illius propriè esse accipienda quando inde nullum sequitur inconueniens. ita cum Aug. docent Basil. hom. 6. & 9. Examerон. & Hiero. super Abdiam, & Zachar. 4. & in prologo Malachiæ.

Tertio probatur ratione. Ista processio verbi, est verè, & propriè origo viuentis a viuente coniuncto in similitudinem naturæ, Ergo est propriè generatio viuentis. Consequentia patet: quia ista est diffinitio talis generationis, vt sumitur ex Arist. 8. Eticorum Cap. 12. & 7. met. Cap. 8. & primo de generatione animalium Cap. 1. & lib. 2. de anima Capit. 4. quam etiam approbat Elias Cretens. in Oratione prima Nazian. & explicat late D. Thom. 4. Contra Gent. Cap. 11. Circa Antecedens autem oportet explicare duo.

Primum est, declarare singulas partes diffinitionis.
Secundum ostendere omnes illas conuenire processioni verbi.

Circa primum dicitur, quod est origo viuentis, & intelligitur viuentis perfecti, & integri: nam productio partis substantiæ viuentis, quæ generatur non est generatio. Secundo dicitur à viuente & intelligitur formaliter, quod debet procedere à viuente, vt sic, quatenus per actionē vitalem se mouet ad talem productionem, propter quod productio Euæ ex costa Adam non fuit generatio: quia ille non se mouit ad eam, sed solum concurrit materialiter præbendo materia. Tertia particula est, Coniūcto, & significat talem generationem debere esse de substantia, vel parte substantiæ generantis, quæ saltim in

principio

principio generationis sit coniuncta ipsi genito: nam talis generatio fit per semen, quod saltem in principio fuit coniunctum generanti, & fuit aliquid illius, de quo latè D. Thom. vbi supra. Ratio huius est: quia talis generatio est operatio vitalis, & operatio vitalis semper aliquo modo est circa ipsum viuens, & propterea debet ista generatio esse circa genitum, quod sit aliquid ipsius generantis, hoc autem non habent inanimata: nam, ignis nullam sui partem communicat igni genito, & propterea Patres diligunt Filios tanquam aliquam partem sui, ita Arist. lib. 1. Magno. moralium Cap. 34. de quo 22. Quæst. 26. Art. 9.

Vltima particula est, in similitudinem naturæ: quia oportet, vt id, quod propriè perfectè, & connaturaliter generatur, sit eiusdem naturæ saltim specificè cum generante, propter quod vermes, qui oriuntur ex corpore viuo non generantur ab illo isto modo: quia, licet procederent ab illo modo vitali, non tamen procedunt in eadem naturæ specifica.

Dixi, quod generatur perfectè, & connaturaliter: nam in partibus monstruosis, & præter naturam, vt in generatione muli ex Equa, & Asino quales inuenit Ana Filius Sebeon, vt habetur Gen. 36. de quo vide Sixtum Senensẽ lib. 8. Hæres. vlt. teste Arist. 7. meth. tex. 28. non oportet esse similitudinem naturæ specificè, vt Mulus non est eiusdem speciei atomæ cum asino, aut equa, Sed eiusdem generis proximi, vt ibi docet D. Tho.

Secundum vero, scilicet omnes istas particulas conuenire processioni verbi probatur: Nam quod sit Origo viuentis à viuente patet ex illo Math. 16. Tu es Christus Filius Dei viui, idest habens vitam à Patre viuente, & Ioan. 11. dicitur, sicut Pater habet vitam à semetipso sic & Filio dedit habere vitam in semetipso, quod vero sit à principio coniuncto, patet ex illo Psalmi 109. Ex vtero genui te, & Ioann. 1. Vnigenitus, qui est in sinu Patris &c. & ideo infra Quæst. 41. Art. 3. ostendetur Filium esse de substantia Patris, & teste D. Thom. 4. contra Gentiles Cap. 11. ideo sapientia genita, idest, Filius, Prouer. 8. dicitur concipi, & parturiri, vt intelligatur ista cõiunctio, quia partus semper est coniunctus suo principio quãdo dicitur conceptus, & parturiri, licet quia Filius est Persona omninò distincta à Patre, & Filius manet omnino distinctus, quando illum peperit mater sua ideo Isaiæ 66. Deus dicitur parere illum: nam vt habet Concil. 2. Hyspalense can. 13. de hoc etiam intelligitur illud Isaiæ. Qui alios parere facio, ipse non pariam. Idem constat ex hoc, quod Filius, vt potè ver-

bum, est terminus actionis immanentis, & per consequens debet manere in potentia, & supposito producente illum, quod vero procedat in similitudine, vel identitate naturæ ex illo Sapi. 7. & ad Collossē. 1. Qui est imago inuisibilis Dei, de ratione autem imaginis est similitudo naturæ, quando est imago perfectissima. Idem patet ex illo Ioan. 10. Ego, & Pater vnum sumus, & quia verbum, vt sic, participat intelligere Dei, vt dicitur dub. 3. huius Articuli, intelligere autem Dei est eius essentia.

Secunda conclusio.

Dico secundo, duobus modis verificatur Filium diuinum procedere in similitudine naturæ Patris, vel quia procedit similis illi, vt cognoscenti, vel quia procedit similis illi, vt obiecto cognito.

Prima pars huius conclusionis probatur ex Caiet. infra Quæst. 56. Art. 1. §. ad id autē, &c. quod natura intellectualis ex se, vt est radix sui intellectus, & vt antecedit omnem determinationem obiecti radicabiliter determinat suum intellectum ad cognitionem sui, & formandum verbum sui multo efficacius, quam determinetur à sua essentia, vt posterius naturâ vnita in ratione obiecti. Imo talis vnio obiecti: quia inuenit intellectū ex efficacia naturæ veluti in genere causæ efficientis plenè determinatum ad productionem verbi sui solum deseruit, vt potentia habeat obiectum intrinsecè vnitum sibi, vel vt determinet illum in genere causæ formalis, sicut obiectum determinat actū.

Probatur hoc: nam quilibet intellectus, ex natura, qua dimanatus oritur determinatus ad obiectum sibi proportionatum, & specificatiuum illius, v.g. intellectus Dei ad essentiam Dei, intellectus Angeli, ad essentiam Angeli, & prius ratione est, intellectum tendere in tale obiectum sibi proportionatum, quam quod ipsum obiectum terminet illius tendentiam. Dicunt enim metaphysici relationem obiecti ad intellectum esse tertij Ordinis, & competere illi: quia intellectus refertur ad illud. Ergo, quilibet intellectus ex natura ipsius, cuius est potentia, vt antecedit omnem habitudinem obiecti ad ipsum effluit determinatus ad cognitionem ipsius met naturæ cognoscentis, vt sic. Probatur Consequentia: quia prius natura, quam habeat rationē obiecti determinat illum ad cognitionem sui, & non ad cognitionem sui, vt est cognoscibilis: quia non habet rationem cognoscibilis in illo priori, in quo non habet rationem obiecti, Ergo determinat illum ad cognitionem sui, vt est cognoscens.

Applican-

Applicando autem hæc ad essentiam, & intellectum Dei dicimus, quod intellectus diuinus ex efficacia diuinæ essentiæ per se primo, & radicaliter prius ratione, quam ipsa vniatur ei in ratione obiecti, & speciei oritur determinatus ad producendum verbum repræsentatiuũ suæ essentiæ, vt est cognoscens, & ideo illud est simillile essentiæ Patris in primaria, & substantiali ratione eius, quæ est esse intelligentem.

Secũdo hoc probatur: quia alias Pater, vt cognoscẽs nõ esset propriè generans consequens non debet admitti, Ergo. Sequela patet Generans, vt sic est cuius essentiæ per se primo asimilatur Filius; generans enim per actum generatiuum per se, primo asimilat Filium suæ primariæ, & substantiali essentiæ, Sed prima, & substantialis essentiæ Patris diuini est esse intelligentem, vt suppono, Ergo si Filius Dei nõ procedit similis essentiæ Patris, vt est cognoscens, Pater vt est cognoscens, & intelligens non erit generans.

Ex hoc sequitur, quod verbum diuinum debet esse simile suo productiuo secundum formam, quæ est ei ratio generandi, quod requiritur ad perfectam rationem generationis.

Declaratur hoc, quando lumen intellectuale est determinatum ad aliquod speciale óbiectum, tota virtus intellectiua residet in tali lumine, propter quod essentia Angeli, quæ est species in cognitione sui nõ concurrit actiuè ad illam, vt species: quia est substantia, & substantia non est immediatè actiua per se. Similiter essentia diuina, vt species in intellectu Beati probabilius est, quod non concurrit actiuè ad visionem beatam: quia lumen glorię est determinatum ad illud obiectum, sicut intellectus Angeli per se primo determinatur ad suam substãtiã; virtus vero intellectiua Dei, quæ est pure actualis, imo est ipsa actualis intellectio de se est terminata ad cognitionem sui, & ideo eius essentia, vt species non est virtus intellectiua, Sed poterit virtualiter concurrere, vt forma intellectualis sicut concurrit essentia diuina ad visionem beatam, & essentia Angeli ad cognitionem sui. Si ergo verbum procedit in diuinis, vt simile Deo in forma, quæ est ei ratio generandi scilicet intelligere, & ita habebit veram rationem similis, & geniti; nam similitudo requisita ad veram rationem geniti est, quod genitum sit simile generanti in forma, qua generat.

Secunda pars conclusionis est communis multis Thomistis, quam etiam tenet Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 11. conclusione 11. §. ad cuius euidentiam, & §. ad dubium, Ergo, & Belarm. lib. 2. de Christo Cap. 14. sentit idem Scotus, quod scilicet, vt verbum Dei dicatur procedere in similitudinem naturæ Patris, satis est, vt procedat simile

illi, vt res intellecta. Et hic modus dicendi probatur, primo quia illum asserit D. Thom. multis in locis, v.g. Ioann. 1. lect. 1. ait. Verbũ semper est similitudo rei intellectæ, & siquidem res intellecta sit intelligens tunc verbum est similitudo intellectus, à quo procedit, idem asserit hic, & Opusc. 2. Cap. 38. & alibi sæpè docens semper, verbum esse simile obiecto cognito specialiter autem in eodem Opusc. Cap. 39. ait. Cum id, quod intellectu concipitur sit similitudo rei intellectæ eius speciem repræsentans, quædam proles ipsius esse videtur, quãdo igitur intellectus intelligit aliud à se res intellecta est sicut Pater verbi in intellectu concepti, quando vero intellectus intelligit se ipsũ, verbum conceptum comparatur ad intelligentem, sicut proles ad Patrem. Cum, ergo loquamur de verbo secundum, quod Deus intelligit se ipsum oportet, quod ipsum verbum comparetur ad Deum cuius est verbum, sicut Filius ad Patrem. Hæc D. Thom. quibus similia ait hic Art. 4. ad 2. dicens. Ad verbum pertinet similitudo in quãtum est quædam similitudo rei intellectæ, sicut genitum est similitudo generantis. Quibus verbis apertè docet verbum diuinum esse Filium Patris Aeterni, quia est simile ipsi cognito, & verbum est proles, & Filius, rei cognitæ.

Secundo hoc probatur: nam Art. 4. docet D. Thom. Spiritum Sanctum non esse Filium: quia, licet procedat similis voluntati Patris, vt amanti, non tamen est similis obiecto amato: Filium vero esse similẽ obiecto cognito, ita communiter explicant Thomistæ illum articulum, Ergo ad rationem Filij satis est quod sit per se primo similis Patri, vt cognito.

Tertio Arguitur supponendo ex Caiet. supra Quæst. 12. Art. 2. in fine, & Quæst. 14. Art. 1. quod cognoscens est sufficiens principium efficiens, & formale specificatiuum suæ cognitionis, & cum cognitio specificetur ab obiecto cognito, sequitur cognoscens debere esse, saltem in actu primo, & habitualiter ipsum obiectum cognitum in esse intelligibili, prius quã eliciat cognitionem. Ex hoc enim infertur, quod verbum esse simile cognoscenti non excludit, imo: intrinsecè includit, quod debeat esse simile obiecto cognito: quia cognoscens, vt sic, est ipsum obiectum cognitum in esse intelligibili, & verbum, vt sic non assimilatur obiecto, vt est à parte rei, vt patet in verbo, quod in via formamus de Deo, Sed obiecto eo modo, quo est in intellectu, & quo per suam speciem facit, vt intelligens sit res intellecta.

Quarto probatur, verbum vt sic assimilatur speciei, qua informa-

tur intellectus, & obiecto per illam repræsentato, Ergo verbum diuinum, vt sic ex sua essentia assimilabitur naturæ Patris repræsentatæ per suam speciem, & ita assimilabitur essentiæ Patris cognoscentis, vt est cognita, & repræsentata per speciem.

Sed contra istum secundum modum dicendi, arguitur Primo, Nam ad generationem requiritur Filium esse similem Patri in sua substantiali, & quasi primaria essentia, Sed hæc in Patre diuino est esse intelligentem, & non esse obiectum cognitum, vel speciem intelligibilem, Ergo Filium procedere similem Patri, vt obiecto cognito, & speciei intelligibili non est procedere similem illi in sua primaria, & substantiali essentia, neq; habere similitudinem naturæ sufficientem ad generationem.

Secundo, quia alias verbum diuinum, & quodlibet aliud suo modo esset Filius obiecti cogniti vt sic, & obiectum sic cognitum esset Pater verbi, & generans illud. Consequens est falsum, Ergo. Sequela patet. Filius per se primo est similis generanti, & Patri, Ergo si verbum per se primo assimilatur obiecto cognito obiectum cognitum erit generans, & Pater illius. Minor vero probatur: nam Pater, & generans concurrit vitaliter ad generationem Filij, obiectum vero cognitum non concurrit vitaliter ad productionem verbi: nam obiectum terminatiuum solum terminat, motiuum vero non habet operationem vitalem: quia sæpè non est viuens, vt lapis, & licet moueat intellectum ad sui cognitionem imprimendo illi speciem: tamen, quia non est viuens, non poterit operari vitaliter productionem verbi, Ergo.

Explicatur hoc, species expræssa intellectui ab obiecto vitaliter cōcurrit ad productionem verbi, Sed suam vitalitatem non habet ab obiecto, quod ræpresentat, Sed ab intellectu, quem informat, Ergo non habet ab obiecto, quod sit principium generationis verbi, nec generans principaliter illud cui assimiletur ipsum verbum. Antecedens patet dupliciter. Primo, quia lapis, v. g. à quo imprimitur species, non est viuens. Secundo, quia sæpè species non causantur ab obiecto, vt patet in speciebus angelicis, & Christi Domini.

Tertio quęlibet natura intellectualis, vt est intellectiua, determinat suum intellectum ad cognitionem sui, & ad formandum verbum repræsentatiuum sui, vt est cognitiua. Ergo similiter natura Patris Diuini, vt est cognitiua, veluti determinat suum intellectum ad cognoscendam se, & formandum verbum per se primo repræsentans illam, vt cognitiuam, & sub hac ratione erit simile illi ex vi suæ processionis, scilicet vt est cognoscens. Antecedens probatur, supponendo duo.

Primum est: naturam intellectualem, quia est immaterialis, simul esse intellectiuam, & intelligibilem in potentia proxima, de quo supra Quæst. 14. Art. 1.

Secundum est, fæcunditatem, potentiam generatiuam, vel expræssiuam verbi, quæ conuenit naturæ intellectuali, non conuenire illi vt est intelligibilis: quia alias essentia diuina, vt est in se, & in Filio, & Spiritu Sancto esset fæcunda, & potens generare: quia est intelligibilis, & quia fæcunditas, & potentia generatiua est potentia eliciendi actum vitalem generationis viuentium, natura autem intellectualis, vt intelligibilis poterit quidem terminare cognitionem, non tamen elicere generationem, Ergo potentia generatiua, & expræssiua verbi non conuenit naturæ intellectuali, vt est intelligibilis, Sed vt est intellectiua.

His suppositis probatur Antecedens. Quælibet natura, determinat suam potentiam generatiuam ad producendum simile sibi sub ea ratione, qua est radix suæ potentiæ generatiuæ, v.g. quia ex essentia hominis, vel leonis vt sic, dimanant suæ potentiæ generatiuæ, ideo tales essentiæ determinant eos ad producendos Filios similes suis essentijs specificis, Sed natura intellectualis, vt est intellectiua est radix potentiæ generatiuæ verbi, Ergo vt sic determinat talem potentiam ad producendum verbum simile sibi, vt est intellectiua.

SEd ad hæc. Facile Respõdeo supponẽdo duo. Primũ est, quod quãdo dicitur verbũ esse simile speciei, non intelligitur quod assimiletur ei, vt est qualitas, & in ratione entis: sic enim sunt diuersarum specierum, quia species impræssa est habitus, & verbum est actuale, & vna species Angeli supræmi, est multo eminentioris naturæ, quam multa verba inadequata, quæ per talem speciem format Angelus, sed intelligitur assimilari illi, vt exercitactum speciei, idest, vt facit, quod ipse intelligens fiat in actu primo, & inesse intelligibili res intellecta, quod est assimilari rei præsentatæ vt sic, de quo vide D. Tho. Quol. 8. Art. 4. & Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 11. cõclusione 11. Eodem modo intelligitur verbum debere assimilari obiecto cognito, debet enim illi assimilari obiecto cognito: debet enim illi assimilari non in cognitione obiecti, Sed in natura, quæ cognoscitur, & obijcitur intellectui.

Secundum est, quod licet obiectum secundum se, & in esse rei non sit viuens, neque intelligens: tamen inesse intelligibili est viuens, vt

est

est in specie suplente,& exercente vicem illius: nam, si, vt dicemus in solutione ad tertium,verbum pertinet ad ordinem viuentium, quia est forma viuentis in actu secundo idest intelligentis actualiter, & ad illud consequitur viuere in actu secundo,id est intelligere, etiam species pertinebit ad ordinem vinentium, quia est forma intelligentis in actu. Primo,& ad illam vt ad principium formale, vel efficiens consequitur vita intellectualis actualis, scilicet intelligere, vnde D. Tho. Ioan.1.lect.2.in illa verba. Quod factum est in ipso vita erat. ait Arca per artificem facta in se quidem non viuit,ratio vero arcæ, quæ præcessit in mente artificis viuit quodammodo inquantum habet esse intelligibile in mente artificis.

His suppositis. Ad primũ distinguo Cõsequẽs pro prima parte. Ex hoc quod procedat similis Patri, vt est obiectum cognitũ,id est in conditione obiecti,concedo Consequentiam,quod tunc non assimilabitur substantiali, & quasi primariæ essentiæ patris, quæ est esse intelligentem. Ex hoc quod procedat similis Patri,vt est obiectum cognitum,id est,secundum naturam,quę cognoscitur,nego Consequentiam. Quia assimilari isto modo Patri,vt est obiectum cognitum,est assimilari illi secundum suam primariam, & substantialem naturam, quæ est esse intelligentem, hæc enim natura vt sic est, quæ cognoscitur,& obijcitur intellectui, Similiter distinguo idem Consequens pro secunda parte,ex hoc quod procedat similis essentiæ diuinæ, vt habet rationem speciei, quod est assimilari speciei veluti in ratione entis. Nego consequens: quia tunc non assimilabitur essentiæ primariæ patris,Sed perfectioni illius veluti attributali,quod non sufficit ad rationem generationis, Ex hoc quod procedat similis speciei, vt exercens actus speciei,idest,vt in esse intelligibili est ipsa essentialis, & primaria natura Dei repræsentata per illam,scilicet vt est intelligere. Nego consequens: nam assimilari hoc modo essentiæ Diuinæ, vt speciei est assimilari rei repræsentate per illam, scilicet Deo, vt est intelligens.

Ad secundum concedo consequentiam ita illam concedit D. Tho. Art.4.hic,& opusc.secundo,vt diximus,& tunc nego Minor. Ad probationem distinguo Minor, obiectum secundum se,& in esse entis non viuit,nec concurrit virtualiter ad productionem verbi, vt Pater illius concedo Minor. Obiectum in esse intelligibili mediante sua specie, nego Minor. Nam, licet species non habeat vitalitatem ex obiecto,

Sed

Sed ab intellectu, tamen habet illam in se, & hoc sufficit, vt quod procedit ab ea viuens, & in similitudinem naturæ aliquo modo generetur ab ea, & sit Filius eius.

Ad tertium, Concedo totum, ex hoc tamen non sequitur verbum diuinum non assimilari obiecto cognito in ratione suæ naturæ, quæ est esse intelligentem. Sed tantũ sequitur non esse simile obiecto primario diuinæ cognitionis in conditione obiecti.

Possumus aliter saluare hanc similitudinem verbi cum essentia Patris dicendo, quod, quia natura intellectualis essentialiter includit rationem intellectiui, & intelligibilis in potentia proxima per modum cuiusdam formalis inclusionis complentis, & integrantis naturam rei intellectualis, vt verbum diuinum sit simile essentiæ Patris, quæ essentialiter est in summo gradu, & actualitate intellectualitatis, oportet assimilari ei vt est intelligens, & intelligibilis, & ideo, licet concedamus verbum diuinum procedere, vt simile naturæ diuinæ, vt est intelligibilis, non est negandum quin etiam procedat simile illi, vt est intelligens: quia vtrumq; includitur in completa essentia eius.

DIco tertio. Generatio verbi diuini, & Filij Dei est vniuoca simpliciter. Hoc negant Gabr. in 1. dist. 9. Quæst. 2. Art. 2. Duran. dist. 4. Quæst. 1. qui dicunt illam non esse simpliciter vniuocam, neq; equiuocam, Sed ex parte naturæ esse vniuocam, equiuocam vero ex parte proprietatum personalium, scilicet Paternitatis, & filiationis. Sed nostram conclusionem tenet Scotus in 1. dist. 7. Quæst. vnica, & probatur.

Ad generationem vniuocam sufficit naturam generantis, & geniti esse eiusdem rationis atomæ, licet conditiones indiuiduales, vel personales sint diuersæ rationis, Sed ita contingit hic, Ergo, Minor patet: quia natura Patris, & Filij est omnino eadem, & solum distinguitur in proprietatibus personalibus. Maior vero probatur: nam generatio Christi à B. Virgine, est vniuoca: nam Christus, & B. Virgo conueniunt in vniuoca ratione hominis, & tamen licet reperiatur ibi hæc vniuocatio, in natura, differunt maxime, & plusquam genere in proprietatibus personalibus: nam proprietas personalis Christi est relatiua, & increata, personalitas vero B. Virg. est absoluta, & creata, & ita magis differunt, quam personalitates Patris, & Filij, quæ ambæ sunt relatiuæ, & increatæ.

Confirmatur generatio habet rationem vniuocæ, vel equiuocæ a termino formali, & non ab alijs, qui solum sunt modi, & determina-

tiones indiuiduales naturæ, Sed terminus formalis generationis diuinæ est essentia, proprietates vero personales solum sunt determinationes naturæ, Ergo cum ibi sit terminus formalis eiusdem rationis cum principio. quo. generatio erit vniuoca.

Dico vltimo. Hæc generatio diuina habet perfectionem specificam generationis viuentium: non tamen imperfectionem, quã generatio viuentium habet ratione generis, vel aliorum accidentium. Hæc conclusio est D.Thom.in 1.dist.4.Quæst.1.Art.1.& probatur prima pars. Nam ita contingit in cæteris, quæ conueniunt Deo, & nobis, quod in illo reperiuntur quoad suam specificam perfectionem seclusis imperfectionibus, quæ conueniunt eis ratione generis, vt patet in sapientia, iustitia, misericordia, &c. Ergo idem erit de ratione generationis.

Secundo probatur, nam in generatione viuentis pertinet ad specificam perfectionem eius quod sit communicatio naturæ: hoc enim sequitur ad rationem actus, quia omnis forma de se est communicabilis, hoc autem reperitur in hac generatione, quia est origo viuentis a viuente &c. hæc autem ratio originis est communicatio naturæ.

Secunda pars conclusionis explicatur supponẽdo tres imperfectiones reperiri in generatione corruptibilium. Prima est, quod est mutatio de non esse ad esse, & à priuatione, tanquam à termino, à quo, & consequenter fit ex materia habente priuationem talis formæ.

Secunda est, quod fit ad conseruandam speciem: nam, quia nullum indiuiduum corruptibile in sua singulari natura potest perpetuò cõseruari, vt in alijs eiusdem naturæ quasi in se conseruetur generat sui simile, Sed existens extra ipsum, & cum alia natura indiuiduali alias enim si genitum maneret intra generantem, & cum eadem natura indiuiduali non conseruaretur in illo, Sed corrupto generante, corrumperetur etiam genitum, & non esset in quo conseruaretur.

Tertia imperfectio in generatione animalium est, quod ibi distinguitur principium actiuum à passiuo, scilicet Pater à Matre, neq; ibi datur vnicum, Sed duplex principium, istæ tamen omnes imperfectiones longè ab sunt à generatione Diuina.

Prima quidem: nam apud Deum nulla est mutatio, & ibi vita, & esse Filij Geniti, quia ex se habet Aeternitatem non exit de potentia ad actum in quo consistit ratio transmutationis, & consequenter ista generatio non est à priuatione tanquam à termino à quo: quia iste terminus solum reperitur in generatione, quæ est cum transmutatione, & de non esse ad esse.

Secunda etiam deficit, quia non fit cum diuisione naturæ ad conseruandam speciem: quia enim Deitas est vnica, & de se æterna, Pater in ea non generat Filium propter sui conseruationem, Sed propter fecunditatem, & bonitatem, quæ de se est communicatiua sui, & ideo Filius cum identitate numerica naturæ, manet intra ipsum generantem: quia non producitur, vt corrupto Patre, illo manente perpetuetur natura Diuina.

Tertia etiam imperfectio deficit: quia enim generatio diuina fit per intelligere diuinum, & in intellectu Dei nulla est potentialitas, Sed pura, & infinita actualitas ideo principium eius est solus Pater præhabens in hac generatione quidquid perfectionis reperitur in Patre, & in matre vnde illi tanquam Patri tribuitur Ioan. 5. quod det vitam Filio, & tanquam Matri tribuitur, quod habeat vterum, quod concipiat, parturiat, & pariat illum, vt dictum est, vnde Mercurius Tri Magist. referente Eugubino lib. 1. de perenni Phylosophia Cap. 23. dixit Patrem generantem in diuinis habere vim maris, & fæminæ. Maris, quia dedit vitam Filio, fæminæ vero, quia concepit, & peperit illum, quod etiam concedunt Cyrilus lib. 9. in Ioann. Cap. 40. & Athana. in Epistola de Synodis.

Ex his patet ad primum: nam Sancti Patres, vt apparet ex eorum contex. solum negauerunt Deo generationem cum imperfectionibus generationis corruptibilium non vero rationem generationis viuentium quoad eius specificam perfectionem seclusis imperfectionibus.

Ad primam confirmationem Scotus in Primo dist. 1. Quæst. 2. & alij negant Antecedens, & censent in generatione viuentium includi duas rationes disparatas, & non sub ordinatas scilicet rationem generationis communiter dictæ, vt dicit mutationem, & rationem generationis propriæ viuentium.

Sed contrariam docet D. Thom. in 1. dist. 4. Quæst. 1. Art. 1. vt probat argumentum factum. Vnde ad probationem in contrarium respondeo ex eodem D. Thom. ibi. Distinguo Antecedens Generatio viuentium includit intrinsecè mutationem ratione generis transeat Antecedens, ratione vltimæ, & specificè differentiæ, nego Antecedens, & tunc concessa minori distinguo consequens. Eodem modo non potest illi conuenire ratio generationis viuentium secundum rationem genericam mutationis. Concedo Consequentiam, secundum rationem specificam talis generationis, nego Consequentiam ad hoc enim satis est, quod secundum talem rationem specificam non dicat

muta-

mutationem, sed perfectionem: nam teste D. Tho. ibidem, quando aliquod prædicatum dicit imperfectionem ratione generis, & perfectionem ratione differētiæ cōuenit Deo non secundum rationem generis, sed differētiæ, vt conuenit illi sapientia non, vt est qualitas, quæ est ratio generica, sed vt est cognitio per altissimas causas, quæ est ratio differentiæ.

Ad secundā cōfirmationē distinguo Maiorē eodem modo, Generatio secundum rationem genericam, & vt est mutatio, requirit subiectum concedo Mai. & de hac loquitur D. Thom. Generatio propria viuētis ratione differētiæ, nego Maiorē, & illa potest distingui à creatione per suam diffinitionem, quia creatio est productio totius entis cui nō est debitum, esse, ex natura sua, generatio autem, de qua loquimur, cum non sit productio essentiæ, non est productio totius entis, Sed talis suppositi, cui ex se debetur esse.

Ad secundū principale. Alij dicunt quod licet generatio immediatè ordinetur ad Filium, tamen vltimate ordinatur ad conseruationem speciei, vt ad finem per se primo intentum, & ita etiam dicunt generationem diuinam per se immediatè ordinari ad Filium, vltimatè tamen, & per se primo in genere causæ finalis ordinari ad intelligere essentiale, quod est bonum naturæ diuinæ.

Sed contra hoc est, quod in diuinis nulla datur causa finalis, & per consequens, neque vera ordinatio generationis ad Filium, vel ad intelligere essentiale.

Secundo, quia dictum est, hanc generationem non fieri propter necessitatem naturæ diuinæ, aut ad supplendum aliquem defectum eius, aut acquirendam aliquam perfectionem, sed ex fœcunditate, & communicabilitate naturæ diuinæ, alias essentialia, quale est intelligere, non haberent totam suam perfectionem completam ante productionem personarum.

Respondeo ergo. Distinguo Mai. Generatio imperfecta corruptibilium, quæ potest habere causam finalem. Transeat Mai. Generatio secundum perfectionem specificam. Nego Mai. potest enim illa esse adeo perfecta, vt non possit habere finem ad quem ordinetur, Sed tantum fiat ex fœcunditate, & communicabilitate naturæ.

Ad tertiū. Nego Antecedens, ad probationem nego Antecedens: nā verbum creatum licet non sit perfectè viuens viuit tamen imperfectè, & eius productio est imperfectè generatio viuentis. Primum patet, quia verbū est forma viuētis in actu secūdo, vt sic, & ad illud sequitur intelligere, quod est viuere in actu, & ipsum est terminus, & obiectum

intrinsecum

intrinſecum actionis vitæ, ſcilicet intellectionis, & inſeparabile ab illa, & hoc ſufficit, vt imperfectè pertineat ad ordinem viuentium. Secundum etiam patet: quia eius productio eſt origo viuentis imperfectè &c. Similis ſuo principio producenti, ſcilicet intellectui informato ſpecie intelligibili, Ergo.

Ex his ſequitur potentiam intellectiuam, vt ſic, eſſe generatiuam perfectè quidem, ſi fuerit perfecta in tali genere, imperfectè vero, ſi fuerit imperfecta, & quia teſte Ariſt. 2. de anima Cap. 4. Generare ſibi ſimile conuenit viuenti perfecto in ſuo ordine, propter quod non conuenit puero, qui eſt imperfectus in ſua ſpecie, & potentia intellectiua in ſolo Deo eſt perfecta: quia pertinet ad gradum intellectiuum, qui non habet totam ſuam perfectionem, quando nō habet perfectionem infinitam: quia totius iſtius infinitatis eſt capax, & illam ſolum in Deo poteſt haberi, ideo ſolum in Deo potentia intellectiua eſt perfectè generatiua in alijs autem ſolum imperfectè generatione imperfecta, & accidentali, qualis eſt productio verbi creati.

AD quartum ſatis patet ex ſecunda concluſione. Ad quintum, Molina hic §. aduerterim, illo argumento conuictus ſentit illā diffinitionem non eſſe ſufficientem, vt ſit Filius ille cui conuenit, ſed quod oportet addere, quod ſit origo viuentis cognoſcētis à principio viuente, & cognoſcente &c. & ratio eius eſt deſumpta ex Ethimologia Græca huius nominis Filius, quæ deſumitur ex amore ad ſignificandum illum, qui ſic procedit, eſſe amatum à ſuo principio: principium autem eius, illud non poſſet amare, ſi non eſſet cognoſcens, quia amor ſolum cognoſcenti conuenit. Sequuntur illum Vazq. hic diſp. 112. Cap. 2. §. id ipſum, & Coimbrenſis lib. 1. de generatione Cap. 4. Quæſt. 10. Art. 1. Sed quiquid ſit de veritate ſententiæ, ratio Molinæ nulla eſt.

Primo, quia aliud eſt, quod nomen ſignificat, & aliud à quo nomen imponitur.

Secundo, quia in alijs linguis nomen Filij non deriuatur à nomine ſignificante amorem, & cognitionem.

Dicendum, Ergo cum D. Thom. hic Quæſt. 28. Art. 4. & 3. p. Quæſt. 32. Art. 3. & in 3. diſt. 8. Quæſt. 1. Art. 5. ad rationem Filij requiri, vt procedat viuens perfectum, & completum, per generationem perfectam intelligitur autem de perfectione non ſolum materiali, ſed etiā formali, & ſpecifica, & talis perfectio conuenit generationi viuentis cognoſcentis; quia cognoſcens eſt per ſe inferius ad viuens conſtitutū

per

per differentiam intrinsecam rationi viuentis, Ergo etiam generatio cognoscẽtis debet esse species generationis viuentis, & perfectior cæteris secundum suam speciem: quia terminus formalis, à quo specificatur, scilicet, viuens cognoscitiuum, essentialiter est perfectius non cognoscitiuo.

HOc supposito. Respondeo D. Thom. sufficienter probasse verbum procedere, vt Filium: quia probauit, quod procedit à viuente coniuncto &c. per actionem intelligibilem, quæ est propria cognoscentis, & ita sufficienter probatum est, quod ipsum est Filius, quia procedit, vt viuens cognoscens à viuente cognoscente.

Ad confirmationem, vt respondeatur.

DVBITATVR II.

Circa secundam partem Conclusionis.

An verbum diuinum sub eadem ratione sit verbum, & Filius Dei.



VIDETVR quod non. Primo, quia in scripturis distinguitur Filius a verbo, & annumeratur illi v. g. ad Heb. 1. dicitur de Filio, quod portat omnia verbo virtutis suæ, & Actor. 10. dicitur verbum misit Filijs Israel annuncians per Iesum &c. & Apocalip. primo testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium Iesu Christi quæcunq; vidit, quod autẽ annumeratur alteri, distinguitur ab illo.

Confirmatur tripliciter. Primo, quia aliàs verbum, & Filius essent termini sinonimi, quod sit falsum patet: quia in creaturis non significant idem, Ergo neq; in diuinis: illæ autem voces communes sunt Deo, & creaturis.

Secundo. Verbum diuinum, vt sic dicit respectum ad essentiam diuinam, Spiritum Sanctum, & omnes creaturas Filius vero non dicit talem respectum. Ergo: Consequentia patet: quia non habent eandem rationem formalem, quæ non dicunt eandem habitudinem ad eosdem terminos. Minor etiam est certa: quia Filius, vt sic, tantum

dicit

dicit relationem ad Patrem, vt ad principium, a quo oritur; Maior vero est Aug. lib. 83. quæstionum Quæst. 63. & eius rationem assignat D.Thom. de veritate Quæst. 4. Art. 5. ad 7. quia manifestatiuum alicuius dicit habitudinem ad id, quod manifestat, verbum autem diuinum manifestat essentiam, personas, & omnes creaturas, quia procedit ex cognitione omnium earum, Ergo.

Tertio verbum diuinum, vt sic, dicit ordinem ad creaturas non existentes, Ergo secundum rationem est prius ratione Filij. Antecedens patet: quia procedit ex cognitione earum, vt suppono: verbum autem repræsentat omnia ea, ex quorum cognitione procedit. Consequentia vero probatur: quia, quæ dicunt respectus ad creaturas consecutos ad actiones immanentes Dei sunt priora personalibus, vt scientia, misericordia, potentia; nam omnia hæc, cum sint communia sunt priora personalibus, & per consequens non dicunt eandem rationem.

Secundo Arguitur, ratio verbi clauditur in ratione essentiæ diuinæ, non vero ratio Filij, Ergo, Maior est D.Thom. hic ad 3. dicentis in ipsa perfectione diuini esse continetur verbum &c. Minor autem probatur: quia, si filiatio est de essentia Dei, esset de essentia Patris, & formaliter, & realiter, esset in Patre, in quo est essentia cum tota sua integra, & essentiali perfectione.

Confirmatur. Verbum præsupponit, nostro modo intelligēdi, omnes personas Trinitatis existētes, Filius vero: quia est principium Spiritus Sancti non supponit illum existere, Ergo; Maior patet, nam verbum intuitiuum, & non factiuum alicuius obiecti, supponit illud existere in se, videri enim in se non potest, quod in se non existit; Verbum autem diuinum, cum sit omnium perfectissimum, & modo sit intuitiuum personarum, semper fuit intuitiuum illarum, quia non est variabile, Ergo.

Tertio Arguitur. Verbum diuinum de principali significato significat aliquid absolutum: Filius vero principaliter dicit relationē quia, vt sic, est correlatiuus patri, Ergo, Maior patet: nam verbum, vt sic, est similitudo expressa rei cognitæ: per relationem autem nō est simile, Sed dissimile Patri: nam proprietas Filij est quasi specificè distincta a proprietate Patris, Ergo simile per absolutam, & essentialem perfectionem, quam per se primo importat.

Cōfirmatur quatrupliciter. Primo, quia D. Th. de veritate Quæst. 4. Art. 5. & in primo dist. 27. Quæst. 2. Art. 3. & Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 13. docent verbum principalius importare absolutum, Filius verò dicit relationem, Ergo.

Secun-

Secundo Verbum dicit rationem causæ, & potentiæ operatiuæ, vt docent Dionis. Cap. 7. de diuinis nominibus, & Aug. vbi supra, Filius verò id non dicit, Sed relationem, quæ non est operatiua, Ergo.

Tertio vltimum cõstitutiuum Verbi, vel imaginis in Creaturis dicit aliquid absolutum de prædicamẽto Qualitatis, Ergo si transferatur analogicè ad diuina, debet etiam ibi dicere rationem absolutam distinctam à ratione Filij, quæ est relatiua.

Quarto, vltimum constitutiuum Filij, vt sic est dissimile Patri: vltimum verò constitutiuum Verbi vt sic, facit illud simile Patri, Ergo nõ est idem constitutiuum vtriusq; Maior patet: nam filiatio est vltimum constitutiuum Filij, vt sic, & distinguitur quasi specie à Paternitate. Minor verò probatur Ratio constitutiua Verbi, vt sic, est constitutiua imaginis, & ratio repræsentatiui, vt similis, aliàs si ratio similis non conueniret Verbo ex sua ratione constitutiua, non magis ratio similis conueniret Verbo, quam Spiritui Sancto, quia cõueniret illi, non ratione proprietatis personalis, Sed essentiæ, quæ est eadem omninò in vtroq;, Ergo.

Quarto principaliter Arguitur. Verbum ex sua ratione formali est ratio intelligendi intellectui Patris: Filius verò non, Ergo. Maior patet: nam vt dictum est, Verbum est forma actualis, per quam intellectus fit actualiter res intellecta, & ideò id proportionabiliter debet reperiri in Verbo diuino. Minor verò probatur: nam Filius, vt sic, opponitur realiter Patri, & distinguitur ab illo: forma autem, qua intellectus fit res intellecta actualiter in esse intelligibili, non sic distinguitur ab intellectu, quin potius intellectus fit talis forma, vt habet Cai. supra Quæst. 14. Art. 1. §. Radix autem, Ergo.

Confirmatur. Filius producit. Spiritum Sanctum per voluntatem: ideò enim Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, quia ambo eodem modo per voluntatem producunt illum, Verbum autem non producit illum per voluntatẽ, Sed vt forma intelligibilis, quæ est voluntaria ratio agendi, vel producendi illum, sicut, teste Cai. hic Art. 3. & 4. forma appræhensa est voluntati ratio producẽdi amorem, Ergo Verbum, & Filius non sunt idem cum diuersimodè producant Spiritum Sanctum.

Quinto. Filius Dei habet idem esse Patris, Verbum verò non habet illud, Ergo. Minor patet: nam teste D. Thom. 4. contra Gent. Cap. 11. esse Verbi est intelligi: hoc autem nõ est formaliter idem, quod intelligere, quod est esse Patris. Imò verò non dicit perfectionem realem, Sed relationem rationis sicut Ideæ diuinæ non dicunt in Deo: nisi re-

ſpectus rationis: quia earum eſſentia conſiſtit in intelligi, Ergo.

Sed contra eſt concluſio Articuli.

IN hoc dubio quatuor ſunt ſententiæ. Prima eſt. Verbum realiter diſtingui à Filio tamquam duas res, quia Verbum ſemper manet in Patre, Filius autem eſt alius, qui in ſe ſuſcipit, & ſeruat Verbum, & cuncta dicit ab illo, iuxta illud, quod Filius, Ioan. 14. dicit, quod Verbum, Dei non eſt ſuum, & Cap. 8. ait, quod ſeruat illum; Quæ omnia ſignificant diſtinctionem realem inter illos, ita ſenſit Eunomius, vt refert Cyril. lib. 1. in Ioan. Cap. 4. & lib. 7. Theſauri per totum, & Baſil. lib. 1. contra Eunom.

Secunda eſt; Filium Dei fuiſſe ab æterno: Verbum autem poſt multa ſæcula fuiſſe productum à Patre, & ita inter ſe realiter diſtingui. ita Valentinus, vt referunt Hylar. lib 6. de Trinitate Ireneus, & Tertulianus lib. 1. contra Valenti. & Theodoretus lib. 1. Hæreticarum Fabularum Cap. De Filio.

Tertia eſt Verbũ diſtingui à Filio: quia ab ęterno habet rationem Verbi, rationem verò Filij nõ habuit: niſi à tempore Incarnationis, ita ſenſerunt Monarchiani, quos referunt Tertulianus. contra Praceſeam Hylar. lib. 1. de Trin. Atha. Oratione 5. contra Arria. idem tenuere Arrius, & Paulus Camoſetanus, vt docent Cyrilus lib. 7. Theſauri Cap. 3. & lib. 1. in Ioan. Cap. 4. & 7. Hylar. 6. de Trinitate Athan. vbi ſupra, & in Epiſt. de decretis Synodi Niceni.

Quarta ſententia eſt Verbum dicere aliquid abſolutum, & Filium aliquid relatiuum, & ſub hac ratione diſtingui, ita D. Thom. & Ferrar., vt diximus argumento 3. Idem videtur docere Duran. qui in primo diſt. 28. Quæſt. 3. tenet Verbum Dei eſſe ipſum actum intelligendi Dei eſſentialem, & abſolutum pertinentem ad intellectum, & in eſſe perſonale niſi per appropriationẽ; Filium verò eſſe relatiuum, & perſonalem procedentem per actum naturæ, & non per actum intellectus, de quo dicemus Art. 5.

Sed pro explicatione.

DIco primo. In diuinis non datur Verbum realiter diſtinctum à Filio, per quod doceatur Filius, & quod in tempore ſit prolatum. Hæc concluſio eſt de fide, & prima eius pars patet. Nam Ioann. 1. Verbum dicitur factum eſſe caro, & ſolus Filius eſſe incarnatus,

Ergo

Ergo idem sunt Verbum, & Filius.

Confirmatur, Nam primæ Ioan. 5. dicitur Tres sunt, qui testimonium dant in cælo Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus &c. vbi non numeratur Filius, quia nominatur sub nomine Verbi.

Secundo, vel illud Verbum distinctum a Filio est Persona completa, & ita erunt in diuinis quatuor Personæ, quod est contra fidem, vel est aliquid incompletum pertinens ad Personam Patris, & ita Pater erit compositus ex Essentia, Paternitate, & Verbo, & nō erit totaliter ingenitus, vt statim dicemus. Nam componitur ex Verbo, quod est genitum.

Tertio Verbum, & Filius non opponuntur relatiuè, nec vnus oritur ex alio, Ergo non distinguuntur realiter.

Quarto Verbum procedit, vt viuens à viuente &c. vt patebit Conclusione 3. Ergo est verè Filius, & non distinctus à Filio.

Secunda pars Conclusionis patet: nam Ioan. 8. & 15. ait Filius se audisse à Patre, Ergo à Patre, & non à Verbo didicit.

Secundo Filius habet esse à Patre, & nō à Verbo, aliàs Verbum esset Pater Filij, Ergo à Patre didicit, & habet suam sapientiam, & non à Verbo. Probo Consequentiam, quia teste Aug. lib. 15. de Trinitate Cap. 14., esse Filij Dei est intelligere, & ab eodem habet esse, à quo habet intelligere, & scire: nam ideò Ioan. 7. dixit Filius, mea doctrina non est mea, Sed eius, qui misit me Patris, quia teste Aug. tract. 29. in Ioan, cum esse Filij, & sapientia eius sint idem, & Filius habeat esse à Patre, ab eodem habet sapientiam, & doctrinam.

Tertia pars patet ex illo Ioan. 1. In principio erat Verbum idest ab æterno, quod scriptum est contra istam hæresim Valentini.

Confirmatur, quia, vt ibi dicitur, Deus erat Verbum, Sed Deus est æternus non productus post multa sæcula, Ergo.

Dico secundò. Ratio Filij reperitur in diuinis ante Incarnationem. Probatur primo: nam ante incarnationem dicitur Prouer. 30. Quod est nomen Filij eius si nosti?

Secundo ante Incarnationem fuit in diuinis generatio, & Pater, Ergo, & Filius, qui est terminus generationis, & correlatiuus Patri. Antecedens pro prima parte patet ex illo Psal. 109. Ante Luciferum genui te, & ex illo prouerb. 8. Ante omnes colles ego genita eram: ita habent septuaginta.

Pro secunda etiam parte patet ex illo, quod ante Incarnationem dictum est Ecclesias 51. inuocaui Patrem Domini mei, & quia aliàs

relatio realis Paternitatis aduenerit Deo ex tempore, & per actionem transeuntem, scilicet incarnationem.

Confirmatur. Nam prædicti Hæretici admittũt ab æterno fuisse in Deo productionẽ Verbi, Ergo ab æterno fuit generatio Filij patebit enim Conclusione 3. productionem Verbi esse generationem Filij.

Dico tertiò. Eadem formaliter est ratio constitutiua Verbi diuini, & Filij diuini, & ideò Verbum est propriè Filius, & eius productio est propriè generatio.

Prima pars probatur testimonijs adductis Conclusione 1. & quia Ioan. 1. idem vocatur Verbum, & vnigenitus Dei.

Confirmatur: quia ita docent Sancti Patres Hyreneus lib. 2. Cap. 4. & lib. 4. Cap. 37. Hylarius 1. & 2. de Trinitate, Basil. hom. in principium Ioannis Cyrillus, vbi supra, & primo Thesauri Cap. 7. Ambr. 1. de fide Cap. 2. & lib. 4. Cap. 3. Atha. in Epistola ad Epitetum, & Oratione secunda contra Arrianos, & Aug. sæpe, vt lib. 7. de Trinitatè Cap. 2. & 3. & lib. 15. Cap. 14. & in lib. contra Sermonem Arrianorum Cap. 17. in Oratione etiam de quinque hæresibus Cap. 3. refert Mercurium in libro de Verbo perfecto, docuisse Vnigenitum Dei esse perfectum Verbum, vt dicitur Ioann. 1.

Secundo probatur: quia aliàs in diuinis essent quatuor Personæ realiter distinctè Pater, Verbum, Filius, & Spiritus Sanctus, & quinque relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Processio, spiratio actiua, & relatio realis Verbi: nam, teste Aug. 7. de Trinitate Cap. 1. Verbum ex natura sua, dicit relationem realem ad producentem; nam, vt habent idem Aug. 15. dè Trinitate Cap. 10. & Damascenus lib. 1. de fide Cap. 17. Verbum significat conceptum mentis de cuius ratione est quod procedat à cognoscente; relatio autem producti, & procedentis est realis in diuinis.

Tertia probatur: quia aliàs in Patre, & Filio essent 3. relationes reales formaliter distinctæ scilicet in Patre Paternitas, spiratio actiua, & relatio dicentis, vel producentis Verbum. In Filio etiam esset Filiatio spiratio actiua, & relatio Verbi. Imò verò præter actus notionales, quos communiter assignant Theologi, essent ponendi alij duo, scilicet actiua, & passiua productio Verbi Consequens contradicit communiter doctrinæ Theologorum, Ergo.

Quarto Verbum diuinum formaliter procedit per veram generationem, & propriam, Ergo formaliter est verè Filius. Consequentia patet: quia ille, qui per veram generationem procedit in natura cognoscenti

gnoſcenti eſt propriè, & formaliter Filius. Antecedens vero probatur ſimul.

CVm ſecunda parte Concluſionis. Origo Verbi eſt origo viuentis à viuente cognoſcente coniuncto in ſimilitudinem naturæ, Ergo. Probantur ſingulæ particulæ.

Prima quod ſit origo viuentis patet: nam Verbum diuinum viuit, iuxta illud Ioann. 1. in ipſo vita erat.

Secunda verò, quod ſit à principio coniuncto: patet: quia, teſte Baſilio vbi ſupra, ideo dicitur Ioann. 1. Verbum erat apud Deum, & præterea patet: quia Verbum procedit per actionem immanentem, & manet in eodem intellectu, à quo producitur, Ergo.

Tertia etiam pars, quod ſit à cognoſcente, patet eadem ratione, nam quod producitur per actionem intellectus, pẽdet neceſſario à cognoſcente, Sed Verbum diuinum procedit per actionem intellectus, vt dictum eſt, & dicetur Art. 5. Ergo.

Vltima tandem pars, quod ſit in ſimilitudinem naturæ, patet ex illo Ioan. 1. & Deus erat Verbum: nam poſtquã Euangeliſta per illa verba. Verbum erat apud Deum, oſtenderat illud oriri à principio coniuncto, & cognoſcente, qualis eſt Deus, per illa Verba, Deus erat Verbum, oſtendit illud oriri in ſimilitudinem naturæ, ita Baſil. & Theophi.

Ratio vero articuli explicabitur dubio ſequẽti.

Concluſio IIII.

DIco quarto. Licet ſit eadem formalis ratio conſtitutiua Verbi, & Filij diuini, tamen iſti termini Filius, & Verbum non ſunt ſynonomi.

Aliqui rationem huius exiſtimant eſſe, quia Filius ſignificat expreſsè relationem ſub conceptu relationis: Verbum autem licet ſignificet rem, quæ eſt eadem relatio, tamen non ſignificat illam ſub conceptu relationis, ſed ſignificat formaliter exemplar intellectuale expreſſum, & ſubſiſtens, quod re uera eſt relatio, ſed tamen non ſignificatur ſub conceptu relationis, ſicut Perſona diuina ſignificat rem, quæ eſt relatio, Sed ſub conceptu ſubſiſtentis in natura diuina, qui non eſt expreſsè relatiuus.

Sed hæc ſententia eſt expreſsè contra D. Tho. qui infra Quæſt. 34. Art. 2. & 3. & 4. & Quæſt. 37. Art. 1. docet nomen Verbi principaliter ſignificare relationem ad dicentem, & ex hoc infert eſſe nomen Perſonale.

Confirmatur Verbum ſuper rationem repræſentatiui ſolum addit habitudinem ad dicentem: nam ratio Verbi non ſaluatur, niſi ſit repræſentatiuum expræſſum ab alio, Sed iſta habitudo, quam importat in ſua ratione, & ſignificat nomen eſt vera relatio, Ergo.

Aliter ergo declaratur Concluſio, & probatur: nam illi termini ſignificant eamdem rem ſub diuerſis conceptibus inadæquatis ſecundum rationem, Ergo.

Declaratur hoc. In generatione Filij diuini reperiuntur perfectiones eminēter diuerſæ: nam procedit Filius in ſimilitudinem naturæ, & quia illa natura eſt omninò immaterialis, ideo procedit omninò immaterialiter.

Primam perfectionem deſignat ille terminus, Filius. Secundam verò ille terminus Verbum, ita D. Tho. infra Quæſt. 34. Art. 2. ad 3. Baſil. in principio Ioan. & Ioan. 1. lect. 1. & Chriſoſto. ibidem, & idē diffinitur in Concilio Epheſino, vt refert D. Tho. in Catena aurea ſuper illud Ioan. 1. in principio erat Verbum.

Dico quinto. Sicut Filius diuinus non naſcitur ad ſupplendum aliquem defectum naturæ diuinæ, ita nec Verbum procedit ad intra ad tribuendam aliquam perfectionem intellectioni diuinæ.

Iſtàm concluſionem non omnes admittunt: nam Ferrar. 4. contra Gentiles Cap. 13. & Torres hic, dicunt eſſentialem cognitionem Dei, ita immediatè terminari ad Verbum, vt ad obiectum formale, & intrinſecum, quo, quod in illo priori rationis in quo intelligimus eſſentialem cognitionem Dei ſine Verbo ipſa cognitio Dei eſſentialis, eſt imperfecta, & in completa.

Alij vero dicūt ipſum Verbum eſſe id, quo Pater Diuinus intelligit per modum actus ſecundi, id eſt, eſſe ipſamet intellectionem Patris.

Alij vero, vt Henricus quodlibet 6. Quæſt. 2. dicunt quod, quia Verbum eſt ars, & Idea, per quam, vt dicitur Ioann. 1. Deus facit omnia, ideo eſſentialis Dei cognitio, vt ſpeculatiua, eſt perfecta, & completa, vt præintelligitur Verbo, verum tamen eſſe practicam, & productiuam creaturarum habet prout, terminatur verbo expreſſo.

Tandem alij dicunt. Verbum eſſe Patri rationem intelligendi, ſeu

id,

Id, quo Pater intelligit non ratione proprietatis personalis, sed primæ essentiæ, vt in Verbo habet aliquem modum, quem aliàs non habet.

Contra istas omnes sententias statuitur nostra Conclusio, & sequitur ex dictis: nam, si Verbum est idem formaliter, quod Filius, & eadem formaliter est ratio constitutiua vtriusque, & Filius non generatur in diuinis propter conseruandam naturam Dei, aut supplendum aliquem defectum eius, sed ex fæcunditate naturæ, vt diximus dub. 1. cóclusione 4. sequitur quod nec Verbum, quod est Filius, producatur ad supplendum aliquem defectum naturæ, aut intellectionis diuinæ, aut tribuendum illi aliquam perfectionem, sed solum ex fæcunditate diuini intellectus.

Secundo, essentialia supponuntur omninò perfecta ante notionalia, ergo diuina intellectio, quæ est essentialis est omninò perfecta antequam intelligatur notionalis productio Verbi.

Tertio, quia aliàs Pater, vt est origine prior Verbo, non haberet esse, & vitam omninò perfectam. Consequens non debet admitti, Ergo. Sequela patet: nam, teste Aug. 15. de Trinitate Cap. 14. Vita, & esse Dei, est intelligere cum omni sua perfectione practica, & speculatiua: quia habet infinitã perfectionem, sed vt Pater preintelligitur Filio origine, non habet intelligere completum, vel speculatiuum ex defectu obiecti formalis, vel ex defectu actus secundi, vel cognitionis, vel ex defectu perfectionis practicæ, Ergo non habet esse, vitamquè omninò perfectam. Minor verò probatur: quia Pater in illo priori originis est perfectus Deus habens perfectè essentiam Dei, Ergo habet perfectum intelligere, quod est essentia Dei.

Quarto, quia aliàs Pater diuinus esset sapiens, & intelligens sapiẽtia genita, Consequens non debet admitti, Ergò, Sequela patet. Eius intelligere est eius sapientia omninò perfecta in ratione actus secundi, & in ratione practica, & speculatiua, Ergo si Pater habet intelligere perfectum in ratione practici, & actus secundi à Verbo, quod est sapientia genita, habet esse sapientem à sapientia genita, Minorẽ autem docet Aug. lib. 7. de Trinitate Cap. 1., 2., & 3. & lib. 15. Cap. 14. & in lib. 1. retractation. Cap. 26. vbi corrigit se ipsum: quia in lib. 83. quæstionum Quæst. 63. dixerat Patrem esse sapientem sapientia genita, & ratio est: quia teste eodem Aug. lib. 15. de Trinitate Cap. 5. sapientia Patris est eius esse, Ergo, si Pater est sapiens sapientia genita, scilicet à Filio, à Filio habet, & non à se, suum esse, & suam essentiam, quod est contra fidem, qua fatemur Filium omnia, quæ habet

habere à Patre, & non econtra.

Specialiter autem contra ſecundũ modum ſupra relatum Arguitur: quia intellectio Patris eſt eſſentialis prior Perſonis, & idẽtificata cum Patre: Filius autem eſt Perſona realiter diſtincta à Patre, & non prior omnibus Perſonis, Ergo.

Contra quartum etiam modum dicendi probatur Concluſio, quia aliàs Pater acciperet ſuum intelligere ab eſſentia, vt eſt in Filio. Conſequens repugnat fidei, Ergo. Sequela patet: nam eſſentia, vt eſt in Filio, eſt Patri ratio intelligendi, ergo ab illa, vt eſt in Filio eſt Patri ratio intelligendi, Ergo ab illa, vt eſt in Filio accipit Pater ſuum intelligere: habet enim illud ab eo, quod eſt ei ratio intelligendi. Minor verò probatur: quia intelligere Patris eſt perfectio eſſentialis eius, imò ipſa eſſentia eius, Ergo ſi Pater ab eſſentia, vt eſt in Filio habet ſuum intelligere, ab illa, vt eſt in Filio, accipit ſuam eſſentiam, & per conſequens eſſentia diuina ſupponitur eſſe in Filio antequam conſtituatur Perſona Patris. Dicendum ergo eſt, Verbum diuinum produci ex fœcunditate naturæ, & non ad tribuendam aliquam perfectionẽ diuinæ inlellectioni, & per conſequens non produci, vt ſit ratio formalis primaria intellectionis Patris, aut eius primarium obiectum.

Si verò loquamur de ratione ſecundaria, & obiecto ſecundario.

Concluſio VI.

Dico vltimo. Verbum diuinum eſt obiectum mediatum, & ſecũdarium cognitionis Patris, non tamen eſt mediata, & ſecundaria ratio Paternæ intellectionis.

Prima pars probatur: Nam ideò Aug. 15. de Trinitate Cap. 14. docet Patrem omnia cognoſcere in Filio, vnde deſumptum eſt, quod communiter dicunt Theologi, Patrem omnia cognoſcere in Verbo, & D.Th.4. contra Gentiles Cap.11. ait, quod Verbum diuinum eſt, quaſi Deus intellectus, & ibi, & alibi ſæpè docet Verbum etiam diuinum eſſe conceptionem intellectam, quod amplius manifeſtabitur dub. ſequenti, hæc autem omnia important aliquam rationem obiecti.

Secundo probatur. Verbum diuinum eſt obiectum formale ſecundarium, quo, diuinæ cognitionis practicæ, Ergo, & ſpeculatiuæ. Con-

ſequentia patet,quia vtraq; in ſua ratione,eſt æquè perfecta, & æqualiter præintelligitur Verbo,& ideò, ſi, hoc non obſtante, verbum mediate, & ſecundariò poteſt terminare diuinam cognitionem practicã, poterit terminare ſpeculatiuam. Antecedens autem patet: nam Ioann.1.dicitur de illo,Omnia per ipſum facta ſunt,ſcilicet tamquam per Ideam, & artem, vt docent Aug. lib.6. de Trinitate Cap. vlt. & D. Tho. Ioann.1, Idea autem eſt obiectum cognitum, quod intuens Artifex operatur.

Tertio, Verbum diuinum repræſentat omnia intellectui Paterno, Ergo habet rationem obiecti reſpectu illius. Antecedens patet: Quia omne repræſẽtatiuũ,(quale ex ſua eſſentia eſt Verbum,) repræſentat aliquid potentiæ ſibi proportionatæ, aliàs fruſtra eſſet eius repræſentatio, nulla autem potentia eſt proportionata repræſentationi Cerbi diuini: niſi intellectus diuinus, Ergo. Conſequentia verò probatur, quia id,quod aliquid repræſentat formaliter alicui potentiæ habet rationem obiecti eius ſaltem,quo: habet autem Filius hanc rationem obiecti ſecũdarij ratione eſſentiæ, & ratione proprietatis perſonalis, diuerſimodè tamen: nam ab eſſentia, id habet, vt à ratione formali, apropriatè verò, vt à conditione.

Declaratur hoc. Eſſentia diuina ſecundum ſe conſiderata: quia eſt infinitè perfecta in ratione intelligibili, habet formaliter rationem omnium creaturarũ ad intellectionem, ſcilicet, rationem intellectus, ſpeciei, obiecti primarij repræſentatiui, rationis formalis intelligẽdi, & actualis intellectionis. Eadem verò eſſentia, vt eſt natura Verbi: quia vt ſic,non eſt id quod,ſed id, quo Verbum conſtituitur in ſua eſſentia, ideo ipſa,vt ſic,non eſt ipſum obiectum formale,in quo omnia Patri repræſentantur, ſed eſt ratio,qua Verbum ſecundariò,& mediatè repræſentat illa Patri: nam,quia Verbum habet eſſentiam communicatam ſibi per modum ſimilitudinis actualis expreſsè ab intellectu Patris,ab illa,vt à ratione formali,habet eſſe ſecundarium obiectum illius, ab obiecto autem ſecundariò cognitio non accipit ſpeciem, vt cognitio diuina non accipit illam à Creaturis, & ideo intellectio Dei, non accipit eſſe,aut ſpeciem à Verbo,quod eſt obiectum ſecundariũ, proprietas verò perſonalis Verbi,ſcilicet filiatio eſt conditio requiſita,vt Verbum ſit iſto modo obiectum: quia, eo ipſo, quod eſt relatio procedentis per intellectum, eſt relatio ſimilitudinis expreſſæ, & intellectæ, quæ habet rationem obiecti, & quia iſta conditio defficit Spiritui Sancto,cum non procedat per modum ſimilitudinis expreſsè, ſed per modum impulſus, vt dicetur Art.4.ideò,licet habeat eamdem

essentiam non habet rationem obiecti secundarij diuini intellectus; verumtamen est in eis essentia Patrem omnia cognoscere sicut in sua essentia, vt habet Aug. 15. de Trinitate Cap. 14. Sed hoc non conuenit illi ratione essentiæ, vt sibi communicatæ, sed propter conditionem communem essentiæ, quæ de se est obiectum in quo omnia cognoscuntur.

Secunda pars Conclusionis negatur ab aliquibus, sed mihi videtur certissima, & probatur.

Primo, quia illam docent multi, inter quos præcipuè Athan. contra Gregales Sabelij in oratione, vbi ait, quod sapientia Patris est Filius, non, vt in homine, vbi per sapientiam est sapiens, sed ex sapiente sapientia illa ortum habet, quo significatur Verbum non esse formã qua Pater intelligat, & sit sapiens.

Eamdem Conclusionem docét Scotus dist. 32. in primo, Quæst. 2. & Gabri. Quæst. 1. qui eadem ratione negant illam, Pater intelligit omnia Verbo, quia ibi significatur habitudo causæ formalis in Verbo respectu intellectionis Paternæ, quam tamen non habet, ratio huius est: quia forma etiam secundaria alicuius debet ei tribuere aliquem veluti effectum formalem sibi proprium: Verbum verò nullum potest tribuere intellectioni Patris, nec Pater habet aliquam perfectionem suæ intellectionis à Filio etiam secundariò, alias saltim secundariò reciperet ab eo suam essentiam, quæ est sua intellectio.

Dicendum ergo est, quod licet Verbum ratione suę essentiæ posset esse quantum est ex parte illius, ratio formalis cognitionis Paternæ, quia ratione illius intellectum Patris constitueret vnum actualiter cum re intellecta: tamen in hac ratione præuenitur ab essentia secundum se, & actu non constituit intellectum Patris vnum cum re intellecta, quia ipsa, vt est in Filio, non aliter facit intellectum Patris esse rem intellectam, quam illum faciat secũdum se, & ideo licet Verbum diuinum secundum rationem formalem suæ processionis habeat esse rationem formalem intelligendi, vt diximus Art. 1. dub. 3. ad 2. Tamen, quia præuenitur modo dicto, neq; exercet actum rationis formalis intelligendi, neq; est dicendum quod est talis ratio; nisi fortè per appropriationem eo modo, quo essentialia appropriãtur illis personis cum quarum proprietatibus habent aliquam conuenientiam, vt disputabitur infra Quæst. 39. Art. 7. esse autem rationem formalem intelligendi, quod conuenit essentiæ, habet aliquam conformitatem cum propietatè personali Verbi, quatenus per intellectualé expræssionem procedit, vt actualis similitudo.

Ad

Ad primum, Ergo nego Antecedens. Ad primum testimonium respondeo à D. Thom. infra Quæst.34.Art.2. ad 5. Verbum ibi sumi pro imperio, vel est locutio in transitiua, & sensus est. quod ipsum Verbũ, quod est sua virtus, per se portat omnia &c. sicut eodem modo sumitur illud Ioan. 12. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum, id est, ego, qui sum Verbum iudicabo eum, ita Aug. hic.

Ad secundum testim. respondeo, ibi fieri sermonem de Verbo prædicationis euangelicæ, ita Theophi. Caie. & alij ibi, vel repetitio eiusdem personæ per diuersa nomina, ita Athan. in illud. Deum de Deo, & in lib. contra Samosetanum.

Ad tertium testimonium Respondeo eisdem modis.

Ad primam confirmationem patet ex quarta conclusione. Ad secundam distinguo Minor. Filius ratione proprietatis personalis non dicit respectum ad creaturas transeat Minor. ratione essentiæ quam includit, Nego Minorẽ, & eodem modo Verbum ratione proprietatis personalis dicit respectum ad Patrem, à quo procedit, ad Creaturas verò ratione essentiæ, de quo vide D.Thom. infra Quæst.34.Art.3. ad primum.

Ad tertiam confirmationem, Respondeo eodem modo distinguendo, consequens, est prius ratione essentiæ, vel includit aliquid prius scilicet essentiam, ratione cuius dicat illum respectum, concedo Consequens. Est prius ratione proprietatis personalis, Nego Cõsequens: nam licet, in diuinis sint priora personalibus ea, quæ secundum se de ratione sui, dicunt talem respectum, non tamen ea, quæ dicunt illum ratione essentiæ inclusæ: omnes enim personæ, teste D. Thom. vbi supra, ratione essentiæ, quam includunt dicunt talem respectum, & non sunt priores se ipsis.

Ad secundum argumentum. Art. 1. diximus filiationem esse in Patre non relatiuè, constitutiuè, sed entitatiuè, & terminatiuè, & hoc sufficit vt in illo sit essentia, & quicquid est, & ratione illius, de quo latius Quæst. 28.

Ad confirmationem, Nego maiorẽ Ad probationem nego Antecedens, satis enim est intuitiuæ cognitioni, si eius obiectum, coexistat simul tali cognitioni: nam essentia diuina, quæ intuitiuè cognoscitur à Deo, non præexistit, sed coexistit suæ cognitioni intuitiuæ, similiter ergo Verbũ diuinum potest esse intuitiuum personarum, quia simul coexistunt ibi.

Ad tertiam Nego maiorẽ vt patet ex 4. conclusione. Ad probationẽ distinguo Minorẽ verbum per suam relationem habet esse expres-

ſam ſimilitudinem; quantum ad rationem ſimilitudinis concedo Minorē, nam id habet ratione eſſentiæ ſibi communicatæ, quātum ad rationem expræſſionis per intellectum, & paſſiuæ generationis, vel dictionis, Nego Minorem, & vt dictum eſt, hanc relationem per ſe primo ſignificat verbum.

Ad primam confirmationem Reſpondeo D. Thom. in locis ſupra allegatis correxiſse ſuam ſententiam.

Ad ſecundam, Reſpondeo rationem cauſæ, & Ideæ non conuenire Verbo ratione ſuæ proprietatis perſonalis, quam per ſe primò dicit, ſed ratione eſsentiæ communicatæ illi per intellectum, & eamdem rationem dicit Filius ratione eſsentiæ eodem modo ſibi communicatæ.

Ad tertiam, Nego Conſequentiam: nam, Quæ increaturis dicunt ordinem tranſcendentalem in diuinis poſsunt dicere relationes ſecundum eſse, vt generare, & generari in creaturis dicunt ordinem tranſcendentalem, ad ſuos terminos, quia dicunt actionem, & paſſionem, quæ non ſunt relatiua ſecundum eſse, in diuinis verò dicunt relationem ſecundum eſse.

Ad quartam confirmationem diſtinguo Maiorē Vltimum conſtitutiuum in ratione formali eſsentiæ, & naturæ, concedo Maiorē Vltimum conſtitutiuum in ratione perſonali. Nego Maiorē. Ad probationem, Reſpondeo, rationem ſimilis, & imaginis non conuenire Spiritui Sancto, quia licet habeat eandem eſsentiam, quam Filius, habet tamen illam communicatam per voluntatem, & non per intellectum, eſt autem de ratione procedentis per intellectum, vt ſic, quod ſit ſimile: hoc autem non eſt de ratione procedentis per voluntatem, ſed quod ſit impulſus, & amor, vt dicetur Art. 3. & 4.

Ad quartū principale patet ex ſecūda parte vltimæ cōcluſionis: nā Maior eius eſt vera in intellectu creato, qui in genere intelligibili eſt potentialis, & actualis, & perfectibilis per verbum, quia eius ſpecies non habet omnimodam actualitatem in genere intelligibili, non verò eſt vera, in intellectu diuino, qui ante productionem verbi ex ſua eſsentia, (vt ſpecie) habet infinitam actualitatem intelligibilem, & à Verbo nullā poteſt recipere perfectionem intellectionis.

Ad confirmationem patet. ex Quæſt. 36. Art. 4.

Ad quintum Nego min. Ad probationem, vt Reſpondeatur.

DVBITATVR III.

An ſit efficax ratio, qua D.Thom. in Articulo probat verbum procedere in eadem natura: quia, ſcilicet, in Deo idem eſt intelligere, & eſſe.



IDETVR quod non. Primo, quia eſse Verbi non eſt intelligere, ſed intelligi: Intelligi autem non eſt formaliter natura diuina, Ergo licet in Deo intelligere, & eſse ſint idem, non ſequitur Verbum habere eamdem naturam diuinam. Conſequentia patet, quia vt id ſequ eretur requirebatur, quod eſse Verbi eſset ipſum intelligere & non ſufficit, qnod ſit intelligi. Maior autem probatur dupliciter. Primo, quia D. Thom. 4. contra Gent. Cap. 11. ait, quod eſse Verbi eſt intelligi, Ergo. Secundo, quia Verbum vt ſic eſt obiectum intellectus, vt ſupra diximus; eſse autem obiecti actualis, eſt intelligi, non intelligere. Minor etiam patet: nam intelligere dicit actum realem; intelligi autem ſolum dicit ens rationis, nam ideò, Ideæ in Deo ſupra eſsentiam diuinam ſolum addunt reſpectum rationis: quia earum eſsentia conſiſtit in hoc, quod natura diuina cognoſcatur, vt exemplar Creaturarum.

Dices cum Caiet. hic, quod intelligi, vt obiectũ interius, in quo res intellecta actu intelligendi exprimitur, vt ſimilitudo, eſt aliquid reale.

Sed Contra hoc. Arguitur ſecundo, quia licet Verbum exprimatur per intellectionem, vt eſt in via (ſicut diximus ſupra:) tamē ab intellectione, vt eſt completa in termino, nec formaliter, nec cauſaliter habet eſse ſimilitudinem expreſsam, Ergo illud intelligi, vt eſt denominatio à cognitione perfecta, completa in ſuo termino, nullò modo eſt ens reale, ſed rationis.

Tertio ex hoc, quod intelligere, & eſse Dei vt ſunt idem, & Verbum participat tale eſse Dei, non ſequitur ipſum procedere, vt genitum Ergo ratio eſt inefficax. Antecedens patet in Spiritu Sancto, qui habet idem eſse Dei, & tamen non eſt genitus, nec procedit vt Filius.

Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

In hoc dubio quatuor sunt communes modi dicendi.

PRimus est. Syluestri in Conflato primæ partis Quæst. 27. Art. 2. qui sentit D. Thom. dicentem esse Dei esse intelligere, & esse Verbi consistere in intelligi, & in Deo idem esse intelligere, & intelligi loqui in sensu identico, & materiali. Consonant huic sententiæ Ferrar. & Caiet. Ferrar. 4. Contra Gent. Cap. 11. §. Circa probationem, vbi ait, quod, quia intelligere, & intelligi sunt idem sicut Actio, & Passio, & esse est intelligi, consequenter eius esse erit intelligere, quod est esse Dei. Caiet. verò hic vbi ait, quod sicut per esse substantiæ existunt omnes eius partes, ita per intelligere diuinum, existunt omnia, quæ concurrunt ad intellectionem scilicet intellectus, species, obiectum, & Verbum, &c. & ideò Verbum, si existit per esse Dei, quod est eius intelligere, debet esse eiusdem naturæ cum Deo: quia, quæ habent idem esse participant eamdem naturam.

Secundus est, quod ista propositio, Esse Verbi est intelligi, est vera veluti causaliter: quia scilicet Verbum producitur per intellectionem, ex quo formant rationem sic. Terminus debet proportionari actioni, Sed terminus diuinæ intellectionis productus per illam est Verbum Ergo debet proportionari intellectioni diuinæ, quæ est eius esse, & substantia, & per consequens debet esse eiusdem naturæ cum Deo, & eius productio erit generatio.

Tertius est. Molinæ hic §. Hæc vltima probatio, vbi ait rationem D. Tho. fundari in hoc, quod Verbum diuinum ratione absoluti, & essentialis, quod includit dicit intelligere, quod est essentia Dei, & per consequens sequitur, quod conueniat cũ Deo in essentia, & quod eius productio sit generatio.

Quartus est. Aliorum, qui dicunt rationem D. Tho. fundari in doctrina eiusdem Angelici Doctoris hic Art. 1. ad 2. vbi ait, quod quantò Verbum fuerit perfectius, tantò est magis vnum cum suo principio, sed Verbum diuinum est infinitè perfectum, cum procedat ab intellectu omninò actuali, cuius esse est sua intellectio, Ergo debet procedere vnum cum illo infinito modo, quod est procedere in identitate naturæ cum distinctione personali, & hoc sufficit, vt sit Filius, & eius productio sit generatio.

Vel aliter formant istam rationem. Vbi intellectus est pure actualis,

lis,

lis, ibi, teste D. Tho. supra Quæst. 14. Art. 2. & 4. omninò formaliter identificantur intellectus, intellectio, & Verbum, sed intellectus Dei, est purè, & infinito modo actualis, Ergo ibi formaliter identificabitur Verbum cum intelligere Dei, quod est eius essentia, & per cõsequens Verbum procedet, vt habens eamdem naturam Dei, & vt Filius, & genitum.

Sed omnes isti modi dicendi sunt deficientes. Primus quidem, quia cum vnitate identica reperitur distinctio specifica, & formalis, vt patet in Actione, & Passione Relatione, & Fundaméto, Ergo ex hoc, quod esse Verbi Dei identicè sit intelligere diuinum, quia est intelligi, quod idẽtificatur cum intelligere; non inde infertur eamdem formaliter essentiam Dei, esse essentiam Verbi, quod requirebatur, vt esset Filius, & eius productio generatio.

Confirmatur, esse Spiritus Sancti identicè est intelligere, & esse Dei, & ex hoc, quod ex vi suæ processionis participat velle Dei, quod identicès est intelligere, & esse Dei, non sequitur, quod sit Filius: quia ex vi suæ processionis non participat, id quod formaliter habet in Deo rationem essentiæ, Ergo quod Verbum ex vi suæ processionis solum identicè participat intelligere Dei, quod est eius essentia, non sequitur illud esse Filium, & eius productioné esse generationem, quia ad hoc requiritur, vt ex vi suæ processionis participet id, quod formaliter habet rationem essentiæ Dei.

Confirmatur secundo contra Caiet. quia, vt ipse fatetur, formale esse Verbi, quod ei communicatur per suam productionem est intelligi, vt sic, intelligi autem secundum suum præcisum conceptum, non est formaliter essentia Dei, quæ est formalis actualitas intellectionis, quam non dicit intelligi passiuè, Ergo ex hoc, quod esse Dei sit intelligere, & esse formale Verbi sit intelligi, non sequitur, quod ei ex vi suæ processionis communicetur id, quod formaliter habet rationem essentia Dei.

Secundus etiam insufficiens est: quia licèt actio, & termin. proportionentur in hoc, quod actio substantialis terminatur ad substantiam, & accidentalis ad accidens: non tamen proportionantur in hoc, quod habeant eamdem naturam specificam: differunt enim specie Homo, & eius generatio, Ergo licèt Verbum diuinum procedat per intelligere Dei, quod est eius esse, non inde formaliter sequitur, quod habeat eamdem naturam, & quod eius productio sit generatio.

Tertius similiter insufficiens est: non enim explicat quare Verbũ ex sua ratione formali includat intelligere essentiale, quod est esse

Dei: nam cum Verbum sit terminus intellectionis, vt est dictio, & obiectum eius, vt est contemplatio, & terminus, vel obiectum alicuius actionis ex sua natura non sint eiusdem essentiæ cum actione, non explicatur in illo 3. modo dicendi: quare Verbum diuinum, vt sic, ex vi suæ processionis formaliter includat intelligere Dei, quod est eius esse.

Quartus. Tandem verum quidem dicit ex doctrina D. Th. Sed non explicat rationem huius articuli, cuius vim hinc inquirimus, Sed Conclusionem probat alijs rationibus.

Omissis, Ergo istis quatuor modis dicendi. Ego olim aliter explicui istam rationem D. Thomæ per cuius declarationem supponebam tria.

Primum est, Naturam vel Essentiam Dei esse ipsum intelligere, vel saltim intelligere Dei, esse quasi gradum differẽtialem esentiæ eius.

Secundum est ex Caiet. supra Quæst. 15. Art. 1. quod esse Dei est tãtæ excellentiæ, vt formalitès eminentès contineat omnes modos essẽdi in Anima, & extra Animam aliàs enim nõ eset formalitèr infinitũ omnibus modis, & ideò esse naturale Dei non solum est ordinis intelligibilis, & ipsa formalis intellectio, Sed etiam per se, & non per accidens habet esse obiectum respectu sui intellectus: aliàs enim formalitès eminentès contineret omnes modos essendi, & ideò esentia diuina, vt obiecta suo intellectui, quæ, vt sic, vocatur Idæa, non est ens rationis.

Hinc sequuntur duo. Primum, quod licèt intelligi in alijs rebus sit denominatio rationis, & extrinseca; tamen intelligi à Deo, vt obiectum eius intrinsecum est, & essentiale, & idem, quod intelligere Dei, aliàs intelligere Dei non includeret omnes modos esendi eius: quia non includeret esse obiectiuum eius.

Secundum, quod sequitur est. Quod intelligere Dei formaliter est omnis forma intellectus diuini constituens illum veluti in actu vnum cum re intellecta, & quod præhabet formaliter omnia, quæ sunt necessaria ad intellectionem: aliàs non eset simpliciter infinitum in ordine intelligibili, & ideò licèt intelligere Dei solum videatur importare actualitatem intellectionis: tamen formaliter etiam importat omnia requisita ad intellectionem, etiam ipsum Verbum: quia hoc requiritur ad eius infinitatem. Vnde D. Tho. dixit, quod ratio Verbi clauditur in intelligere diuino.

Tertium supponendum est, quod quia Ver bum habet tres rationes, scilicet Termini producti, Obiecti in quo, & Formæ actualis intel-

lectus,

lectus, quæ constituit illum vnum in actu cum re intellecta, & Verbum diuinum, habeat saltim duas priores rationes, vt dictum est, sub quacumque illarum consideretur, eius esse consistit in intelligi.

Declaratur hoc. Esse Verbi, vt est terminus productus per intellectionem, vt est in via cōsistit in intelligi inchoatiuè, quia producitur per intelligi, & dici, esse etiam Verbi, vt est obiectum consistit in intelligi in actu completo: quia esse obiecti, vt sic consistit in cognosci, & ipsum cognosci constituit rem in esse obiecti, esse etiam Verbi creati, vt est forma actualis intellectus in hoc sensu consistit in intelligi, quod eius essentia est esse formam actualem, qua res actu intelligatur à Nobis.

Applicando autem hæc ad Verbum diuinum, dicimus, quod esse illius (vt est terminus productus per dictionem) consistit originalitèr in intelligi, id est, producitur: quia dicitur, & exprimitur per intellectum, similiter etiam esse Verbi, vt est obiectum modo prędicto consistit in intelligi diuino, quod formalitèr est idem cum intellectione Dei, quæ includit formalitèr omnes modos essendi Dei in intellectu etiam esse obiectiuum.

Ex his patet ratio D. Thom. quæ sic potest formari; Verbum diuinum procedit vt viuens à viuente coniuncto, & cognoscente in similitudine naturæ, Ergo procedit vt Filius, & eius productio est generatio. Antecedens pro vltima parte (de qua erat difficultas) sic probatur. Verbum diuinum ex sua ratione formali, vt est obiectum intrinsecum intellectus diuini procedit, vt non habens aliud esse: nisi intelligi à Deo vt obiectum intrinsecum, Sed hoc intelligi formaliter, est idem, quod intelligere diuinum, quod est essentia Dei, Ergo procedit vt habens eandem essentiam, & naturam Dei. Maior patet cum Minore ex prædictis suppositionibus: Qui tamen modus dicendi (quæ olim sufficientem iudicabam) modo displicet, & videtur mihi inefficax. Quia licèt esse Verbi, vt sic, sit intelligi: tamen istud intelligi non est essentiale, Sed personale, Ergo licèt intelligi conueniat Verbo diuino ex vi suæ processionis, non sequitur ei conuenire esse essentiale, & naturam Dei; Antecedens declaratur. Intelligi, quod conuenit Verbo diuino consistit in hoc, quod sit obiectum secundarium intellectus diuini: quia natura diuina communicatur illi per modum intelligibilem, & ad hoc concurrit essentia diuina vt ratio, & personalitas, vt conditio, Sed esse obiectum isto modo non est essentiale, nec conuenit essentiæ secundum se, & cæteris Personis diuinis (vt diximus dub. 2.) quia non eis communicatur essentia diuina per actum in-

tellectus, & ipsa essentia est obiectum primarium, Ergo.

Secundò Verbum non importat per se primò ipsam actualem intellectionem Dei, quæ est eius essentia, Sed esse obiectum secundarium intellectus diuini cuius esse consistit in intelligi, Sed licet intelligi sit idem formaliter, quod intelligere, & esse Dei: tamen virtualiter distinguitur ab illo, & supponit illud, sicut omnis passio supponit actionem, Ergo quod Verbo diuino communicetur per se primò, & formalissimè communicetur ei, quod habet rationem essentiæ, & naturæ diuinæ, & hoc requirebatur ad generationem, non enim sufficit, vt communicetur ipsa essentia secundum aliam rationem virtualiter distinctam: Non enim generatur Filius in diuinis per hoc, quod formaliter, & per se primo communicetur ei amor, Iustitia, vel misericordia Dei.

Dicendum, Ergo est D. Thom. non inferre Verbum esse Filium, & genitum, quia eius esse, quod est intelligi, sit formaliter idem, quod intelligere, quæ est essentia Dei, Sed ratio eius est ista. Esse Verbum adęquatum, & totale conueniens ei ex vi suæ processionis est intelligi modo prædicto, idest, est esse obiectum secundarium diuinæ intellectionis: Sed hoc habet formalitèr: quia per actionem intellectus communicatur ei essentia Diuina, quæ formalissimè est ipsum intelligere Dei, & obiectum primarium suæ intellectionis, (vt diximus dub. 2.) Ergo Verbum diuinum ex vi suæ processionis habet communicatam sibi formaliter eamdem naturam Dei, & per consequens erit propriè Filius, & eius productio erit vera generatio. Hæc ratio sic intellecta euacuat omnes diffinitiones.

Ad primum, Ergo nego Consequentiam. Ad probationem Respondeo, quod ad efficaciam istius rationis non requiritur, quod esse Verbi scilicet intelligi, & intelligere diuinum sint ita formaliter idem, vt nec virtualiter distinguantur, Sed satis est quod intelligi Verbi, modo explicato idest, illud esse obiectum secundarium, & intrinsecum intellectionis diuinæ ratione eiusdem essentiæ communicatæ per actum intellectus supponat eamdem naturam diuinam per actionem intellectus esse illi communicatam in ratione expræssè similitudinis: Nam ex hoc benè sequitur, quod ex vi suæ processionis habeat eamdem naturam diuinam. Ad id autem, quod intelligi est ens rationis patet ex dictis, quod licèt sit ens rationis intelligi vt obiectum extrinsecum Dei: tamen intelligi vt obiectum intrinsecum, etiam mediatum intellectionis infinitæ necessario est ens reale, quia dicit habere essentiam diuinam ratione cuius, vt communicatæ per actum intellectus secundariò determinat intrinsecè diuinam intellectionem, & hoc est esse ens reale.

Ad

Ad secundum patet ex his: Nam intelligi isto modo vt obiectum secundarium ratione essentiæ communicatæ per actum intellectus nõ conuenit Verbo solum ratione intellectionis in via, & vt est dictio, Sed etiam ratione intellectionis completæ, vt est in termino: quia Filius non est isto modo obiectum: nisi cognitionis perfectæ.

Ad tertium distinguo Antecedens. ex hoc, quod participat absolutè esse Dei, non sequitur esse genitum concedo Antecedens, & id probat ratio de Spiritu Sancto ex hoc, quod participet esse Dei ex vi actionis intellectus, qua per se primò communicatur essentia diuina, vt sic, Nego Antecedens. Dicemus autem Art. 4. Filium isto modo participare naturam diuinam, & ideò esse genitum, non verò Spiritum Sanctum.

ARTICVLVS III.

An in diuinis sit alia processio à generatione Verbi.

Conclusio Prima.

In diuinis sunt duæ Processiones scilicet Verbi secundum actionem intelligibilem, & amoris per voluntatem.

Secunda ad tertium.

Processio amoris habet distinctionem ordinis à processione verbi: quia de ratione amoris est, quod non procedat nisi à conceptione intellectus.

DVBITATVR PRIMO.

An prima Conclusio sit vera.



VIDETVR, quod non. Primò, quia sola processio Verbi exhaurit totam perfectionem actionis Dei, per quam procedit, vt est formaliter intelligere, & velle Ergo præter illam non potest dari alia processio per eandem actionem etiam, vt includit intelligere, & velle. Antecedens patet: Nam Processio Verbi est infinita, & ideo requirit infinitam perfectionem in actione per quam procedit, & per consequens

postulat totam perfectionem, quam habet illa actio Dei, vt est intelligere, & velle. Consequentia verò probatur, quia nulli actioni potest correspondere adæquatè nisi vna processio, & vnus terminus alias, si corresponderent plures nullus eorum esset adequatus, vel aliquis eorum procederet vltra eius virtutem si quidem illa veluti exhauritur in vno.

Confirmatur Processio verbi est simpliciter infinita in ratione processionis, Ergo per illam procedit quidquid potest procedere in diuinis, & per consequens non datur alia processio. Antecedens supponitur: quia terminus eius est simpliciter infinitus, & processio debet ei proportionari. Et Consequentia probatur, quia non est processio infinita præhabens omnem rationem processionis illa, per quam non procedit quidquid procedere potest, sicut nec est actio simpliciter infinita in ratione actionis illa, quæ non habet omnem rationem cuiuslibet actionis intellectionis, scilicet volitionis &c.

Secundò Arguitur in nobis nihil procedit per actum voluntatis, Ergo neq; in Deo. Consequentia probatur, quia D. Thom. in Art. ex Processione amoris in nobis suadet processionem amoris in diuinis. Antecedens autem probatur dupliciter. Primò, quia in nobis per talem actum nihil producitur, neq; vt terminus, vt habet D. Tho. de veritate Quæst. 4. Art. 2. ad 7. nec vt obiectum: quia teste Arist. 6. Metha. tex. 8. obiectum voluntatis est adextra in rebus ipsis in quo distinguitur ab intellectu, qui habet obiectum sibi intrinsecum: neq; verò procedit, vt actualis inclinatio: quia ipse actus amoris est actualis inclinatio, qua ferimur in obiectum, iuxta illud Aug. lib. 13. Cōfessionum Cap. 9. Amor meus pondus meum illò feror quocumq; feror, Ergo. Secundò probatur in gaudio tristitia, pace, odio, desiderio, & timore non procedit talis terminus, Ergo nec per amorem. Consequentia patet: quia eadem ratio est de omnibus actibus voluntatis, Antecedens autem, quod attinet ad odium, & tristitiam patet: Nam isti actus sunt fuga suorum obiectorum, Ergo non oportet per eos produci terminum ratione cuius obiectum sit in voluntate, quæ ratio Quare D. Thom. in Art. ait per amorem produci talem terminum, & rursus non oportet in istis actibus ponere tales terminos, vt ratione eorum voluntas fugiat ab eorum obiectis: nam ipsi actus essentialiter sunt fuga suorum obiectorum, Ergo. de Gaudio etiam patet idem Antecedens, nam gaudium est de obiecto præsenti, Ergo non oportet per illud produci terminum, qui faciat obiectum præsens, siquidem iam supponit præsens, idem est de cæteris actibus.

Tertio

Tertiò arguitur: Nam aliàs Spiritus Sanctus posset vniri voluntati in ratione huius termini inclinantis actualiter voluntatem in aliquod obiectum; Consequens est falsum, Ergo. Sequela patet: Nam Verbum vnitur humanitati in ratione personæ, & existentiæ: quia ista dicunt rationem Termini, & nō Actionis, & Deus potest vniri in ratione Termini, Ergo similiter poterit vniri in ratione Termini voluntatis. Minor verò probatur: quia tunc Spiritus Sanctus, esset actualis inclinatio voluntatis, quod implicat: quia, cum de ratione talis inclinationis sit esse voluntarium, de ratione eius erit esse à principio intrinseco, quod repugnat Spiritui Sancto: repugnat enim illi procedere à principio intrinseco hominis.

Quartò, Amatum non est in amante ratione huius termini, Ergo ratio, D.Thom. supponit falsum. Antecedens probatur tripliciter. Primò, quia amor abstrahit à præsētia obiecti, qua ratione 1.2. Quęst. 3. probatur Beatitudinem non cōsistere in amore: quia amor abstrahit à præsentia obiecti: beatitudo autem requirit illud præsens, Ergo ratione illius termini amatum non est præsens amanti. Secundò amatum sufficienter fit præsens amanti per ipsum actum amoris, Ergo nō requiritur talis terminus, vt fiat præsens. Antecedens patet: Nam (vt statim dicemus) amatum est præsens amanti, vt terminus inclinationis, & amoris illius, sed etiam est terminus ipsius actus amoris, Ergo ratione illius sufficienter fit præsens. Tertiò talis terminus, est quoddam pondus, & propensio in rem amatam, Ergo ratione illius amatum non est in amante, sed econtra. Antecedens patet: quia, vt diximus ex Aug. de ratione ponderis istius, & amoris est, quod ratione illius voluntas extra se feratur in rem amatam, Ergo.

Quinto Arguitur contra id, quod habetur in solutione ad 3. quod de ratione amoris est, vt procedat à Verbo: Nam amor essentialis Dei, & amor Charitatis in Patria non procedunt à Verbo: quia amor essentialis præintelligitur Verbo diuino, & per visionem beatam non producitur Verbum, (vt suppono,) à quo procedat amor beatificus, Ergo.

Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

In hoc dubio sunt quinq; sententiæ.

PRima est, Per amorem creatum nullum terminum produci: bene tamen per diuinum, quia habet infinitam perfectionem amoris,

cui non debet deesse perfectio termini, ita Valentia hic puncto 4.

Secunda est Durandi in 1. dist. 6. Quæst. 2. & Aureoli apud Capreolum in 1. dist. 10. Quæst. 1. dicentium, quod nec per voluntatem diuinam producitur aliquis terminus distinctus ab actu amoris, sed Spiritum Sanctum esse ipsum esse ipsum actum amoris diuini. Quia Sācti Patres sæpè dicunt Spiritū Sanctum esse amorem Dei, ita habent Greg. hom. 30. in Euang. Aug. in lib. de cognitione veræ vitæ in responsione vltimi Hiero. Psalm. 14. Anselmus in Monologium Cap. 5. & Alij.

Tertia est; per amorem remissum non produci terminum, & ideò neque in diuinis per amorem essentialem: produci autem per amorem perfectum, & ideò in diuinis produci per amorem notionalem, ita Henricus Quodlibet 6. Quęst. 1. & in summa Ar. 54. loquitur enim de amore proportionabiliter ad ea, quæ dixerat de intellectione, vt retulimus Art. 1. dub. 1.

Quarta est Scoti in 1. dist. 2. Quæst. 7. & dist. 3. Quæst. 3. & dist. 6. & 10. & dist. 37. Quæst. 3. qui proportionabiliter ad ea, quæ dixerat, & intellectu ait in voluntate esse duas res. Prima est actus spirandi, qui pertinet ad gen' Actionis, Altera est amor, qui est de genere Qualitatis, & non actio, sed terminus actionis, qui est spiratio.

Quinta est; Per actum amoris, vt sic, produci terminum distinctum ab ipso amore, ita Caiet. hic Ferrar. 4. contra Gentiles Cap. 19. Capreol. in 1. dist. 10. quæst. vnica, & dist. 37. quæst. 2. ad 3. secundo loco contra 1. & cæteri Thomistæ: dissentiunt autem in explicando, quid sit iste terminus: Nam Ferrar. vbi supra Torres, & Banes hic, & alij dicunt, illum non esse obiectum voluntatis, sed esse terminum illius: Addit autē Bannes, quod quia amor est quædam impulsiua motio voluntatis ad rem amatam: quia veluti extrahitur extra se, & per motionem impulsiuam imprimitur obiecto, quædā vis, quæ est principium sui motus, ideò ex amore, vt est, motio impulsiua imprimitur voluntati quædam vis, ratione cuius fertur in obiectum, & amat illū, & hāc vim dicit esse terminū amoris. Videturq; hoc approbare D. Th. 4. contra Gentiles Cap. 19. vbi ait, Quod sicut leuitas est principium, quo ignis mouetur sursum, ita istè terminus productus per amorem est principium dilectionis, quod consentit in hoc Capreol. in 1. dist. 10. ad 1. & subdit, quod istè terminus, & vis impulsiua est quædam habitualis inclinatio voluntatis relicta ex amore præcedente, qua voluntas inclinatur ad amādum, sicut grauitas inclinat lapidem ad Centrū idem tenet Ferrar. vbi supra §. hinc patet, Alij verò tenent istum terminum

minum non esse principium actualis dilectionis, sed solum esse terminum illius, & complementum determinans eam ad aliquid obiectum sicut intellectio per Verbum determinatur ad suum obiectum.

Sed pro explicatione.

DIco primò, Per omnem actum etiam imperfectum cuiuscumque voluntatis etiam creatæ producitur aliquis terminus in voluntate.

Hæc conclusio est D. Thom. hic, & infra Quæst.37. Art. 1. & 4. cōtra Gentiles Cap.19. & est communis Thomistarum, & probatur: Nā per actum voluntatis diuinæ procedit terminus scilicet Spiritus Sanctus, ergo etiam per actum voluntatis creatæ. Probo Consequentiam quia, teste Aug. lib.14. de Trinitate Cap.8. & D. Tho. hic Quæst.93. Art.7., Quælibet natura intellectualis est cōdita ad imaginem Trinitatis, ita quod secundum mentem assimilatur illi in productione Verbi, & Termini amoris aliàs si solum assimilaretur Deo in ipso actu cognitionis, & amoris assimilaretur illi in essentialibus, & non in ratione Trinitatis,

Secundò probatur, & suppono inter amantem, & amatum esse mutuam hinexionem, ita quod amans per inclinationem est in re amata iuxta illud Matth.6. Vbi est Thesaurus tuus, ibi est, & Cor tuum, & è contra amatum per amorem, & quamdam perfectam complacentiam est in amante iuxta illud ad Philippe. Primo eò quod habeam vos in corde, & iuxta illud Cant. 8. Ponè mè, vt signaculum super cor tuum, Vtrumque horum significatur in illo 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo, de quo latè D. Tho. 1. 2. Quæst.28. Art.2.

Ex hoc sic arguitur. Amatum non potest manere in amante per complacentiam perfectam, & in facto esse: nisi ponamus istum terminum amoris: quia per actum amoris solum est in illo, vt terminus complacētiæ habētis modum viæ, & tendentiæ, & in fieri, Ergo oportet ponere talem terminum ratione cuius amatum sit in amante per complacentiam perfectam, & in facto esse.

Confirmatur istè terminus neque ex modo suæ productionis neque ex sua entitate requirit infinitam perfectionem in actione, per quam procedit, Imò nec tantūm, quantūm requirit Verbum, sed Verbum potest procedere per actionem intellectus creati, Ergo etiam istè terminus poterit procedere per actionem voluntatis creatę, & non solum per amorem diuinum.

Ex his rationibus infertur talem terminum produci per actũ amoris, amicitiæ, vel concupiscentiæ, & per omnes alios actus voluntatis, quantumuis imperfectos. Prima pars probatur, Nam amor amicitiæ, & concupiscentiæ habent diuersa obiecta, quorum quodlibet oportet esse in amante per complacentiam perfectam, vt dictum est, & in quolibet istorum amorum potest reperiri in nostra mente imago Trinitatis, sed hæc non saluantur nisi per quælibet eorum producatur prædictus terminus, Ergo. Secunda pars patet eadem ratione: nam ideò per amorem producitur talis terminus, vt voluntas amet, & habeat complacentiam perfectam, & in facto esse, & non tantum per modum viæ, & tendentiæ, & in fieri, sed etiam oportet, vt voluntas tristetur, gaudeat, speret, desideret, vel timeat &c. non solum per modum viæ, & tendentiæ, sed etiam complacentiæ, gaudij, tristitiæ, vel expectationis perfectæ, & in facto esse, Ergo.

Confirmatur, Nam D. Tho. supra Quæst. 8. Art. 3. docet rem desideratam esse in desiderãte, quod debet verificari ratione termini producti per actum desiderij.

Eisdem argumentis manet probata 3. pars de amore imperfecto: nã res amata per illum etiam debet manere in amante ratione talis termini, & etiam in tali amore debet reperiri suo modo prædicta similitudo Trinitatis.

Dico secundò. Terminus productus per actum voluntatis non est similitudo rei amatæ. Hæc conclusio est D. Thom. hic Art. 4. & 4. contra Gentiles Cap. 19. & de veritate Quæst. 10. Art. 9. ad 3. & de potentia Quæst. 10. Art. 2. ad 12. Idem tenet Ferrar. & Capreolus, vbi supra. Et probatur. Ille terminus non procedit à re amata concurrente in ratione rei, sed in ratione cognitæ, Ergo non est similis rei amatæ. Antecedens probat Caiet. Art. sequenti ex illo Auerrois Balneum in anima est agens desiderium, quo significatur rationem, qua Balneum causat desiderium, non esse ipsam, naturam Balnei, vt est aptæ rei, sed quatenus est in anima per cognitionem. Cõsequentia verò probatur: quia, vt ibi ostendit Caiet. effectus est similis principio productiuo concurrente in esse rei, & non in esse cogniti.

Secundò terminus voluntatis diuinæ non procedit vt similis, Ergo nec terminus voluntatis nostræ ex se est similis rei amatæ. Consequentia patet: quia terminus voluntatis diuinæ habet quicquid per se potest competere termino voluntatis, vt sic, Antecedens verò patebit

bit Art.4.vbi dicemus Spiritum Sanctum non esse Filium,nec genitũ: quia non procedit vt similis. Imò verò D.Thom.de potentia vbi supra ait talem terminum non solum non esse similitudinem rei amatæ, Sed nec esse similem voluntati,Intelligitur autem de similitudine speciei atomæ: quia non est potentia sicut voluntas. ita Ferrar. vbi supra,neq; huic contradicit Caiet. Art. 4. dicens illum esse similem voluntati, loquitur enim de similitudine generica: quia est inclinatio: sicut, & voluntas: non tamen, quod ambæ sint eiusdem speciei atomæ: quia voluntas ponitur in secunda specie qualitatis, ille verò terminus collocatur in prima.

Dices eadem ratione Verbum non esse simile suo principio secundum formam,qua agit,scilicet speciem,quia species est habitualis,& Verbum actuale.

Sed Respõdeo,quod,(vt dicemus in sequẽtibus,)licet in esse rei distinguantur species,& Verbũ, vt argumentum probat: tamẽ, vt species exercet rationem speciei, idest, vt habet naturam rei repræsentatæ per illam,est eiusdem speciei atomæ cum Verbo,vt exercet rationem Verbi. Quid verò sit speciem exercere rationem speciei,& quomodo, vt sic, distinguatur à se ipsa,vt est qualitas habitualis explicat Caiet. supra Quæst.12.Art.2.& idem est de Verbo.

DIco tertiò. Terminus amoris non est habitualis inclinatio in obiectum amatum,neque principium actus amoris. Prima pars patet: Nam iste terminus, vt dictum est, producitur per quemlibet actum amoris etiam remissum, & producitur tanquam complementum illius, vt ipse actus sit perfectus, & completus, habitualis autem inclinatio voluntatis,scilicet aliquando producatur per vnum actum amoris, quo amatur aliquid, vt vltimus finis, quia ille solus actus est efficacior pluribus amoribus mediorum: tamen non producitur per singulos alios amores imperfectos,& inefficaces: quia habitus voluntatis non semper producitur per singulos actus voluntatis. Rursus licet talis habitus generaretur per singulos actus voluntatis,non tamen generatur, vt complementum illorum, Sed vt principium aliorum actuum subsequentium: hic autem loquimur de termino actus, qui complet, & perficit illum: habitualis autem inclinatio prædicta non perficit intrinsicè illum,vt diximus Art. 1.dub.2.

Confirmatur Per actum intellectus non solum aliquandò producitur habitus, Sed præter illum semper producitur aliquis terminus intrinsecus, & actualis, qui solum durat, quandiu durat actus intelle-

ctus, quo producitur, Ergò idem continget in voluntate quod, licet per eius actus aliquandò generetur habitus, tamen præter illum semper debet produci aliquis terminus intrinsecus, & actualis perficiens ipsum actum, & solum durans, quandiu durat talis actus.

Secunda verò pars Conclusionis probatur. Primo, quia terminus procedens in diuinis per actum voluntatis non est principium amoris, Ergo nec terminus procedens per actum voluntatis nostræ. Antecedens patet: quia amor in diuinis præsupponitur ad Spiritum Sanctum, Ergo ille non est principium talis amoris neq; essentialis, nec notionalis; quia vterq; supponitur eius productioni. Consequentia verò probatur: quia proportionabiliter ad diuina, debemus philosophari in humanis: nam ideò Creatura rationalis facta est, vt diximus, ad imaginem Trinitatis.

Secundo, quia aliàs spiratio realitèr distingueretur ab amore. Consequens ostendetur falsum Conclusione sequenti, Ergo. Sequela patet: nam tunc spiratio, & amor haberent principia effectiua realiter distincta, etenim spiratio non procederet effectiuè ab illo termino producto per ipsam, à quo tamen procedit amor, sunt autem realitèr distinctæ actiones illæ, quæ procedunt à principijs realiter distinctis, Ergo.

Confirmatur, quia aliàs præter has duas actiones deberemus ponere in voluntate aliam tertiam, qua scilicet, ipse terminus effectiuè producit amorem. Consequens est falsum: Nam in intellectu non ponimus istas tres rationes actionum, nec terminus dictionis effectiuè concurrit ad intellectionem, Ergo idem erit in voluntate.

Dico quarto. Actus voluntatis, quo producitur iste terminus est amor inchoactiuè, & in via, qui proprio nomine vocatur spiratio, & non distinguitur ab ipso amore completo, & in termino: nisi, quia includit quemdam modum producendi terminum, quē non dicit amor. Ista conclusio probanda est eisdem testimonijs, & rationibus quibus Art. 1. dub. 3. conclusione 2. & 3. ostendimus istam tantum modo differe dicere, & intelligere, & non tanquam duas actiones dicentes duas rationes formales disparatas, quarum vna non includit alteram. Nam, vt ibi probauimus ex verbis expressis D. Thom. in 4. contra Gent. & Quæst. 4. de veritate, dicere essentialiter includit intelligere, quod etiam expresè asserit D. Thom. infra Quæst. 34. Art. 1. ad 2. vbi ait, quod licèt dicere principaliter importet solam habitudinem ad Verbum productũ tamē mediante Verbo importat habitudinem

tudinem ad rem intellectã,quæ manifeſtatur in Verbo: Quod autem illa habitudo ſit ad rem intellectam,vt intellecta eſt,patet dupliciter. Primo, quia D. Thom. ibi dixerat, quod intelligere importat ſolam habitudinem ad rem intellectam,& ſubdit,quod dicere principaliter importat habitudinem ad Verbum conceptum, & mediante Verbo importat habitudinem ad rem intellectam. Vbi ex contextu, & quia eiſdem Verbis vtrobiq; ſignificat eamdem habitudinem patet, quod loquitur de ipſamet habitudine, quam dixerat importari per intelligere,quia,vt ipſe docuerat in Quæſt. citata, & Veritate,dicere includit intelligere, & per conſequens debet includere habitudinem ad rem intellectam, vt ſic,quam dicit intelligere.

Secundo dicere,vt ſic, importat habitudinem ad rem intellectam, Nam ideo res dicũtur per actionem intellectus productiuam Verbi, & illa habitudo non eſt ad rem, vt manifeſtatam, Ergo, vt intellectam. Conſequentia patet: quia præter iſtas duas non datur alia habitudo, quæ poſſit importari per dicere. Minor autem probatur,quia res intellecta manifeſtatur quidem per Verbum,& ſpeciem: quia ſunt ſimilitudines obiecti: Actio verò intellectus non eſt ſimilitudo, Ergo non importat per ſe habitudinem ad rem intellectam, vt manifeſtatam,Sed illa habitudo manifeſtata importabitur per Verbum,dicere autem importabit habitudinem ad rem intellectam, vt ſic, eodem, Ergo modo phyloſophandum eſt nobis de amare, & ſpirare, quod ſunt idem actus,& ſolum diſtinguuntur, quia ſpirare includit quemdam modum producendi terminum, quē non dicit amare: nihilominus tamen ipſum ſpirare eſt quidam amor inchoatiuè, & in via, & licèt principaliter importet habitudinem ad terminum productum: tamen mediante illo dicit habitudinem ad rem amatam, quam explicat amare, & ideo ſpirare eſt idem actus cum Amare, propter quod D.Thom.infra Quæſt.37.Art.1. docet iſtum terminum produci per amare.

Sed eſt Argumentum contra hoc, Nam actiones, quæ dicunt diuerſas habitudines,quarum vna non includit aliam ſunt diſtinctæ eodem modo, ita quod vna non includit aliam, Sed ita ſe habent ſpirare,& Amare:quia ſpirare ſolum dicit habitudinem ad terminum productum, Amare verò ſolum dicit habitudinem ad rem amatam, qui ſunt termini diſtincti, Ergo.

Ad hoc autem Reſpondeo. Negando Minorem, Nam licet ſpirare per ſe primò, & principaliter dicat ſolam habitudinem ad terminum productum: tamen mediante illo dicit etiam habitudinem ad rem

amatam,

amatam, vt sic, sicut dicere mediate dicit habitudinem ad rem intellectam: quia implicat producere terminos dicentes habitudinem repræsentatiui, vel inclinationis ad aliquod obiectum, & quod talis actus mediatè non dicat habitudinem ad illud, & ideo sicut habitudo ad terminum productum per amorem necessariò includit habitudinem ad rem amatam, ita Spirare necessariò includit Amare, vt in via, & in inchoatione, vt dictum est.

Dico quinto. Terminus productus per actum voluntatis, qui est Spirare, est obiectum ipsius actus, vt est amor, ita quod etiam amatur per illum. Hanc conclusionem cum Ferrar. vbi supra negant communiter Theologi, Sed veritate coactus tenuit eam ipse Ferrar. ibidem paragrafo Respōdeo, quod Spiritus Sāctus, vbi ait, quod sicut Verbi est intelligi, ita esse termini producti per amorem est amari, Sed sic amari est esse obiectum, Ergo. et

Secundo probatur. Actus voluntatis est volitus, vt obiectum, Ergo, & terminus illius Antecedens docent D. Thom. 1. 2. Quæst. 16. Art.4. ad 3. & Caiet. ibi & Quæst.9. Art.4. & Capræolus in 2. dist. 24. Quæst.1. ad primum contra primum, vbi docent omnes actus voluntatis reflecti supra se ipsos, & se ipsis esse volitos, vt obiecta, quod amplius Confirmatur, quia D. Thom. 2. 2. Quæst. 25. Art. 2. ait ex hoc ipso, quod aliquis aliquid amat consequenter amat se ipsum amare, & quod hoc est de ratione amoris: quia amor est motus spontaneus, & voluntarius amantis in amatum, & confirmat hoc ex Aug. qui propterea lib. 8. de Trinitate Cap. 7. dixit, qui diligit proximum consequens est, vt ipsam dilectionem diligat, quod etiam repetit lib. 9. Cap. 5. & lib. 10. Cap. 11. quod etiam ratione probatur. Nam omnis amor liber, quoad specificationem est deliberatus, vt sic enim est culpabilis, vel laudabilis, Ergo est volitus, vt obiectum, quia, vt sic deliberatus, debet esse obiectum iuditij, quo iudicamus illum esse exercendum in ordine ad talem finem, & debet esse electus alijs refutatis, quod autem eligitur est obiectum voluntatis. Consequentia verò probatur, quia etiam ille terminus est voluntarius, & spontaneus aliàs amor non esset voluntarius, & spontaneus perfectè, & in facto esse, Sed solum imperfectè, & in fieri, si quidem terminus eius ratione cuius debet esse perfectè, & in facto esse voluntarius non est spontaneus.

Tertio probatur. Ratio istius termini, & impulsus per se consistit in amari, Ergo per se habet rationem obiecti, sicut Verbum habet rationem obiecti intellectus: quia eius esse consistit in intelligi. Antecedens

cedens

cedens autem probatur. Hic impulſus per ſe pertinet ad rationem amoris, & non vt actualis amor, vel principium eius, Ergo vt amatum & obiectũ eius. Conſequẽtia probatur: Quia quidquid pertinet ad rationem amoris debet pertinere aliquo iſtorum modorum. Antecedens autem patet ex Concluſionibus ſtatutis.

Dices illum pertinere ad rationem amoris tanquam complementum illius.

Sed contra hoc eſt, quod talis terminus non per ſe habet iſtam rationem complementi amoris: Nam licet eam habeat in nobis, vbi amor eſt imperfectus, non tamen in Deo, etenim Spiritus Sanctus, qui eſt terminus amoris diuini, eſt quidem obiectum eius (vt dicemus Cõcluſione ſequenti) non tamen eſt complementum diuini amoris: quia amor eſſentialis præintelligitur omninò perfectus ante productionem Spiritu Sancti ſicut Art. 2. dub. 2. diximus intellectionem Dei omninò perfectam præintelligi Verbo.

Sed contra hoc arguitur. Nam 6. Metha. tex. 8. dicitur obiectum intellectus eſſe in intellectu: obiectum verò amoris, & voluntatis eſſe in rebus, Ergo ille terminus intrinſecus voluntati non eſt eius obiectum etiam ſecundarium, & quo aliàs voluntas haberet ſuum obiectum, quo ſibi intrinſecum, ſicut intellectus.

Secundo. Ille terminus habet rationem inclinationis trahentis voluntatem extra ſe ad obiectum, vt eſt aptè rei, Ergo non eſt obiectum illius. Antecedens patet, quia de ratione inclinationis, & ponderis, qualis eſt ille terminus, eſt vt inclinet ſuum ſubiectum ad terminum talis inclinationis, ſicut grauitas inclinat lapidem ad centrum. Conſequentia verò probatur: quia Terminus, ad quem inclinat eſt obiectum, vt eſt aptè rei extra voluntatem.

Sed ad primum aliqui reſpondent Ariſtotelem ſolum velle veritatem, cui opponitur falſitas, reperiri in intellectu, quia tantum reperitur in propoſitione, & compoſitione intellectus. Bonum verò, cui opponitur malitia, etiam reperiri in rebus, quod tamen non tollit aliquod obiectum voluntatis, quod habet rationem boni eſſe intrinſecum ipſi voluntati.

Sed melius Reſpondeo ex D. Thom. ſupra Quæſt. 16. Art. 1. differentiam conſiſtere in hoc, quod cognitio fertur quidem ad rem ad extra, Sed ſecundum modum, quem habet in intellectu per Verbum, vel ſpeciem, appetitus verò vltimatè fertur ad rem ad extra nõ tamen ſecũdum modum, quem habet in appetente poteſt enim res perfectius amari, quam cognoſci: Nam viatores, qui cognoſcunt Deum, imperfectius,

fectius; quam Beati, sæpè diligunt illum intentius aliquo Beato, non tamen possunt illum cognoscere perfectius, quam sit perfectio, speciei, vel Verbi, quo cognoscitur, & hoc est, quod ait Caiet. infra Quæst. 82. Art. 3. quod obiectum intellectus saltim quo ad modum est in intellectu: obiectum verò voluntatis, etiam quoad modum est ad extra hoc tamen non tollit, quò minus veluti per reflectionem ametur iste terminus, sicut amatur ipse amor.

Ad secundum nego Consequentiam. Nam etiam amor trahit voluntatem extra se ad obiectum, & tamen est volitus, similiter, Ergo talis terminus potest esse immediate volitus, licet vltimatè trahat voluntatem ad rem ad extra.

DIco sextò. Spiritus Sanctus non procedit, vt actus voluntatis diuinæ, vel actualis amor eius, sed vt terminus productus per illum, & vt obiectum secundariò amatum.

Prima pars huius Conclusionis patet: nam, vt dicetur Quæst. 41. Art. 3. in Deo datur potentia spiratiua, quæ sit principium Spiritu Sãcti, Ergo ille non est amor diuinus, sed aliquid productum per illum. Consequentiã probo. Quia (vt ostendetur ibidem, & supra Quæst. 25. Art. 1.) non datur in Deo potentia, quæ sit principium actionis diuinæ secundum se, sed ratione sui termini.

Confirmatur hoc ex D. Tho. de Veritate Quæst. 4. Art. 2. ad 7. Nam in Deo non est distinctio realis operationis ab operãte, sed solum productià principio producente, sed Spiritus Sanctus distinguitur realitèr à Patre, & Filio, qui sunt principium productiuum illius, Ergo Spiritus Sanctus non est ipsa operatio amoris, sed terminus productus per amorem. Minor est de fide. Maior autem probatur: Nam distinctio operationis ab operãte est distinctio perfectionis à suo perfectibili, vel perfectio: hæc autem distinctio in Deo solum est rationis: nam sola ratione iustitia, & misericordia distinguuntur à Deo, Ergo.

Secundò, Persona procedens per intellectum non est intellectio Dei sed terminus eius, Ergo idem erit de Spiritu Sancto, qui procedit per voluntatem.

Vltimò Spiritus Sanctus non est amor Dei essentialis, nec notionalis, Ergo Antecedens pro prima parte patet: Quia aliàs non esset productus, nec distingueretur à Patre, & Filio, sicut nec ab illis distinguitur nec producitur amor essentialis. Pro secunda etiam parte probatur. Quia amor notionalis etiam est communis Patri, & Filio, & nõ distin-

distinguitur ab illis Spiritus Sanctus verò distinguitur ab illis, & est omninò singularis, & incommunicabilis.

3 Sancti verò Patres dicentes Spiritu Sanctum esse amorem, vtuntur nomine amoris ad significandum terminum ipsius amoris: quia enim caremus nominibus significantibus omnia, quæ reperiuntur in Processione voluntatis: ideò eodem nomine significamus actum amoris diuini, & terminum eius, qui est Spiritus Sanctus, ita D. Tho. infra Quæst. 37. Art. 1.

Pro secunda parte Conclusionis patet ex dictis: nam terminus amoris est obiectum illius, sed Spiritus Sanctus est terminus amoris diuini; Ergo.

Secundò, quia dicemus Art. sequenti Spiritum Sanctum procedere, vt Deum spiratum, & amatum, sed hoc est esse obiectum, Ergo.

Tertiò Verbum est obiectum secundarium intellectionis Dei: quia habet essentiam sibi cõmunicatam per modum similitudinis expræssæ, & ideò ab essentia, vt à ratione formali, & à relatione personali: quia est relatio procedentis per intellectum, vt à conditione habet esse obiectum secũdarium intellectionis diuinæ, vt diximus Art. 2. dub. 2. Conclusione vltima, sed etiam Spiritui Sancto ex vi suæ processionis communicatur essentia diuina, quæ est obiectum primarium diuinæ intellectionis, Ergo ab ea, vt à ratione formali, à sua verò relatione personali: quia est relatio procedentis per voluntatem spontaneam, de cuius ratione est esse volitum, & amatum, vt à conditione habebit esse obiectum secundarium diuinæ dilectionis.

Ad primum Ergo. Raymundus Lullus in suis Opusculis hoc Argumento conuincitur, vt asserat in diuinis solum esse vnam processionem, qua procedant duæ Personæ, sed infrà ostendetur contrarium esse de fide. Et ideò.

Ad primum distin. Antecedens Exhaurit intensiuè totam perfectionem actionis, qua procedit, concedo Antecedens. Exhaurit extensiuè nego Antecedens.

Declaratur hoc. Processio Verbi adæquatur intensiuè perfectioni infinitæ actionis, qua procedit: quia vtraque est æqualiter infinita, & processio Verbi requirit in tali actione totam perfectionem, quam habet, ità quòd si talis actio Dei esset minoris perfectionis per illam non procederet Verbum diuinum, & hoc est processionem illam exhaurire intensiuè totam perfectionem actionis diuinæ: quia scilicet per illam nequit procedere terminus perfectior: quia tamen illa actio virtualiter est duplex, Intellectio, scilicet, & volitio, & secundum vtrãq;

rationem

rationem est diuina, & infinita, includens omnem perfectionem actionis, ideò processio Verbi per illam (vt est intellectio) non exhaurit extensiuè totam perfectionem eius, vt eius est volitio, sed per eam, vt habet rationem volitionis potest procedere terminus scilicet Spiritus Sanctus æqualis perfectionis cum Verbo procedentem per eam, vt est intellectio, neque est inconueniens vni virtuti, vel actioni infinitæ, quæ virtualiter est duplex correspondere duos terminos adæquatos intensiuè, & non extensiuè: Nam eamdem etiam essentiam diuinam omnibus modis simplicissimam terminat intensiuè quælibet personalitas diuina, & non extensiuè: quia simul terminatur tribus.

Ad confirmationem. distinguo Antecedens est infinita in ratione specifica talis processionis scilicet generationis. Concedo Antecedens. In ratione generica processionis, nego Antecedens, neque hoc requiritur ad infinitatẽ entis relatiui, qualis est processio. Multi enim docent relationes diuinas habere suas infinitates relatiuas, non ita, vt quælibet sit infinita in toto genere relationis, sed in sua specie, & Deo satis est quamlibet eius rationem habere infinitatem sibi possibilem, perfectiones quidem absolutæ habent infinitatem simpliciter in ratione entis, & quælibet earum includit cæteras omnes: quia nulli earum est opposita, aut incompossibilis, & ita actio infinita Dei includit formaliter omnem rationem actionis, intellectionis, volitionis, est contra relatio verò diuina: quia opponitur alijs relationibus diuinis, non debet eas includere, neque esse infinita in toto genere relationis, sed in sua particulari specie. Idem, Ergo dicendum est de processionibus, quod nulla earum includit alteram oppositam: quia, licet sit infinita: habet tamen infinitatem in sua specie non specie non in toto genere processionis: quia habet aliquam oppositionem originis cum alijs.

Ad secundum, nego Antecedens. Ad primam probationem, dictũ est per actum voluntatis procedere aliquem terminum habentem rationem actualis inclinationis, & impulsus in obiectum ad D. Tho. autem, qui hoc videtur negare Respondeo dupliciter. Primò, quòd solum docuit per actum voluntatis non procedere terminum, qui habeat rationes similis rei amatæ. Ita se explicat D. Tho. de Potentia Quæst.10. Art.2. ad 11. & de Veritate Quæst.10. Art.9. ad 7. & ita illum intelligunt Capreol. in primo dist.10. Quæst.1. ad 1. & Ferrar. 4. contra Gentiles Cap.19. & Bergomensis dub.10.21.

Secundo Caiet. hic explicat D. Tho. quòd quia ille terminus licèt re vera sit terminus, habet tamen modum viæ: quia est inclinatio ad obiectum,

obiectum, ideò D. Thom. dixit per actum voluntatis non procedere aliquid, scilicèt, quod habeat modum termini licet rè vera sit terminus.

Dices. Secundum has explicationes malè collegisse D. Tho. amorem non dici personalitèr: quia nullus terminus producitur per amorem, Nam si aliquid producitur, licèt illud non habeat modum similis, nec termini, dicetur personalitèr: quia personaliter dicitur in diuinis, quod re vera est terminus productus per aliquam processionem.

Sed Respondeo D. Thom. solum voluisse, quod: quia amor per se primò significat actum amoris, & Verbum significat terminum productum per dictionem, ideò amor secundum suam primariam significationem non dicitur personalitèr sicut Verbum: non tamen negat. Imò infra Quæst. 37. Art. 1. concedit, non tamen negat, quod sumitur personaliter si sumatur pro termino producto per amorem.

Ad Aristot. diximus Conclusione 5. Ad illud autèm, quod non sit actualis inclinatio, dictum est quomodò, licèt actus amoris sit actualis inclinatio in fieri, ille tamen terminus sit actualis inclinatio, in facto esse, & complementum amoris creati: non tamen principium illius, & propterea quandò D. Tho. 4. contra Gentiles Cap. 19. dixit illum esse principium actuũ voluntatis, intelligitur, quod est principium sicut amor: quia enim perficit amorem creatum, & amor teste D. Tho. 1. 2. Quæst. 25. Art. 2. maximè si sit perfectus est principium cæterorum actuum voluntatis, ideò talis terminus, eodem modo est principium eorum, non sicut causa efficiens, sed ex parte obiecti, vel secundum consecutionem.

Ad secundã probationem nego Antecedens, de quo diximus Conclusione 1.

Ad 3. principale nego Sequelam, ad probationem Nego Consequentiam. Differentia est. Nam in ratione Verbi, vel existentiæ non clauditur intrinsecè, quod sit voluntaria, & spontanea, quod tamen clauditur in intrinseca ratione istius termini: quia ipse est voluntaria inclinatio in obiectum, & quia de ratione intrinseca spontaneæ, & voluntariæ inclinationis voluntatis est, quod procedat à principio intrinseco scilicèt voluntate, ideò non potest causari à solo Deo extrinseco.

Ad quartum. Nego Antecedens: Nam: quia amatum est in amãte dictum est Ioan. 14. Si quis diligit me, & ad Deum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, & in materia de Charitate dicitur,

tur, quod ratione amoris Spiritus Sanctus personaliter habitat mentē, iuxta illud ad Rom.5. Charitas Dei diffusa est in Cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

Ad primam autem probationem respondeo, quod, licèt amor abstrahat à præsentia, vel absentia obiecti extrinseci, & vltimati, non tamen abstrahit à præsentia obiecti intrinseci sicut notitia abstractiua abstrahit à præsentia obiecti extrinseci, & vltimi: non verò à præsentia Verbi, quod est obiectum intrinsecum, & immediatum.

Ad secundā probationem distinguo Antecedens, vt amatum sit præsens amanti, imperfectè, & vt in via. Concedo Antecedens, quod sufficit actus amoris. Non tamen, vt sit præsens perfectæ, & in facto esse: hoc enim, vt dictum est, præstat iste terminus amoris.

Ad 3. probationem nego Consequentiam: Nam teste D. Tho. 4. contra Gentiles Cap.19. Terminus inclinationis est in habente talem inclinationem tamquam in principio motiuo, & proportionato per conuenientiam, quam habet ad ipsum, sicut locus sursum est in igne ratione leuitatis, per quam habet conuenientiam, & proportionem ad talem locum, super quæ Verba Ferrar. ait, quod rem amatam esse isto modo in amante est amantem inclinari ad illam, & ita amatum esse in amante ratione illius termini non tollit, imò infert, quod amās ratione illius sit in amato, & inclinetur ad illud, sicut locum superum esse in igne ratione leuitatis, vt terminus talis inclinationis, non tollit sed supponit talem inclinationem ad locum sursum esse in igne.

Ad quintum respondeo D.Tho. loqui de termino producto per actū amoris, Amor autem essentialis non est isto modo terminus amoris, sicut neque intelligere essentiale est terminus productus per dictionē. Rursus loquitur D.Tho. de Verbo, vel supplente vicem illius, ita quod amor id est terminus productus per amorem dicit intrinsecum ordinē, & dependentiam à Verbo producto per intellectum, siuè pendat ab illo in genere causæ efficientis, siuè formalis, aut finalis, de quo disp. 1. 2. Quæst.9. Art. 1. vel à supplente vicem illius: quia quando rei amādæ non formatur Verbum, vt in visione Beata, satis est si terminus amoris per se pendeat à cognitione rei amandæ simul cum specie actuali, quod Caiet. hic vocat procedere à Verbo concepto, vel à re concepta. vt sic, & quia in diuinis non potest dari ratio realis: nisi originis, quæ debet esse inter res realiter distinctas, & Spiritus Sanctus non distinguitur realiter ab intellectione Dei, neque ab essentia diuina, vt habet rationem speciei, vel vt est intellecta: ideo D. Thom. benè intullit processionem amoris ibi debere procedere ab ipso Verbo, & ita realiter

ter distingui ab illo, vide de hoc Caiet. hic, & Ferrar. 4. contra Gentiles Cap. 19. § Aduertendum, quod D. Tho. & §. sequenti circa solutionem ad 2. D. Tho.

Nota ex Ferrar. 4. contra Gentiles Cap. 23. Naturam creatam perfectam solum, vno modo posse communicari à supposito eiusdem naturæ. Naturam verò imperfectam, vel perfectam si communicetur à supposito alterius naturæ posse communicari diuersis modis v. g. natura equi solum vno modo potest communicari ab alio equo: Natura verò muris diuersimodè cōmunicatur, & natura equi etiam à Deo potest diuersis modis produci: Natura verò increata, & infinita, qualis est diuina, quia idētificatur cum intellectione, & volitione sua, & per istas, actiones producuntur termini intrinsecè manentes in Deo, & quidquid manet in Deo est Deus ideò à suppositis eiusdem naturæ potest diuersis modis communicari.

Circa solutionem D. Thom. ad 3. & 2. Conclusionem.

DVBITATVR II.

An processio, & generatio diuina distinguantur: quia vna originatur ab altera.



IDETVR, quod non. Primò: quia D. Tho. A. sequēti, ait illas distingui per suas rationes formales: quia vna est per modum similitudinis, altera per modum inclinationis, Ergo.

Secundo. Istę processiones sufficienter distinguentur, sicut cæteræ actiones pænès diuersos terminos, & principia, vt ait D. Thom. de Potentia Quæst. 10. Art. 2. Ergo non oportet illas distingui: quia vna originatur ex alia.

Confirmatur, & explicatur hoc. Vna istarum processionum est generatio procedens ab intellectu ad Verbum altera est processio, cuius principium est voluntas, & terminus est impulsus, Ergo ex his possunt sufficienter distingui.

Confirmarur secundò. Potentia generatiua distinguitur à spiratiua in Deo ex diuersis terminis, Ergò ex eisdem distinguitur genera-

tio, & processio. Probo Consequentiam: quia vltimum distinctiuum potentiæ, scilicet obiectum, vel terminus eius est proximum distinctiuum operationis eius, Ergò si termini vltimati distinguunt potentiam generatiuam, & spiratiuam Dei, illi distinguent immediatè operationes earum scilicet generationem, & processionem.

Tertiò Istæ processiones sunt veræ relationes, & solum in modo significandi distinguuntur ab illis, de quo infra Quæst. 41. Art. 1. Ergò distinguuntur ex suis terminis, & correlatiuis: Nam ex illis distinguuntur relationes.

Quartò Generatio, & processio non opponuntur relatiuè, Ergò vna non originatur ex alia, & per consequens non distinguitur ab illa propter istam originem. Antecedens patet. Nam istæ processiones non dicuntur ad inuicem, neq; se mutuò diffiniunt, & probo consequentiam: Quia in diuinis opponuntur relatiuæ ea, quæ ab alijs originantur.

Quintò Generatio passiua non est principium passiuæ processionis Spiritu Sancti, vt sic neq; alterius actionis, per quam originetur processio, Ergò processio non originatur ex illa, neq; distinguitur ab illa propter istam originem. Consequentia patet: Quia nihil potest esse principium alterius: nisi sit principium illius, vel actionis, qua procedit. Antecedens autem probatur dupliciter. Primo: quia est relatio, & relatio non est principium alicuius actionis, vel termini.

Secundò: quia principium processionis est potentia spiratiua existens in Patre, & in Filio hæc autem identicè est idem cum generatione passiua, tamen formalitèr, vt est generatio passiua non est virtus spiratiua, neq; principium processionis sicut Paternitas non est principium spirationis formaliter, licet identificetur cum potentia spiratiua.

Dices generationem passiuam identificari in Filio cum virtute spiratiua, & hoc sufficere, vt processio originetur ab illa.

Sed contra licet spiratio actiua in Patre identificetur cum Paternitate hoc enim sufficit, vt Filius procedat ab spiratione actiua, Ergo idem erit hic.

Sed

Sed contrà est secunda Conclusio Articuli.

In hoc dubio sunt. 7. sententiæ.

PRima est. Istas Processiones se ipsis distingui: quia dicunt rationes formalitèr distinctas,& disparatas, & distingui se ipsis totis: quia non conueniunt in aliqua ratione essentiali inclusa in suis rationibus formalibus. Ità Scotus in 1. dist. 13. Quæst. 1. Dura. Quæst. 2. Bonau. Quæst. 3. Gabr. Quæst. vni. Art. 2. Conclusione 3.

Secunda est. Quod non distinguuntur se ipsis totis: quia conueniunt in ratione vniuoca Processionis diuinæ. Ita Caiet. Art. sequenti,& Suarez lib. 1. de Trin. Cap. 9. num. 3.

Tertia est. Quod aptæ rei distinguuntur se ipsis totis: quia in ipsis nihil est aptæ rei, quod non opponatur alteri relatiuè, & per consequens, quod non distinguatur ab illa. Subdit autem hæc sententia, quod istæ Relationes, vt à nobis concipiuntur, nō distinguuntur se totis: quia Nos nō intelligimus passiuam generationem distingui à processione Spiritus Sancti, quasi relatiuè opponatur illi formaliter, Sed quia habet adiunctam spirationem actiuam, quæ opponitur Processioni. Ita Vazq. hic disp. 148. Cap. 2.

Quarta est. Quod distinguuntur: quia earum principia, intellectus, scilicet,& voluntas distinguuntur virtualitèr, & eminentèr. Ita Henricus in summa, Art. 37. Quæst. 7. & Adamus in 1. dist. 6. Quæst. 1. Art. 2.

Quinta est. Illas distingui: quia, licèt non opponantur relatiuè: tamen vni earum, scilicèt generationi passiuæ, quæ est idem cum Filiatione consideratæ, vt supposito subsistenti, conuenit relatio opposita, scilicet spiratio actiua, qua originatur processio Spiritus Sancti,& ipse Spiritus Sanctus. Ita Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 24.

Sexta est. Eas distingui sicut cæteras actiones, ex diuersis principijs,& terminis. Quia, scilicet, generatio fit per intellectum, & terminatur ad Filium, vel Verbum, Processio verò fit per voluntatem, & terminatur ad Spiritum Sanctum, vt habet rationem impulsus, & inclinationis. Ita D. Thom. de Potentia Quæst. 10. Art. 2. & in 1. dist. 13. Quæst. 1. Art. 2. ad 3. & 4. Aegidius ibidem Art. 2. & Ferrar. vbi supra.

Septima est. Illas distingui: quia vna originatur ab alia. ita D. Thom. hic.

Sed pro explicatione.

DIco primò. Certum est in doctrina fidei istas Processiones inter se distingui realitèr, tamquam rem à re: quia talis distinctio est necessaria ad realem distinctionem diuinarum personarum.

Probatur. Istæ processiones adæquatæ identificantur cum Personis, quæ procedunt per illas, scilicet cum Filio, & Spiritu Sancto, & cū relationibus constitutiuis eorum, & est de fide, Filium, & Spiritum Sanctum, & relationes constitutiuas eorum distingui inter se realitèr tamquam rem à re, Ergo etiam est certum, istas Processiones realitèr distingui. Min. supponitur de fide, Mai. autèm patebit infra Quæst. 41. vbi ostendetur, quod, licèt origines, & processiones v.g. generatio, significentur per modum actus in re; tamen sunt relationes, vel includunt illas: Relationes autèm, quas important istæ processiones sunt conuertibiliter, & adequatæ Idem, quod Filius, & Spiritus Sanctus, qui realiter distinguuntur, Ergò.

DIco secundò. Distinctio veluti formalis, & specifica harum processionum per se primò sumitur à principijs, & terminis earum: proximè verò à suis rationibus formalibus.

Pro huius declaratione duo supponenda sunt. Primum est, istas processiones, (secundum suas terminatas, & formales rationes) distingui veluti specie, & veluti formalitèr. Negauit hoc M. Cano, Quia termini procedentes per eas, non distinguuntur in natura, Sed solo numero, & per consequens ipsæ isto solo modo debent distingui. Sed nostra sententia est expressa D. Thom. de Potentia Quæst. 10. Art. 2. ad 12. vbi ait, quod diuinæ Processiones sunt veluti specie differentes, & ratio huius est: Quia termini per se primi earum, isto modo differunt.

Declaratur hoc dupliciter. Primò ex differentia productionum diuinarum, & Creaturarum etenim: quia natura creata, in qua producitur aliquid substantiale sibi simile, est corruptibilis, Quæ non potest conseruari in vna natura indiuiduali, per generationem per se primò intendit producere aliam naturam, per quam conseruetur, & ad hoc producit supposita habentia alias naturas indiuiduales, vt in illis conseruetur species, & ideo: quia terminus per se primò intentus in talibus productionibus est natura eiusdem speciei, ideò ipsæ productiones sunt eiusdem speciei, in productionibus verò diuinis, licèt terminus formalis quo sit natura, tamen illæ productiones nō ordinātur

tur ad producendam aliam naturam indiuiduale: quia eſſentia diui-na ſolum poteſt eſſe vna numero, & cum ſit incorruptibilis, non indi-get conſeruari in alia ſingulari: ordinantur, Ergò ad communican-dam eamdem numero naturam diuerſis ſuppoſitis, quæ differunt ve-luti ſpecie ſecundum ſuas perſonales proprietates, & ideò cũ termini earum differant veluti ſpecie, eodem modo diſtinguentur ipſæ.

Secundò: quia aliæ productiones ſubſtantiales naturæ creatæ per ſe primò terminantur ad naturam, vt eſt natura, & quia hæc eſt eiuſ-dem ſpeciei; ideò omnes productiones ſubſtantiales eiuſdem naturæ ſpecificæ, erunt eiuſdem ſpeciei, ſi ex vi talis productionis terminetur ad talem naturam. Productiones verò diuinæ, ita ſe habent, quod licet generatio per ſe primò terminetur ad naturam Dei, vt ſic, & formali-ter, Sed vt habet rationẽ inclinationis, vt dicetur A. ſequenti, & ideò cum non habeant per ſe primò eumdem terminum formalem poſſunt diſtingui veluti ſpecie.

Confirmatur hoc: Nam relationes ſcilicet Filiatio, & Proceſſiò nõ ſunt eiuſdem ſpeciei in genere. Relationes, Ergò nec proceſſiones, quæ vel ſunt idem cum ipſis, & ſolum differunt ab eis in modo ſigni-ficandi, vel neceſſariò includunt illas, vt dicetur Quæſt.41.

Vltimò Illæ productiones differunt ſpecie, quæ per ſe habent di-ſtinctas conditiones, Sed tales ſunt iſtæ proceſſiones, Ergò Min. patet nam generatio procedit per ſe per intellectum, & producit ſibi ſimi-le, & non ſupponit aliam proceſſionem, Proceſſio verò Spiritus San-cti, per ſe eſt per voluntatem, & non producit ſimile, vt ſic, & ſupponit Proceſſionem per intellectum, vt dicetur Art. 4. Ergò.

Secundum ſupponendum eſt, Inter has duas proceſſiones eſſe duas diſtinctiones. Prima eſt veluti ſpecifica, & formalis, de qua diximus. Secunda eſt realis: quia ſunt duæ res, quarum vna non eſt altera, & in Deo poſſunt aliqua habere primam diſtinctionem, non verò ſecundã. Nam Paternitas, & ſpiratio actiua, cum ſint in Patre, & nõ opponan-tur relatiuè non diſtinguuntur realiter, Sed veluti formaliter ex di-uerſis terminis. Noſtra, Ergo Concluſio loquitur de diſtinctione harum proceſſionum non reali, Sed veluti formali, & de hac aſſerit, quod per ſe primò ſumitur à ſuis principijs, vel terminis, ita aſſerit D. Thom. in locis citatis Sententia 6. & hoc probant 2. & 3. Argumentum facta à principio. Dixi autem hanc diſtinctionem per ſe primò ſumi à Terminis, vel principijs earum proximè verò à ſuis rationibus for-malibus: quia hoc eſt commune omni actioni, vt formaliter, & intrin-ſecè, & proximè conſtituatur in ſuo eſſe, & diſtinguatur ab alijs per

ſuam intimam, & formalem differentiam radicalitèr verò, & vltimate ſumatur à principio, vel terminò, quem reſpicit talis differentia.

Dices Intellectus, & voluntas Dei, quæ ſunt principia harum proceſſionum, non diſtinguuntur veluti ſpecificè, & formalitèr, Ergò ex illis nõ poteſt ſumi, veluti ſpecifica, & formalis diſtinctio harum proceſſionum. Docet enim D.Thom.4.contra Gent.Cap. 24. non poſſe reperiri maiorem diſtinctionem inter terminos procedentes ab aliquibus principijs productiuis, quam ſit inter ipſa principia.

Reſpondeo, quod vt colligitur ex diuerſis locis D. Thom. quæ refert Bergomen.dub.984. in Deo duplex eſt principium productiuum ad intra ratione diſtinctum, vnum principale, Quo Perſona producẽs producit aliam, & hoc eſt eſſentia diuina, vt eſt intellectus, vel voluntas. Alterum eſt, quo intellectus, & veluti approprians ad aliquam perſonam detratam principiũ principale Quo, & hoc reſpectu, generationis eſt Paternitas, reſpectu proceſſionis Spiritus Sancti eſt ſpiratio actiua, includens neceſſariò relationem Verbi procedentis per intellectum, vt infra dicetur, & quia hæc diſtinguuntur veluti ſpecificè propterea ex eorum diſtin. poteſt ſumi diſtinctio veluti ſpecifica proceſſionum. Eodem modo loquendum eſt de terminis earum: Nã, licèt terminus Quo vtriuſq; proceſſionis ſcilicet eſſentia diuina ſit eiuſdem omnino rationis in Filio, & Spiritu Sancto; tamen termini, qui producuntur per eas, ſcilicet Filius, & Spiritus Sanctus, ſecundum ſuas proprietates perſonales, habent differentiam veluti ſpecificam, & formalem; & eam poſſunt tribuere ſuis productionibus. Vide de hoc D.Thom.in primo Sen.ad Annibaldum diſt.13.Quæſt.vnica Art. 3.ad 2.

Dico tertiò. Licèt iſtæ Proceſſiones formaliter diſtinguantur ſe ipſis, proximè tamèn etiam, vt ſunt aptæ rei non per ſe primo, & totalitèr diſtinguuntur ſe ipſis.

Iſtam Concluſionem habet Caiet. Art. ſequenti, & Ferrar. 4. contra Gentiles Cap.19. & prima eius pars probatur. Quia proximè, & immediatè diſtinguuntur ſuis differentijs, & rationibus formalibus, vt habet D. Tho. Art. ſeq. Ergò ſe ipſis, Diſtingui enim aliqua ſe ipſis eſt diſtingui ſuis differentijs, & rationibus formalibus; Hoc idem cõfirmant multa Argumẽta Aureoli, & Scoti, & aliorum, quæ refert Capreolus in primo diſt. 15. Quæſt. 1. contra 1.Concluſionem vide ibi.

Secundam verò partem Concluſionis eiuſdem docet Capreol.ibidẽ

Quia

Quia earum dist. sumitur ex principijs, vel terminis, Ergò indè distinguũtur prius, de quo Capreol. ibidem ad primum Aureoli contra tertiam.

Tertia pars Cõclusionis probatur: Nam quę se totis distinguuntur, non conueniunt, in aliquo vniuoco, sed iste Processiones, etiam vt sunt aptæ rei, conueniunt in ratione vniuoca diuinæ processionis, Ergò.

Dices. Se ipsis totis opponuntur relatiuè, Nihil enim est in eis, quod non se ipso realitèr distinguatur ab alia, & per Consequens, quod non opponatur illi relatiuè, Ergò totalitèr distinguitur se ipsis formalitèr.

Sed respondeo dupliciter. Primò nego Antecedens: quia existentia, quam habent, est cõmunis vtrique, & indiuisa, vt dicetur Quæst. 2. Art. 2. Secundò, nego Consequentiam: quia ea, quæ se ipsis distinguuntur, & opponuntur relatiuè, totalitèr, totalitate realitatis, nõ distinguuntur necessariò formalitèr totalitèr totalitate rationis formalis: quia possunt conuenire in aliqua ratione vniuoca superiori. v.g. Petrus, & Paulus totalitèr distinguuntur se ipsis, totalitate realitatis: quia nihil est in vno, quod non sit realitèr distinctum à qualibet re alterius, & termini: quia conueniunt in esse hominis, non distinguuntur formalitèr totalitèr.

Vtrum autem distinctio formalis harum processionum, sit solum virtualis, an etiam actualis ex natura rei, dicetur Quæstione sequenti Art. 4.

DIco quartò. Processio, & Generatio distinguuntur realitèr, tamquam res à re: quia Processio originatur à generatione passiua.

Hæc Conclusio est D.Tho. hic ad 3. & in 1. dist. 13. Quæst. 1. Art. 2. & de Potentia Quæst. 10. Art. 2. & probatur: Nàm in diuinis solum, distinguuntur realitèr ea, quarum vnum oritur ab alio, sed istæ Processiones distinguuntur realitèr, vt dictum est, & non quia generatio oriatur à processione, Ergo.

Confirmatur; Spiritus Sanctus non distingueretur à Filio tamquam res à rè si non oriretur ex illo, (vt ostendetur Quæst. 36. Art. 2.) Ergò, idem est de processione respectum generationis passiuè: Nàm illæ processiones solum in modo significandi distinguuntur ab istis Personis.

Secundò Istè Processiones distinguuntur realitèr, vt dictum est, &

non

non per aliquid absolutum: quia omne absolutum est commune illis, neque per relationes non oppositas, vel disparatas: quia illæ non causant distinctionem realem; Paternitas enim, & Spiratio actiua sunt reales, & disparatæ relationes, & quia non sunt oppositæ, non causant aliquã realem distinctionem in Patre, Ergò distinguuntur realitèr per relationes reales oppositas, quæ in diuinis solum, sunt relationes originis, vel ipsæ origines, vt infra patebit.

Contra hanc veritatem militant Argumenta Scoti, quibus probat, quod Spiritus distingueretur realiter à Filio, etiam, si non procederet ab eo, Militant etiam alia multa, quæ ex Scoto, & Aureolo refert Capreolus in 1. dist. 13. Quæst. 1. contra 3. Conclusionem. Sed priora soluentur Quæst. 36. Posteriora verò solum probant istas processiones ex principijs, & terminis distingui quasi specificè, & formalitèr. Non tamèn probant ex illis distingui realitèr.

DIco vltimò. Ordo originis, qui reperitur inter istas Processiones est: quia Processio oritur à generatione passiua, vt est suppositum subsistens.

Hanc Conclusionem negat Scotus in 1. dist. 13. Quæst. vnica: quia solum Personas, ait, distingui realitèr: quia oriuntur ab alijs. Inter has verò Processiones sentit solum esse ordinem prioris, & posterioris sine aliqua origine. Videtur etiam eam negare Ferrar. 4. contra Gẽtiles Cap. 24. dicens illas distingui realitèr: quia licèt ex proprijs rationibus suis non opponantur relatiuè: tamen generationi passiuę, vt est suppositum subsistens, idem, Filio conuenit relatio opposita Processioni, scilicèt Spiratio actiua.

Sed nostram Conclusionem docet sæpè D. Tho. dicit illam hic ad 3. & de Potentia Quæst. 9. Art. 9. ad 3. secundo loco, & Quæst. 10. Art. 2. ad primum, & in 1. dist. 13. Quæst. 1. Art. 7. & in primo. Ad Annibaldum dist. 13. Quæst. vnica Art. 2. Quibus in locis, explicat hanc originem: quia Spiritus Sanctus oritur à Filio, qui procedit per generationem passiuam, quasi ratio illius originis sit, quod prædictæ processiones: quia dicunt relationes, sunt ipsæmet personæ procedentes per eas, & inter ipsas personas vna oritur ab alia, scilicèt Spiritus Sanctus à Filio. Idem etiam docet infra Quæst. 36. Art. 2. ad 7. & Caiet. ibi, & hic in fine Articuli dum ait, quod: quia in diuinis persona producta, & eius origo passiua sunt vna eademque relatio eodem ordine, quo Spiritus Sanctus est à Filio, processio Spiritu Sancti est à processione Filij, & propterea dixi processionem oriri à generatione passiua,

vt

vt est suppositum subsistens: quia illa, vt sic est Filius, sicut Processio Spiritus Sancti est Spiritus Sanctus, & Spiritus Sanctus oritur à Filio, sed: quia non oriretur ab illo: nisi Filius haberet annexam relationem, spirationis actiuè, cum qua identificatur, ideò quantum ad hoc benè dixit Ferrar. quod distinguuntur realiter: quia generationi passiuè, vt est Filius subsistens, conuenit spiratio actiua, à qua oritur Spiritus Sanctus, & eius processio.

Ad primum Ergò patet ex tertia Conclusione.

Ad secundum, & tertium, patet ex secunda.

Ad quartum distinguo Antecedens. Non opponuntur relatiuè immediatè, & formalitèr. Transeat Antecedens. Mediatè, & radicabilitèr. Nego Antecedens. Quia ex ratione Filij, significata per generationem passiuam cōuenit illi virtus spiratiua, per quam formalitèr, relatiuè opponitur processioni, & ista oppositio relatiua sufficit ad realem distinctionem eorum, aliàs Pater, vt sic, nō distingueretur realitèr à Spiritu Sancto: quia non opponitur illi relatiuè, nisi mediatè, & radicalitèr quatènus Patri Diuino, vt sic, conuenit spiratio actiua, per quam immediatè opponitur Spiritui Sancto.

Ad 5. Nego Antecedens. Ad primam probationem potest dici, quod licèt relatio, vt dicit Ad, nō sit principium alicuius Processionis, ipsa tamèn, vt est subsistens, potest esse principium quod: quia est persona, & Persona potest producere aliam.

Ad secundā probationem diximus, Virtutem spiratiuam esse principium principale, Quo, producendi Spiritū Sanctum; Generationem verò passiuam, & filiationem, vt est suppositum subsistens, esse principium Quod ipsius processionis: quia virtus spiratiua in principio Quod spirationis, requirit relationem, & Paternitatis, & spirationis, vt illi possit competere virtus spiratiua, Vt verò Patri cōueniat generatio Filij, non prærequiritur in eo virtus spiratiua, sed illa supponit generationem actiuam, & passiuam, & ideò non est simile.

ARTICVLVS IIII.

An Processio amoris, in diuinis sit generatio.

Conclusio est negatiua.

DVBITATVR

An sit Vera ista Conclusio.



IDETVR quod non. Primò Processio amoris diuini, scilicèt Spiritus Sancti, est origo viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ, Ergò est propriè generatio. Antecedens est certum quoad priores partes, scilicet, quod sit origo viuentis à viuente coniuncto: quia est terminus actionis immanētis, substantialis, & viuēs, & manet in ipsa voluntate. Quoad vltimam verò partem, quod ista origo sit in similitudinē naturæ, & quod Sp. Sāctus ex vi istius suæ processionis procedat, vt similis, & in similitudinem naturæ probatur: Nam Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit, vt Deus, Ergò vt cumsubstantialis, & similis in natura cum suo principio. Probo Consequentiam: quia ideò Filius in diuinis, & in humanis propriè generatur, & procedit in similitudinem naturæ: quia oritur cumsubstantialis cum Patre, id est, eiusdem naturæ substantialis specificè, vel numericè, & ad propriam generationem sufficit ex vi processionis participare hanc similitudinem. Antecedens autèm videtur certum: quia Spiritus Sanctus verè est Deus, Ergò, & habet id ex vi suæ processionis: Nam quidquid habet, accipit à Patre, & Filio, iuxtà illud Ioann. 16. De meo accipiet, non accipit autèm: nisi per suam processionem, & ex vi illius, Ergo.

Confirmatur. Spiritus Sanctus procedit, vt Deus Spiritus, vel vt Deus spiratus, Ergò procedit, vt Deus. Probatur Consequentia: quia pro-

procedere, vt Deum spiratum non est dictio dimiuuens, quæ tollat quominus procedat, vt Deum.

Secundò Arguitur Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit vt persona diuina, Ergò, vt Deus cum substantialis, & similis in natura suo principio. Consequentia patet: quia talis est persona diuina. Antecedens autem probatur dupliciter: Quia, si Spiritus Sanctus, id non haberet ex vi suæ processionis, haberet illud per accidens, quod repugnat Deo in quo nihil est per accidens. Secundò: quia Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit, vt subsistens in aliqua natura: quia in se est subsistens, & non potest habere subsistentiam aliundè: nisi ex vi suæ processionis, non procedit autem, vt subsistens in natura creata, Ergò procedit, vt subsistens in natura diuina, Ergo vt persona diuina: quia idem est aliquid incommunicabile procedere, vt personam diuinam, & vt subsistens in natura diuina.

Confirmatur dupliciter. Et primò explicatur ratio facta. Ista processio Spiritus Sancti per se, postulat aliquem terminum formalē, qui producatur ex vi illius, talis autèm terminus ex vi illius processionis non est accidentalis, neq; creatus, neque aliquid communne, Ergò est substantialis, & in creatus, & singularis, atque incommunicabilis, & per Consequens est persona diuina.

Secundò Spiritus Sanctus procedit ex vi amoris substantialis, & diuini, Ergo vt sic habet esse substantiale dininum, & incommunicabile, & per consequens, vt sic, ex vi suæ processionis habet esse personam diuinam. Antecedens, ex se patet, & Probo Consequentiam: quia per amorem diuinum per se producitur aliquis terminus in virtute essentiæ diuinæ, quæ est principium Quo talis spirationis, & ex vi essentiæ diuinæ producentis naturaliter terminū non procedit terminus creatus, Ergo procedit terminus increatus, & Deus, & similis principio producenti. quia terminus procedit similis formæ, quę est principium agendi, & concurrit in esse rei quomodò concurrit essentia diuina, vt principium spirationis.

Tertiò Arguitur. Ideò processio Verbi est generatio: quia Verbum procedit simile in natura cum suo principio, & ideò procedit simile in natura cum illo: quia procedit per intellectionem, quæ est esse, & natura Dei, vt D. Thom. dixit Art. 2. Sed etiam Spiritus Sanctus procedit per velle Dei, quæ est formaliter ipsa natura, & essentia Dei: quia in Deo nihil est, quod formalitèr non sit Deus, Ergò etiam procedit, vt similis in natura.

Confirmatum Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit, vt

amor

amor diuinus actualis in esse perfecto, Ergò procedit, vt similis suo principio productiuo, & per consequens eius processio est generatio: quia hoc cum cæteris conditionibus, quas habet ista, processio sufficit, vt ista processio sit generatio. Probo Consequentiam: quia principium productiuum talis amoris est voluntas, vt ratione suæ naturalis inclinationis exercet actum amoris, Sed Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit, vt actualis inclinatio mutuantur Patrem, & Filium, Ergò vt similis suo principio.

Dices cum Caiet. Amorem nō esse similem suo principio totali secundum rationem formalem, qua agit: quia ad amorem in rationem principij quo, & formalē qua voluntas agat debet concurrere Verbū, vel obiectum in ratione cogniti, & quoniam forma est ratio agendi, vt cognita non producit sibi simile.

Sed Contra hoc est. Primo, quod essentia diuina in ratione rei est principium Quo. talis amoris. Ipsa enim in ratione rei est principium actuum notionalium. Secundò: quia si Verbum esset ratio producendi Spiritum Sanctum Pater acciperet à Filio aliquo modo virtutem producendi Spiritum Sanctum, Ergò principium eius debet esse ipsa essentia in esse rei. Tertiò: quia ad generationem sufficit si terminus eius assimiletur suo principio in forma, quæ est ei ratio intrinseca producendi illum. Verbum autem non est forma intrinseca voluntati, qua agat, Ergo terminus voluntatis non debet esse similis illi, Sed inclinationi, quam habet intrinsecam.

Quartò Arguitur, quod processio Filij sit generatio prouenit ex hoc, quod procedit similis in natura substantiali ex vi suæ processionis vt est in tali natura scilicèt diuina, Ergò etiam processio Spiritus Sancti est generatio: quia ipso procedit etiam similis suo principio ex vi suæ processionis, vt est in natura diuina. Antecedens patet: quia procedere simile in natura substantiali non conuenit Verbo ex vi processionis per intellectum, aliàs Verbum creatum cum procedat per intellectum esset simile in natura substantiali cum re, cuius est Verbū, neq; procedit simile in natura ratione alicuius differentiæ intrinsecæ ipsi intellectioni: quia differentiæ intrinsicæ, & per se diuidentes intellectionem sumuntur ex diuersis obiectis. Verbum autem: quia est alicuius obiecti, vt sic, non est eiusdem speciei substantialis cum illo, Ergò procedit simile in natura substantiali: quia procedit in natura diuina, & ideò si procedere simile in natura substantiali: quia procedit simile in natura diuina tribuit productioni Filij, quod sit generatio, idem tribuet productioni Spiritus Sancti: quia etiam est in natura diuina.

Quin-

Quintò Arguitur etiam, ſi ad rationem veræ generationis requiratur, vt ex vi talis Proceſſionis ſecundum rationem ſpecificam eius procedat terminus ſimilis ſuo principio in natura ſubſtantiali hoc reperitur in proceſſione Spiritu Sancti, Ergò illa eſt propriè generatio. Antecedens patet: Nam voluntas increata Dei differt ſpecie à voluntate creata, Sed Spiritus Sanctus ex vi ſuæ Proceſsionis, vt illa eſt per voluntatem increatam, quæ eſt ratio ſpecifica eius habet eſſe ſimilem in natura Dei, vt probatum eſt Argumēto ſecundo, Ergò in Proceſsione Spiritu Sancti ex vi talis proceſsionis ſecundum rationem ſpecificam eius, reperiuntur omnia requiſita ad veram generationem.

Dices. Ad rationem generationis requiri, vt per eam ſecundum ſuam rationem communem procedat terminus ſimilis, & per eam ſecundum rationem ſpecificam procedat terminus ſimilis in natura ſpecifica ſubſtantiali, & quia per voluntatem ſecundum rationem communem actus voluntatis non producitur ſimile, ſicut per intellectionem, vt ſic, quæ eſt ratio communis producitur terminus ſimilis, & per intellectionem diuinam ſecundum talem rationem ſpecificam producitur ſimile in natura diuina ſubſtantiali, ideò illa eſt generatio non verò proceſsio per voluntatem: licèt per illam ſecundum ſuam rationem ſpecifiam Spiritus Sanctus procedat ſimilis in natura ſubſtantiali.

Sed Contra, quod conuenit alicui ſecundum ſuam rationem ſpecificam ſimpliciter, & abſolutè conuenit, licèt non conueniat ei ſecundum rationem genericā, & communem, vt Homini conuenit eſſe rationalem, vel riſibilem: quia id conuenit ei ſecundum ſuam ſpeciem licèt non conueniat ſecundum rationem ſuperiorem. Ergò ſi Spiritus Sanctus ex vi ſuæ proceſsionis ſecundum rationem ſpecificam procedit ſimilis in natura ſubſtantiali ei, licèt id non habeat ſecundum rationem communem, vel analogam proceſsionis per voluntatem, abſolutè dicendum eſt, quod procedit vt ſimilis, & vt Filius genitus.

Sed contra eſt Concluſio Articuli.

ALiqui Hæretici, in hoc dubio putauerunt Spiritum Sanctum eſſe Filium, & eius proceſsionem eſſe veram generationem, ſi ipſe Spiritus Sanctus erat Deus, & procedebat in natura diuina. Ità tenuerunt Eunominiani, & Macedoniani, vt refert Athan. in Epiſt. ad Serapionem. Idem tenuit Abailardus, vt refert D. Bernar. Epiſt. 190.

Sed nos ſupponentes de fide Spiritum Sanctum eſſe Deum, vt oſten-

dimus Art.1.dub.1.statuimus Conclusionem hoc modo.

Spiritus Sanctus non est Filius, neq; eius Processio est generatio.

HAec Conclusio est de fide. Nàm ideò in symbolo Athanasij dicitur, quod Spiritus Sanctus non est genitus, Sed procedens, quod etiam habetur in Concilio Toletano 6. & 11. & in symbolo Apostolorum Christus vocatur Vnigenitus Filius Dei, aut vnicus, & Ioan.1. & 3. vocatur etiam vnigenitus Dei, & tamen si Spiritus Sanctus esset Filius Dei Christus non esset vnicus, & vnigenitus Filius Dei, Ergò.

Sed contra hanc probationem obijces. Primò: quia Christus, ad Hæb.1.vocatur primogenitus Dei, Ergò datur alius genitus Dei, qui non potest esse nisi Spiritus Sanctus.

Secundò Salomon Prouerb.4.Vocatur vnigenitus coram matre sua Bersabee, & tamen ex eadem Matre, alios habuit fratres, vt patet 2. Regum.5. & 1.Paralipo.3. Ergò Filium vocari vnigenitum Dei, non infert Spiritum Sanctum non esse Filium.

Ad primum Respondeo quadrupliciter. Primò ex Cyrilo lib.1. Thesau.Cap.4.Filium vocari primogenitum, vel ex multis fratribus, vt dicitur ad Rom.8. vel primogenitum omnis creaturæ, vt dicitur Ecclesiast: 24.& ad Collos.1. vel primogenitum ex mortuis, vt vocatur ad Collosens.1.& Apocalip.1. Quo significatur, quod licèt Filius Dei secundum naturam diuinam sit vnigenitus, & propterea Spiritus Sanctus non possit esse genitus à Deo, tamen secundum humanitatem est primogenitus omnium Filiorum adoptiuorum: quia propter illũ sunt adoptati, & omnis creaturæ: quia omnes propter illum factæ sunt, & primogenitus ex mortuis: quia primus morte calcata resurrexit.

Secundo Respondeo ex eodem Cyrilo ibidem Filium vocari primo genitum, non: quia alij post eum sint naturaliter geniti à Deo, Sed quia nullus fuit prius genitus à Deo, sicut Lucæ 2. vocatur primogenitus Virginis: non quia post illum B. Virgo peperit aliũ, Sed: quia nullum genuit prius illo, & Exod.12. refertur omnem primogenitum Aegiptiorum fuisse occisum, & omnem primogenitum Hæbreorum fore sanctificandum, & non debuit expectari, vt alij Filij nascerentur, vt occiderentur Aegiptij, vel sanctificarẽtur Hæbrei, Sed ille, antequã

nullus,

nullus, erat natus ex tali Patre, vel Matre vocatur primogenitus, & dicitur occisus, vel sanctificandus.

Tertiò, quod dicitur primogenitus: quia natura est genitus, & æternitate primus. Ita Ambros. 1. de fide Cap. 4.

Quartò Vocatur primogenitus: quia sanctior omnibus: Nam Israel vocatur Exod. 12. Primogenitus Dei: quia sanctificatus à Deo, & omnes primogeniti erant sanctificati, & ad Hæbr. 12. Beatitudo cælestis vocatur Ecclesia primitiuorum, idest, Sanctorum. Ita Amb. lib. 1. Examenon Cap. 4. & lib. 2. de Cain. Cap. 2. & Epist. 22.

Ad secundum Respondeo Primò. Salomonem vocari vnigenitus coram matre sua: quia ex Dauide non habuit Bersabee alium Filium, qui posset computari in populo Dei: Nam qui primo natus est mortus fuit ante 8. diem, & ideò incircumcisus, & ita non computatur in populo Dei: Nam Gene. 17. dicitur, quod incircumcisus delebitur de populo Dei. Alij verò Filij, qui tribuuntur Bersabee erant Filij Vriæ, & Aei. & adeptatiâ Dauid, vt ostēdit Abulens. 1. Paralipo. Cap. 3. Quæst. 4. & Lyra ibi, & ita Salomon potest propriè dici Vnigenitus coram matre suâ ex Dauide.

Secundo Respondet Galatinus lib. 2. Cap. 5. illum vocari Vnigenitum .i. dilectum, vt solet diligi vnigenitus, & (Teste Iansenio) id significatur in Hæbreo. Filius autèm diuinus non potest isto modo vocari vnigenitus: quia non diligitur plusquam Spiritus Sanctus dicitur, Ergò Vnigenitus: quia nullus alius est Filius Dei naturalis, neq; etiā Spiritus Sanctus, neq; eius processio est generatio. Rationem autem huius reddere adeo est difficilè, vt Sācti Patres. doceāt illam soli Trinitati esse cognitam, & à nobis non esse curiosius indagandam, ita Atha. in Epist. ad Serapio. Nazian. Orat. 5. de Theolo. Basil. 3. contra Eunom. & Homilia 2. contra Sabellianos, Aug. Ambros. Damasce. Bernar. & alij. Nihilominus Theologi aliquas rationes inuestigarunt, vt hanc veritatem pro nostro captu aliqualitèr declararent. Eas refert, & explicat, vel impugnat Vazq. hic disp. 113. Cap. 3. vbi ipse Vazquez Cap. 7. Secutus Canarien. & reijciens omnes alias rationes vnam putat esse veram. Scilicet Quòd Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit similis in natura, Ideò tamen non est Filius: quia non procedit, vt imago .i. vt similitudo ex natura sua producta ad repræsentandum, & explicat differentiam generationis, quòd quandò in ea dicitur in similitudinem naturæ debet intelligi .i. vt imago substantialis, & quia Verbum ex natura sua procedit, vt imago substantialis producta ad repræsentandam naturam Patris, quod non habet

Spiritus Sanctus ideò Verbum est Filius, & processio eius est generatio, non verò processio Spiritus Sancti. Probat hoc: quia Athan. in Epist. de decretis Synodi Nicenæ Nazianz. Orat. 36. in fin. Aug. 15. de Trin. Cap. 27. Anselm. in Monologion. Cap. 53. Ricardus de S. Vict. lib. 6. de Trin. Cap. 19. & D. Thom. 4. contra Gent. Cap. 11. dicunt Verbum esse genitum, & non Spiritum Sanctum: quia Verbum est imago, non verò Spiritus Sanctus.

Cæterum ista sententia defficit in tribus. Deficit enim. Primò: quia malè explicat testimonia Sanctorum. Illi enim non docent aliquã personam diuinam ex vi suæ processionis procedere similem, quæ non procedat, vt imago, neq; in hoc distinguunt aliquo modo imaginem à similitudine expressa ab alio, Sed pro eodem vsurpant vtrumq; vt patet ex Verbis Athana. Anselmi, & D. Tho. Ergò, ex hoc, quod dicant Verbum esse Filium (quia procedit, vt imago, & Spiritum Sanctum non esse Filium: quia non procedit, vt imago) nihil aliud significant: nisi quod Verbum est Filius: quia procedit similè, non verò Spiritus Sanctus.

Deficit secũdo: quia supponit falsũ, scilicèt Spiritũ Sãctũ ex vi suæ processionis procedere similis in natura: quia alids natura diuina ex vi processionis Spiritus Sancti communicaretur ei per se primò, vt natura, & sic quidquid ex vi suæ processionis communicatur Verbo, scilicèt intelligere, & esse sapientiam &c. communicabitur Spiritui Sancto per se primò ex vi suæ processionis, & ecõtra quidquid communicatur Spiritui Sancto, per se primò ex vi suæ processionis, scilicèt esse amorem &c. per se primò communicabitur Filio, ex vi suæ processionis, Consequens non debet admitti, Ergò. Sequela patet. Quia essentia diuina, vt sic, per se primò communicatur vtriquè personæ, & ex vi suæ processionis, Ergò etiam communicabuntur vtriquè æqualitèr omnia eius attributa: quia, cui per se primò, & formalitèr communicatur aliqua natura, vt sic, communicantur omnes proprietates eius eo modo, quò conueniunt tali naturæ. Min. verò probatur. Quia tunc nulla ratio esset, ob quàm Filius diceretur Verbum, & imago potius, quam Spiritus Sanctus cum vtriquè eodem modo conueniat ratio, ob quam Filius est Verbum, & imago.

Confirmatur: Si Spiritus Sanctus procedit æquè similis in natura, atquè Filius, Ergò habet repræsentationem, quàm habet Filius: Nam hoc requiritur ad perfectam similitudinem.

Dices cum ipso Vazq. ibidem Cap. 8. ad 3. hanc repræsentationem conuenire Filio ratione suæ personalis proprietatis, vt conditionis re-

quisitæ

quisitæ ad istam repræsentationem, & quia Spiritus Sanctus non habet talem proprietatem personalem, & conditionem, Ideò non habet istam repræsentationem.

Sed contra hoc est: quia ad veritatem istius solutionis requirebatur, vt Filio formalitèr, & per se primò communicaretur natura diuina, vt repræsentatiua, & non sic communicaretur Spiritui Sancto, sed hoc Consequens est contra istam sententiam, quam impugnamus: Asserit enim Spiritum Sanctum ex vi suæ processionis esse omninò similem Patri, sicut Filium: ad hanc autem similitudinem requiritur, quòd etiam habeat essentiam communicatam sibi, vt repræsentatiuam: aliàs non haberet similitudinem omnimodam cum Filio, Ergò.

Deficit tertiò. In efficatia suæ consequētiæ, & rationis: Nam imago in sua essentia, nihil includit supra rationem similitudinis, nisi esse expræssam ab alio, idest quòd ex vi suæ processionis procedat similis suo principio, Ergò si Spiritus Sāctus ex vi suę processionis procedi, similis Deo producenti in eādem natura procedet, vt imago, & per Consequens, vt Filius.

Declaratur hoc. Repræsentatio imaginis per se, & necessariò sequitur ad eius essentiam repræsentat enim: quia est similitudo alicuius expressa ab eo, Ergò si Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis est similitudo naturæ Patris, & Filij expressa ab eis, necessariò erit imago repræsentatiua eorum, & per Consequens Filius.

Dices, Imaginem in sua ratione postulare, vt sit producta eo fine, vt repræsentet, vel sit apta repræsentare; tunc autem eo fine illam produci quandò procedit talis ex vi suæ processionis, vt eo ipso, quo sic producta est, repræsentet, ità Vazq. ibidem nu. 45.

Sed Contra hoc est, quod quandò aliqua res ex vi suæ processionis procedit ab alia, vt similis illi eo ipso repræsentat, vel est apta repræsentare illam, neque huius datur aliqua exceptio, Ergò si Spiritus Sāctus ex vi suæ processionis procedit similis Patri, & Filio, procedit vt repræsentans illos, & per Consequens, vt imago, & Filius.

Secundò ratio repræsentatiui, quàm supra similitudinem dicit istæ Auctor addere imaginem cōuenit Spiritui Sancto, si ille ex vi suæ processionis procedit similis Patri, Ergò nihil ei deficit, quò minus procedat, vt imago, & Filius, & eius processio sit generatio. Antecedēs patet ratione repræsentatiui cōueniens imagini, non est esse repræsentatiuum, sicut Verbum: Nam vt dicitur Genes. 5. Seth. fuit imago Adami cuius erat Filius, & tamèn non repræsentabat illum, vt Verbū

intellectuale, neque potest esse alia ratio repræsentatiui: nisi repræsentatio obiectiua, quatenus in vna re cognita cognoscitur alia propter similitudinem. Imago enim naturalis repræsentat suum exemplar ex eo præcisè, quod procedit, vt perfectè similis illi, Ergò, si Spiritus Sanctus ex vi suæ Processionis procedit, vt similis essentiæ Patris, & Filij, repræsentat illam, vt imago: quia habebit hanc obiectiuam repræsentationem.

Omissis, Ergò hac ratione, & alijs quas Theologi communitèr adducunt ad ostendendum hanc processionem, non esse generationem: Tres sunt præcipuè rationes huius veritatis.

Prima est D. Tho. de Potentia Quæst. 10. Art. 2. ad 4. & 7. & in fine corporis eiusdem Articuli, Cyrilli lib. 1. Thesau. Cap. 9. Aug. 15. de Trinitate Cap. 14. & Tractatu 99. in Ioan. Bonauenturæ. Alberti, Ægidij, Ricardi, & aliorum in primo dist. 13. quæ ratio est. Verbum esse Filium: quia procedit per modum naturæ Spiritum Sanctum verò non esse Filium, neque eius processionem esse generationem: quia procedit per modum voluntatis, & non per modum naturæ. Et ad rationem generationis, & Filij requiritur, vt procedat per modum naturæ: Procedere autem per modum naturæ, non est procedere necessariò: Nam Spiritus Sanctus procedit necessariò, & non per modũ naturæ, & Filius in humanis (licèt generetur liberè) procedit per modum naturæ, neque est quomodocumque participare naturam producentis: Nam Spiritus Sanctus participat naturam sui principij, & nõ procedit per modum naturæ, Ergò. Sed est procedere nulla alia processione pre supposita.

Declaratur hoc. In supposito nihil est prius, neque præsuppositũ ad eius naturam, & ideò processio per naturam est, quæ non supponit aliam priorem: nisi fortè per accidens; in quantum vnum agens naturale propter suam imperfectionem pendet ab alio Volitio verò per se pendet ab intellectione: quia nihil est volitum: nisi sit cognitum, Et ideò processio termini producti per voluntatem ex natura sua supponit aliquam processionem in voluntate, vel Verbi, vbi formatur Verbum, vel Actionis intellectus realitèr procedentis, vbi non formatur Verbum, vt in beatitudine in diuinis, Ergo illa processio est per modũ naturæ, quæ non supponit aliam, & quia talis est processio Verbi, ideò illa est generatio, & Verbum est Filius. Processio verò Spiritus Sancti: quia est per modum voluntatis, & supponit processionem Verbi non est per modum naturæ, neque est propriè generatio, & natiuitas, neque Spiritus Sanctus est Filius, & hoc Insinuarunt Aug. & Cyril. vbi

ſupra dicentes Spiritum Sanctum non eſſe natũ: quia procedit à duobus quorum vnus non eſt mater: Nam: quia in diuinis non dantur duæ perſonæ improductæ, Quæ procedit à duabus neceſſariò ſupponit proceſſionem vnius, & ideò non procedit per modum naturæ.

Secunda Ratio, ſupponit Tria. Primum eſt eſſentiam Dei eſſe intelligere, & quo aliàs. Secundum eſt differre inter intellectiuum, & volitiuum, quod intellectiuum conſtituit naturam, & gradum entis diſtinctum à cæteris.

Volitiuum verò non conſtituit illum, ſed ſolum rationem potentiæ, & inclinationis Conſequentis ad intellectiuum, ità D. Thom. ſupra Quæſt. 14. Art.4. & infra Quæſt.78. Art.1. ad ſecũdum ratio eſt: quia gradus naturæ nihil priùs præſupponit. Ratio autèm volitiui non poteſt eſſe prima, ſed neceſſariò, ſicut omnis alia inclinatio ſupponit naturam, ad quam ſequatur.

Tertium eſt. Generationẽ per ſe primò, & formalitèr terminari ad communicationem naturæ, vt eſt prima, & eſſentialis ratio cuiuslibet rei, non verò terminari ad communicationem alicuius proprietatis ſupponentis ipſam naturam.

Ex his ſequitur noſtra ſecunda ratio. Vt aliqua Proceſſio ſit verè, & propriè generatio oportet, vt per illam per ſe primò, & formalitèr communicetur natura, & primaria ratio eſſentialis generantis, & non ſufficit per illam communicari aliam proprietatem conſequẽtem naturam, ſed per proceſſionem Verbi per ſe primò, & formalitèr communicatur illi primaria, & ſuſtantialis ratio eſſentię diuinę, quę eſt intelligere Spiritui Sancto, verò per ſuam proceſſionem non communicatur per ſe primò, & formalitèr, niſi velle diuinum, quod licèt propter infinitam Dei ſimplicitatem, identificetur formalitèr cum eſſentia Dei, tamèn virtualitèr diſtinguitur ab illa tamquam inclinatio ab eſſentia, & ſupponit illam, ſicut omnis volitio ſupponit intellectionẽ, Ergò. Mai. patet. Quia ideò dicitur in diffinitione generationis, quod terminus eius debet procedere in ſimilitudinem naturæ, hoc verò intelligitur formalitèr de natura, vt eſt eſſentia, & primaria ratio ſubſtantialis viuentis, qualis non eſt volitio, vel inclinatio naturę, & ideò ad generationem non ſufficit ſimilitudo in illa. Min. verò pro prima parte patet, ex dictis: Nàm Verbo ex vi ſuę proceſſionis communicatur intelligere, quod eſt ipſa eſſentia ſubſtantialis Dei ſuppoſita ad omnes eius perfectiones, & eſt ſpecialis gradus naturæ viuentis, de quò diximus Art.2. dub. 3.

Pro ſecunda verò parte patet eadem Min. Nam Spiritus Sanctus

procedit per voluntatem, & termino producto per volitionem, nō cōmunicatur, nisi inclinatio in obiectum, vt diximus Art. 3. Communicari autèm alicui rationem inclinationis non est cōmunicari naturam, & primam rationem substantialem viuentis, Ergò.

Ratio est. Processionem Verbi esse generationem, & non Processionem Spiritus Sancti: quia terminus illius, vt sic, est similis in natura cum principio producente, Terminus verò formalis huius, vt sic, non est aliquid similè, licèt identicè sit similis principio producenti.

Hanc rationem insinuat Aug. lib. 15. de Trinitate Cap. 27. & Ansel. in Monolog. Cap. 53. & ea vtuntur D. Tho. hic, & Henric. 1. p. summæ Cap. 60. Quæst. 2. Gabriel. in 1. dist. 13. Capræol. ibidem Caiet. hic, & infra Quæst. 35. Art. 2. & alij.

Pro huius declaratione Tria notanda sunt.

PRimum est, quod sicut distinctio virtualis inter perfectiones Dei sufficit, vt vni tribuatur aliqua actio, quæ non tribuitur Deo ratione alterius, ita distinctio virtualis, quæ reperitur inter perfectiones terminorum procedentium per diuinas processiones sufficit, vt vnus terminus secundum vnam rationem, dicatur terminare vnam processionem, vel produci per illam ex vi talis processionis, & non per alteram productionem, & secundum aliam rationem.

Explicatur hoc. Intellectus, & Voluntas, Iustitia, & Misericordia Dei actualitèr, formalitèr sunt idem, & tamèn: quia distinguuntur virtualitèr, & ratione, Hoc sufficit, vt dicamus Deum intelligere per intellectum, & non per voluntatem, aut iustitiam, & Deum misereri per misericordiam, & non per iustitiā, vel æternitatem &c. quia in his propositionibus fit sensus formalis, & non significatur Deum intelligere, aut misereri per rem, quæ identicè est voluntas, vel iustitia: Nam hoc non esset verum, Sed quòd intelligat per intellectum sub ratione intellectus, & misereatur per misericordiā sub ratione misericordiæ, & non iustitiæ. Idē prorsus dicendū est de terminis harū processionum Spiritus Sanctus identicè, & realitèr est Deus, intelligens, & similis essentiæ Patris: tamen suam processionem formalitèr non terminat, vt intelligens, Sed vt impulsus Dei procedens à voluntate Dei & tendens in essentiam Dei, vt in obiectum, & ita sub illa ratione non communicatur per se primò, & formalitèr illi ratio essētialis primaria, & quidditatiua Dei, Sed ratio impulsus, vel amoris diuini, quæ virtualitèr distinguitur ab essentia Dei.

Secundum

Secundum est. Processiones non specificari à quacumq; ratione etiam essentiali suorum terminorum, Sed ab illa ratione formali, sub qua terminant. v. g. Creatio Adami, & generatio Petri distinguuntur realitèr, & formalitèr: quia termini formales earum terminant illas sub diuersis rationibus sola ratione distinctis, creatio enim Adami terminatur ad illum sub ratione entis Generatio verò Petri terminatur ad illum sub ratione specifica hominis, vel indiuiduali Petri. Ratio autem entis essentialis est Petro, & sola ratione distinguitur à ratione hominis, vel Petri.

Tertium est. Quod terminum alicuius processionis habere aliquid ex vi suæ processionis, est habere illud tanquam terminum formalem illius, vel est habere illud sub ea ratione formali, qua terminat talem processionem.

Ex his sumitur tertia ratio pro nostra veritate: Nàm ad rationem veræ generationis requiritur, vt terminus eius sub ea ratione formali, qua terminat illam sit similis essentiæ Patris producentis, Sed hoc habet processio Verbi, & non processio Spiritu Sancti, Ergò Min. pro prima parte patet: Nàm quia Filius producitur per actum intellectus, qui est communicatiuus naturæ, ideò communicatur illi per se primò, & formalitèr intelligere Dei, quod vt sic, est ipsamet essentia Dei, & vt sic, vt terminus formalis talis productionis scilicet, vt participat intelligere Dei est formalitèr similis principio producenti in sua essentia, & ratione primaria, & quidditatiua formalitèr sumpta. Pro secunda etiam parte probatur eadem Min. Quia cum Spiritus Sanctus producatur per actum voluntatis, & termino producto per actum voluntatis per se primò, & formalitèr solum communicetur ratio impulsus, non communicatur formalitèr essentia Dei, quæ est intelligere, Sed ratio inclinationis, quæ virtualitèr distinguitur ab essentia Dei, quæ est intelligere.

His suppositis. Ad Argumentum in principio nego. Antecedens pro vltima parte.

Ad primum verò quod probabatur id multi Thomistæ, licèt concedant Spiritum Sanctum procedere Deum, vel procedere, vt Deum spiratum: quia Spiritus Sanctus procedens est verus Deus, & illud adiectiuum spiratum facit, vt processio Dei spirati non specificetur à Deo producto, vt Deus est, Sed vt spiratus est, & ita terminus formalis illius, processionis est Deus, vt spiratur, quod verè conuenit Spiritui Sancto similitèr concedunt istam. Spiritus Sanctus spiratur Deus:

quia licèt Verba, quæ significant istas processiones faciant sensum formalem cum appellatione proprij conceptus super terminos formales in quos feruntur, & significant, quod Spiritus Sanctus spiratur, vt Deus, quam propositionem dicunt esse falsam in rigore, & formalitate sermonis: tamèn ex communi vsu loquendi istæ propositiones sumuntur à Theologis in sensu identico absq; vlla appellatione pro supposito habente naturam Dei. In hac enim propriè Deus generat Deum. Ille terminus Deus ex vi Verbi notionalis supponit pro persona, Ergò etiam in hac Spiritus Sanctus spiratur Deus: Nàm etiam Verbum spiratur est notionale.

Idem tamèn Thomistæ negant istam Spiritus Sanctus procedit, vt Deus: Quia sentiunt, per illam significari distinctionem realem Spiritus Sancti à Deo sumpto pro concreto deitatis: quia inter producens, & productum, vel procedens debet esse distinctio realis in ea ratione in qua est processio, Ergò cum ex vi illius particulæ, vt fiat sensus formalis, & sit sensus, quod processio sit in Deitate, impedietur Verbum notionale. Procedit ne faciat illum terminum Deus supponere pro persona, de quo dicemus Quæst. 39. Art. 4. & significabit esse distinctionem realem in deitate inter Spiritum Sanctum, & Deum producentem illum. Sed quidquid sit de hoc: quia multi Theologi non tàm attendentes ad rigorosum, & formalem sensum, quàm ad rem ipsam, concedunt istas propositiones Filius, vel Spiritus Sanctus procedit, vt Deus, Dicendum est, negandam esse istam. Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit vt Deus, Nàm ex vi illius particulæ ex vi suæ processionis fit sensus formalis, & significatur Spiritum Sanctum terminare suam processionem sub ratione formali, & essentiali deitatis, vt sic, cuius contrarium diximus docentes solum terminare illam sub ratione inclinationis, & impulsus, quæ virtualitèr distinguuntur à Deitate.

His; Ergò suppositis. Primum nego Antecedens. Ad probationem nego Consequentiam: quia licèt Spiritus Sanctus id non habeat ex vi suæ processionis habet tamèn id ex identitatè, quam habet cum natura diuina, cui nihil identificatur, quòd non sit Deus.

Ad Confirmationem nego Consequentiam: quia veluti variatur appellatio: Nam illa particula VT. in antecedēti appellat supra rationem Dei, vt spirati tanquam termini formalis. In Consequenti verò appellat supra rationem Deitatis tanquam termini formalis talis processionis.

Ad

Ad secundum Idem Thomistæ circa Antecedens huius Argumenti dicunt tria.

Primum est Spiritum Sanctum simplicitèr, & formalitèr esse Personam diuinam, & relationem passiuæ inspirationis simplicitèr esse personalem. Probant hoc: quia de fide est dari in diuinis Tres personas constitutas tribus personalibus subsistentijs, Sed vna earum est Spiritus Sanctus constitutus per passiuam spirationem, Ergò.

Secundo, vt aliqua sit persona diuina non oportet, vt ex vi suæ processionis communicetur illi natura diuina, Sed satis est, quod habeat illam, & subsistat in communicabilitèr, Sed hoc habet Spiritus Sanctus, Ergò Mai. probatur: Nàm Pater diuinus simplicitèr est persona diuina: quia habet naturam diuinam, & quia in ea subsistit in communicabilitèr non: quia natura diuina communicetur ei ex vi alicuius processionis, Nàm vt ostendemus Ar. sequenti Pater diuinus nullo modo procedit, Ergò.

Secundum est. Has propositiones esse veras. Spiritus Sanctus procedit persona diuina, & Spiritus Sanctus procedit, vt persona diuina spirata. Primam quidem: quia facit sensum identicum, & materialem, & ita contigit aptæ rei, quod Spiritus Sanctus procedens à Deo est Persona diuina. Secundam verò: quia in ea significatur terminum formalem talis processionis esse Personam diuinam non absolutè sub ratione Deitatis, Sed vt spiratam, & id verum est: Nàm terminus talis processionis est Spiritus .i. impulsus, & inclinatio amoris diuini.

Tertium est, Spiritum Sanctum ex vi suę processionis non per se primò, & formalitèr procedere in ratione personæ diuinæ: quia quod ex vi suæ processionis per se primò, & formalitèr procedit, vt persona diuina, ex vi eiusdem processionis debet per se primò, & formalitèr habere naturam diuinam in ratione naturæ, Sed eam non habet Spiritus Sanctus per se primo, & formalitèr ex vi suæ processionis, vt probatum est, Ergo Mai. patet. Nam Persona diuina est subsistens in communicabilitèr in natura diuina, & habens illam, Ergo, quod ex vi suæ processionis per se primò, & formalitèr procedit, vt Persona diuina, per se primò, & formalitèr debet habere naturam diuinam, vt sic, ex vi suæ processionis. Dicunt per se primò, & formalitèr: quia secundariò, & veluti identicè Spiritus Sanctus procedit, vt Persona diuina propter identitatem, quam ratio formalis termini suæ processionis habet cum essentia diuina, vel cum Deo: Nàm quidquid identificatur cum Deo, est Deus, & ideò ex vi illius processionis consideratæ materialitèr, & identicè, vt est in natura diuina in qua nihil est, quod non sit Deus, &

nihil

nihil procedit incommunicabilitèr, quòd non sit Persona diuina. Spiritus Sanctus, qui ex vi suæ processionis procedit, vt amor, & voluntaria inclinatio Dei, secundariò, & identicè procedit, vt Persona diuina, & iuxta hanc doctrinam Theologos dicentes Spiritum Sanctum procedere, vt Personam diuinam explicant, quod loquantur non secundũ rigorem dialecticum, & vim appellationis, Sed iuxta communem modum loquendi in sensu materiali, & identico.

His suppositis. Ad secundum Nego Antecedens. Ad primam probationem nego Consequentiam: quia, licèt id non conueniat Spiritui Sancto per se primò, & formalitèr ex vi suæ processionis conuenit tamèn per se identicè propter identitatem cum essentia diuina.

Ad secundam probationem Respondeo eodem modo, quod ex vi suæ processionis consideratæ secundum suam vltimam differentiam formalem, Spiritus Sanctus non procedit, vt subsistens, vel inhærens, Sed vt inclinatio, & amor Dei procedens à Deo, & terminatus ad Deum, vt ad obiectum, & ita procedit, vt abstrahens à subsistente, vel inhærente, vt docet Cai. infra Quæst. 35. Art. 2. esse verò subsistentem conuenit ei ex vi suæ processionis non formalitèr, Sed materialitèr, & identicè, vt procedit in natura diuina in qua nihil realitèr procedit, quòd non sit Persona diuina subsistens.

Ad primam confirmationem, vt Respondeatur, Notãdum est aliud esse loqui de aliqua processione, & termino formali illius considerato secundum aliquam rationem partialem, & imperfectam illius, & aliud loqui de eo considerato secundum integram, adæquatam, & completam rationem illius genericam, specificam, & indiuidualem: Nàm secundum priorem rationem non determinat omnes singulares conditiones proprias illius, quas tamèn determinat secundum rationem posteriorem v. g. Petrus procedit à Paulo, vt est singularis, vt est Homo, & animal, & viuens, &c. Sed diuersimodè: quia enim effectibus debent assignari causæ proportionales, ideò Petrus, vt est singularis procedit à Patre, vt est suppositum singulare, vt verò Petrus est homo, vel Animal, procedit ab eodem Patre, vt ille est homo, vel animal, & si inquiras Petrus, vt procedit à Patre, vt ille est Animal procedit ne, vt Rationalis, an vt, Irrationalis? Respondendum est, quod neutro modo, Sed quod procedit ab illo, vt abstrahit ab vtroq; : quia etiam in Patre ab vtroq; abstrahit ratio animalis, secundum quam producit Petrum, vt animal, & licèt Petrus per suam generationem completam

habeat à Patre esse homnem singularem, hoc tamen non habet per eãdem generationem consideratam secundum rationem partialem, vel superiorem, scilicèt vt est processio animalis. Eodem modo phylosophandum est hic: Nam Spiritus Sanctus, ex vi suæ processionis considerata secundum rationem, integram, & completam, vt est hæc singularis in natura diuina, cui identificantur omnia, quę in ea reperiuntur, & in qua quidquid est incommunicabile, & subsistens est Persona diuina, & secundum cæteras conditiones, quas habet per se perseitate rei, & rationis formalis actualis, certum est, quod procedit, vt Persona diuina, & vt subsistens in natura diuina, Sed si consideretur, vt procedit per voluntatem diuinam non consideratam, vt formalitèr identificatam cum Deo, Sed vt est potentia volitiua Dei infinita in genere appetitiuo sic ex vi suę processionis solũ habet esse impulsum, & inclinationem voluntatis diuinæ terminatam ad ipsum Deum, vt ad obiectum, & esse infinitam non simplicitèr in omni genere, Sed in genere inclinationis, & appetitus, & vt sic abstrahit à ratione subsistentis, & Personæ, uel non Personæ, & inhærentis.

HIs suppositis. Ad primam confirmationem. Concedo Mai. & Min. loquẽdo, de ista processione secundũ rationem suam quasi specificam, vt est à voluntate Dei, & nego Consequentiam: quia (vt dictum est) satis est terminum illius consideratę, vt sic, & non secundum aliam rationem, quam habet esse infinitam inclinationem abstrahẽtem à subsistentia, vel inhærentia: quia, vt sic per se primò, ex vi talis processionis non habèt infinitatem in omni genere simplicitèr: quia ex vi illius non habet naturam diuinam (vt dictum est) sed solum habet infinitatem inclinationis amoris, & impulsus: quia per se primò ex vi talis Processionis solum illi communicatur velle infinitum Dei, quod formalitèr, vt sic, vt distinctum à natura solum habet infinitatẽ in ratione volitionis, Si autèm Mai. loquatur de hac Processione, vt est in natura diuina secundum omnes suas conditiones, Concedo totũ. Ex hoc tamen, non sequitur ex vi rationis formalis illius Processionis per se primò procedere personam diuinam, quod requirebatur ad rationem generationis.

Ad secundã confirmationẽ. Caiet. infra Quæst. 35. Art. 2. D.Th. dicentem Spiritum Sanctum procedere, vt amorem diuinum explicat, quod solum vellit docere Spiritum Sanctum realitèr procedere ex vi amoris diuini identicè, idest, amoris, qui est Deus propter identitatem, quàm habet cum Deo, & itá ex vi talis processionis identicè

erit

erit persona diuina, & Deus, formalitèr tamèn ex vi specifica suæ processionis, & vt est terminus specificans illam negat eum procedere, vt amorem diuinum identicè, sed formalitèr obiectiuè, & principiatiuè: quia scilicèt terminatur ad Deum, vt ad obiectum, & elicitur à Deo vt à principio: amor autèm Dei istis modis formalitèr, & per se primò vt est amor est quidem impulsus: non tamen Deus. Vndè loquendo de amore Diuino, isto modo.

Ad secundam confirmationem nego Consequentiam. Ad probationem dictum est, quod, licèt ille amor producatur in virtute essentiæ diuinæ naturalitèr producentis, vt principium Quo. non tamèn producitur nisi tantum, vt impulsus infinitus in genere amoris abstrahendo, vt sic, à ratione creati, vel increati subsistentis, vel inhærentis: quia, vt sic, illa productio non consideratur secundum suam rationem completam, & omninò terminatam, & ideò non oportet, quod vt sic, habeat terminum determinatum, quò ad omnes suas conditiones.

Ad 3. Arg. Nego. Min. Nàm dictum est, quod Velle supponit intelligere, & quod est inclinatio naturæ diuinæ virtualitèr distincta ab eius essentia. Intelligere verò est ipsa essentia, & natura Dei primaria, & quidditatiua non supponens eius naturam, & ideò non est eadem ratio.

Ad confirmationem Respondeo duplicitèr. Primò cum Ferrar. 4. contra Gentiles Cap. 19. distinguendo Consequens. Procedit similis suo principio similitudine proportionali: quia vtrumque est inclinatio in obiectum. Concedo Consequentiam, & hæc similitudo nō est, quæ requiritur ad rationem generationis. Similis suo principio in natura specifica. Nego Consequentiam, & hæc similitudo est, quæ requiritur ad rationem generationis, & non sufficit prima. Quomodò autèm Verbum, sicut, & species intelligibilis, habeat hanc similitudinem specificam in natura quidditatiua, cum ipso obiecto, & non differant species ab illo. ex parte formæ, sed ex parte modi essendi tantum, diximus aliàs ex Caiet. & ideò Verbum procedens per intellectum habet similitudinem sufficientem ad rationem generationis, non verò terminus procedens per amorem.


Secundò etiam Respondeo distinguendo Consequens. Similis suo principio in primaria ratione naturę non supponente aliam, nego Cōsequentiam. Similis suo principio in ratione inclinationis naturæ supponentis ipsam naturam. Concedo Consequentiam Hoc tamèn non sufficit ad rationem generationis, sed ad illam requiritur, vt eius terminus

minus procedat similis suo principio in ratione primaria, & quidditatiua naturæ.

Ad quartũ. Nego Antecedens. Ad probationem nego etiam Antecedens: Nam alias diximus Verbum ex parte formæ non differrè specie substantiali ab obiecto, sed solum ex modo essendi, & ideò eius productio poterit esse generatio perfecta, vel imperfecta iuxtà naturam ipsius Verbi: Processio autèm Spiritus Sancti non est in similitudinem naturæ quantum est ex vi processionis termini voluntatis: quia illa est inclinatio, & ex parte formę non est eiusdem speciei substantialis cum suo termino, & ideò non est eadem ratio.

Secundò Respondeo negando Consequẽtiam. differentia est: quia Verbum diuinum, vt est in tali natura, ex vi suæ propriè processionis per intellectum formalitèr participat ipsam naturam primariam Dei scilicèt ipsum intelligere (vt dictum est) Diximus enim Art. 2. dub. 3. Verbum existere per intelligi, & ex hoc sequi, quod participet formalitèr ipsum intelligere Dei, quod est eius natura: Spiritus Sanctus verò ex suæ proprię processionis etiam, vt est in tali natura per se primò, & formalitèr solum participat velle Dei, quod virtualitèr distinguitur ab eius essentia: licèt secundariò participet naturam Dei propter identitatem actualem formalem, quã verè Dei habet cum eius essentia: ad rationem verò generationis requiritur, vt terminus eius per se primò participet naturam sui principij, non verò sufficit, vt per se primo participet eius inclinationem.

Ad quintũ. Nego Antecedens. Ad probationem nego etiam Antecedens: Nam dictum est Spiritum Sanctum, vt procedit per voluntatem Dei ex vi formali talis Processionis, vt est à tali principio, solũ habere, quod sit quædam inclinatio infinita amoris Dei obiectiuè, & principiatiuè, non verò habere, quod sit Deus nisi secundariò, & identicè; Quia quidquid est in Deo, est Deus, vt dictum est.



ARTI-

ARTICVLVS V.

An ſint plures Proceſſiones in diuinis, quam duæ?

Concluſio eſt.

Nulla alia Proceſſio poteſt eſſe in diuinis, niſi Verbi, & amoris.

DVBITATVR

An hæc Concluſio ſit vera, & eius ratio efficax?



IDETVR, quod non. Primò: Nam Paternitas procedit in diuinis, & eius Proceſſio eſt diſtincta à proceſſione Verbi, & amoris, vt conſtat, Ergò, Mai. patet: Nã Paternitas coniungitur eſſentiæ diuinæ priùs, quam alia relatio, & non niſi: quia Eſſentia prius quã determinetur per alias relationes perſonales compræhendit ſe, & ex hac cõpræhenſiua intellectione dimanat Paternitas, quæ eſt ſubſiſtens, & perſona, Ergò datur proceſſio Paternitatis diſtincta à proceſſione Verbi, & amoris.

Confirmatur. Datur alius actus notionalis, prȩter dicere, & ſpirare, Ergò datur alia Proceſſio prȩter proceſſiones Verbi, & Amoris. Conſequentia patet: Quia proceſſiones (vt ait D. Tho. in Art.) correſpondent actibus notionalibus. Antecedens autèm probatur, dupliciter. Primò Communicatio, qua natura diuina communicatur Patri, nõ eſt eſſentialis aliàs eſſet cõmunis Filio, & Spiritui Sãcto hæc autèm communicatio eſt diſtincta à Dicere, & Spirare, ſicut & termini ſunt diſtincti, Ergò.

Secundò probatur idem Antecedens. Eſſentialia ſunt priora, & independentia à notionalibus, Sed hæc communicatio, qua natura diuina

diuina communicatur Patri necessariò includit Paternitatem, vt formam constitutiuam Patris, Ergò non est essentialis, sed notionalis.

Secundò Arguitur contra rationem Articuli. Istę processiones summũtur secundum actiones naturæ diuinæ, vt est natura virtualitèr distincta ab intellectu, & voluntate. Ergò licèt actiones intellectus, & voluntatis, vt sic, in Deo sint tantum duæ processiones poterunt esse plures. Antecedens probat Duran. quia Sancti Patres docent ideò processionem Verbi esse generationem: quia est à natura Dei, ità docent Hylar. lib. de Synodis, & Damasc. lib. 1. de fide Cap. 8. & alij, quos citauimus Art. 4. in prima ratione pro Conclusione.

Tertiò. Creaturæ sunt fæcundæ immediatè per suam naturam, secluso intellectu, & voluntate, Ergò idem erit in Deo. Antecedens patet In homine, qui non est fæcundus per intellectum, aut voluntatem, sed per suam naturam, & Consequentia probatur: Quia probatur. Quia Deus, & Creaturæ analogicè proportionantur.

Confirmatur. Quia in Homine distinguuntur realitèr intellectus, & voluntas à natura Communicatio naturæ est per actionem naturæ realitèr distinctam ab actione intellectus, & voluntatis, Ergò in Deo, vbi intellectus, & voluntas distinguuntur ratione à natura, communicatio naturæ erit per actionem naturæ ratione distincta ab actione intellectus, & voluntatis. Probo Consequentiam: quia qualis est ordo realis inter res realiter distinctas, talis est ordo rationis inter eas, quandò distinguuntur ratione.

Quarto Generatio est opus naturæ: quia est opus eius, quod non supponit aliam processionem, vt diximus Art. 4. Sed processio per intellectum supponit processionem, qua ipse intellectus diuinus saltim secundum rationem procedit ab essentia, & natura Dei, vt potentia eius, Ergò actio Dei, quæ est generatio, debet esse actio immediatè procedens ab ipsa natura, & non ab intellectu.

Quintò, Istæ processiones non sunt per actiones intellectus, & voluntatis tamquam per productiones terminorum, neq; tãquam per principia, quibus illæ producantur, Ergò nullo modo sunt per illas. Consequentia patet: quia non possunt esse per eas alio modo. Antecedẽs autèm pro prima parte probatur duplicitèr. Primò: quia istæ productiones non sunt communes omnibus personis diuinis, quibus tamèn sunt communes actiones intellectus, & voluntatis. Secundò: quia productiones Filij, & Spiritus Sancti distinguuntur intèr se realitèr sicut ipsi termini, actus verò intellectus, & voluntatis Dei non distinguuntur realitèr, Ergò.

Pro secunda etiam parte probatur idem Antecedens. Quia Arist. 9. Methaphy. tex. 16. ait actus immanentes non esse principia productiua terminorum.

Sed contrà est auctoritas D. Thomæ.

IN hoc dubio, Illi, quos Art.2. dub.2. diximus sentire in diuinis distingui realitèr Verbum, & Filium, consequētèr dici in diuinis dari saltem 3. Processiones, Verbi, Filij, & Spiritus Sancti.

His autèm omissis (quia ibidem eos sufficientèr impugnauimus) quidam Iuniores tenent relationem Patris quodamodò veluti pullulare, & dimanare ab essentia diuina, vt comprehensiuè se intelligit; quia non habet aliud fundamentum, à quo veluti resulet, ità tenēt Belar. lib.2. de Christo Cap.8. & Molina hic Art.3. disp.4. §. Tertiū, & §. Caut est, & Quæst.40. Art.2. disp.2. memb. 3. §. ex dictis: Subdit tamèn Molina, quod hæc resultantia, solùm est secundum rationē: quia Paternitas non distinguitur realitèr ab essentía, & ad resultantiā realem, requiritur distinctio realis resultantis ab eò à quo resultat, Ad resultantiam verò rationis, sufficit distinctio rationis qualis repetitur intèr essentiam, & Paternitatem.

Circa rationem verò Articuli. Duran. in 1. dist.6. Quæst. & dist.10. Quæst.2. & dist.27. Quæst.3. tenet illam non esse sufficientem: Quia istæ processiones non fiunt (inquit) per actionem intellectus, & voluntatis, sed per actionem naturæ fæcundæ, vt sic; qua, vt sic, ordine rationis est prior intellectu, & voluntate Dei. Idem tenet Hyero. Zamilius Hæreticus lib. de Trin. p.1. lib. 5. Cap. vltimo.

Sed pro explicatione.

Dico primo. Nulla datur actio Dei, quæ sit communicatio, quà natúra diuina communicatur Patri.

HAec Cōclusio debet esse certa in fide Catholica, & probatur. Nā si daretur talis actio, & cōmunicatio illa non tribueretur Patri, sed Deo, vt cōmuni, & præintellecto tribus Personis, sed hoc est impossibile, & contra fidem, Ergò. Mai. patet: quia illa actio præsupponeretur Patri, cum tenderet ad eius constitutionem, Ergò non produceretur à Patre, sed à Deo, vt communi, & præintellecto tribus Personis: non enim est alius, cui tribuatur, vt supposito elicienti. Min. verò patet. Quia alias Deus, vt communis, & præintellectus tribus Personis

nis

nis distingueretur realitèr à Patre, vt principium producens illum per veram actionem, Hoc verò est cõtra fidem, & est ponere in Deo quaternitatem: quia ille, qui per talem actionem produceret Patrem cõsequentèr produceret alias Personas productas à Patre, & sic distingueretur realitèr ab illis proptèr originem, quam mediatè haberent ab illa, Ergò.

Secundò. Actio communicatiua naturæ supponit principium incõmunicabile Quod eliciriuum illius, sed hoc nõ potest præintelligi Patri in diuinis, Ergò Mai. patet: quia ideò neq; essentia, neq; Deus, (vt est concretum immediatum deitatis) dicitur generare, vt dicemus Quæst.39. Art.4.& 5. propter, quod Quæst.40. Art.2. dub. 1. docebimus Personas non constitui per origines: quia origines actiuæ, vt productio Filij, & Spiritus Sancti necessariò eliciuntur à personis incommunicabilibus, & supponunt illas constitutas: Min. verò patet: quia ante Patrem non intelligitur aliquod suppositum incommunicabile, & principium Quod, à quo oriatur talis communicatio naturæ: Nàm tantum præintelligitur Deus, vt subsistens absolutum, quod est commune tribus personis.

Tertiò. Omnis actio præintellecta Personis est omnino essentialis, nihil notionale includens, Ergò nulla datur, qua natura diuina communicetur Patri. Probo Consequentiam: quia actio communicatiua naturæ, cum non conueniat ei, cui communicatur natura, non conuenit omnibus Personis diuinis, & consequentèr, non est essentialis, sed notionalis, Antecedens verò de se patet: quia actio præintellecta omni proprietati personali est essentialis omninò, & non notionalis: quia actus notionalis nequit intelligi nisi, vt procedens à persona, & per consequens, vt supponens notionalem.

Ex his, sequitur Paternitatem non procedere per intellectionem comprætensiuam Dei, vt est actio essentiæ diuinæ præintellecta Patri constituto. Probatur: quia aliàs tali actione, natura diuina communicaretur Patri, sicut communicatur Filio per generationem: quia per illam procedit relatio, qua Filius constituitur in esse Personæ. Consequens autem est falsum, vt probant Argumenta facta, Ergò.

Secundò. Velle essentialem præintellectum Personis non est actio, ad quam sequatur relatio actiuæ spirationis, vt infrà patebit, Ergò neq; intelligere essentiale præintellectum Personis est actio, ad quam sequatur Paternitas: est enim eadem ratio de vtraq; & si intellectio, est sufficiens, vt ex illa oriatur Paternitas, uolitio erit sufficiens, ut ex illa oriatur spiratio actiua.

Tertium: quia aliàs patet, Ex vi suæ proprietatis personalis haberet esse sapientiam procedentem secundum rationem, & esse repræsentatiuum creaturarum; & esse obiectum secundarium intellectus diuini, & alia huiusmodi, quæ appropriantur Filio. Consequens non debet admitti, Ergò. Sequentia patet: quia Filius procedit per intelligere, communicatur ei natura diuina, vt habet rationem formalem intellectionis, & ideò ratione suæ proprietatis personalis competunt ei omnia prædicta: quia omnia clauduntur in ratione intellectionis, quæ per suam processionem ei communicantur, Sed etiam Pater procedit secundum rationem per intelligere diuinum, quod formalitèr includit omnia illa, Ergò etiam habet illa ex vi suæ processionis. Min. verò probatur: Nam aliàs illa non appropriarentur Filio, cum etiam conuenirent Patri ex vi suæ Processionis secundum rationem, & solum differet inter Patrem, & Filium, quod Filius habet illas conditiones processionem realem, Pater verò haberet easdem per emanationem rationis.

Quartò: quia aliàs illa emanatio Patris esset generatio secundum rationem; Consequens est falsum, Ergò. Sequella patet, Ideò productio Filij, est vera generatio secundum rem: quia, cum sit per intelligere, est realis emanatio viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ, sed etiam ista Patris emanatio secundum rationem: quia etiã est per intelligere, est origo secundum rationem viuentis à viuente coniuncto in similitudinem naturæ, Ergo. Min. verò probatur: quia aliàs Pater licèt secundum rem esset Pater, secundum rationem esset Filius, & ita secundum nostram considerationem, non esset innascibilis, nec principium non de principio, si quidem secundum rationem, & considerationem naturam esset Filius, & emanaret ab aliquo.

Quintò. Omnis relatio consequens intellectionem etiam diuinam est relatio rationis præter eam, quam Verbum dicit ad suum principium producens: Ideò enim relationes Idearum consequentes diuinam intellectionem, & relatio Dei intelligentis se ad se ipsum, vt obiectum intellectum, sunt relationes rationis, sed relatio Paternitatis est realis, & non est relatio Verbi producti per intellectionem, Ergò non consequitur intellectionem.

DIco secundò. Paternitas immediatè coniungitur essentiæ, vt incommunicabilis terminus illius formalitèr inclusus in ipsa ratione essentiæ diuinæ.

Pro

Pro huius declaratione duo supponenda sunt.

PRimum. Ex Quæst. sequenti Art. 2. dub. 2. scilicèt. Relationes diuinas per se conuenire essentiæ, & esse de conceptu illius: quia enim essentia diuina essentialitèr est communicabilis tribus Personis, sine omni potentialitate, sed cum summa actualitate, quod est illam esse actu communicatam tribus Personis, & hoc non potest habere sine relationibus, per quas actu communicatur; sequitur quod necessariò debeat eas essentialitèr includere tamquam determinationes formales, quibus determinatur ad Personas.

Secundum est. Quod includit illas ordine quodam, Paternitatem immediatè sine aliqua actione; cæteras verò mediante aliqua actione. Declaratur hoc. Communicatio Deitatis ad Personas debet esse ad vnam improductam, & ad duas productas procedentes ab improducta: quia vt ostenditur Quæst. 30. Art. 2. non potest esse ad plures Personas, quam tres, neq; ad plures improductas, alias essent plures Dij, (vt ostendimus Art. 1.) neq; ad omnes productas: quia non daretur principium producens illas nisi Deus, vt communis tribus Personis, & ita Deus distingueretur à Personis, sicut producens à productis, quod est contra fidem.

HIs suppositis; patet. Conclusio. Nam si communicato Deitatis debet esse ad vnam Personam improductam, & duas productas per actionem ipsius improductæ necessariò debet prius communicari ipsi Personæ improductæ: quia illa supponitur ad suam actionem, qua eadem Deitas communicatur alteri. Quod verò hæc communio sit sine aliqua actione, patet ex 1. Conclusione. Nàm communicatio realis naturæ per actionem realem, supponit suppositum incommunicabile prius, à quo oriatur, sed in diuinis, nullum tale datur prius Patre, Ergò.

Secundò. Hęc communicatio essentiæ diuinæ ad Patrem, fit per terminationem formalem, qua Paternitas incommunicabilitèr terminat naturam diuinam: Ad rationem autem formalis terminationis non requiritur aliqua actio: Nàm personalitas relatiua Verbi terminat humanitatē Christi sine aliqua actione, (vt suppono ex tertia parte,) Ergò cum Paternitas sit inclusa in ratione essentiæ diuinæ, & coniuncta illi, & nulla requiratur actio, vt personalitas naturæ illi coniuncta terminet ipsam naturam. Consequens est, quod Paternitas sine aliqua præcedente actione ad hoc concurrente terminet formalitèr na-

turam diuinam, & constituat Patrem, & itâ nòn oportet dari processiones in diuinis plures, quam duas siue secundum rem, siue secundum rationem.

DIco tertiò. Processiones diuinæ non sunt per actus naturæ diuinæ, vt ratione distinctæ ab intellectu, & voluntate, sed per actus intellectus, & voluntatis.

Hæc Conclusio est adeò certa, vt Theologi sententiam oppositam Duran. communitèr damnent, tāquam temerariam, & errori proximam, quod etiam insinuat D.Thom. hic Art. 1. dicens, fidem catholicam ponere processionem in diuinis per emanationem intelligibilem, vt potè Verbi intelligibilis. A dicente.

Et probatur primò: quia Filius in sententia sæpè vocatur Verbum sapiētia patris, & dicitur procedere ex ore Altissimi, vt patet Ioan. 1. primæ Ioan. 5. Apocal. 19. sapientiæ 7. & Ecclesiast. 1. & 24. nomine autem Oris in natura intellectuali, non potest intelligi nisi intellectus, & non diceretur Verbum, nisi oriretur ex intellectione Dei, vt docent Aug. 5. de Trinitate Cap. 6. 13. & 14. & lib. 15. Art. Cap. 10. vsq; ad 17. & tract. 1. in Ioan. & lib. de Cognitione veræ vitæ Cap. 14. 16., & 19. Cyril. lib. 1. in Ioan. Cap. 5. Basilius in principium Ioan. Hiero. Epist. 140. Rufinus in expositione Symboli Hyteneus lib. 2. Cap. 48. Theodoretus lib. 2. ad Græcos, & Ansel. in Monolog. Cap. 45. & infra, & alij.

Similitèr. Ideò Spiritus Sanctus vocatur Amor: quia procedit per voluntatem, ita Greg. Hom. 30. in Euang. Aug. lib. 9. de Trinitate Cap. 12. & lib. 15. Cap. 17. Concil. Tolet. XI. & Bracarense in Confessione fidei Ansel. Monolog. Cap. 50. & Ricardus de Sancto Victore lib. 6. de Trinitate Cap. 10. & 14.

Respondet Duran. Filium, & Spiritum Sanctum, vocari istis nominibus per appropriationem: quia sicut Processio Verbi est prior processione amoris, itá Processio Filij est prior processione Spiritus Sācti.

Sed contra hoc est. Primò: quia D.Thom. infra Quæst. 34. Art. 1. ad 1. docet esse hæresim Arij sentire, quod Filius non sit propriè Verbum, de quo diximus Art. 2. dub. 2.

Secundò: quia aliàs ex modo procedendi per intellectum, vel voluntatem non magis Filio communicaretur sapientia, vel ratio imaginis, quam Spiritui Sancto, cum vterq; eodem modo procedat. Consequens est contra scripturas ad Hæb. 1. & Ecclesiast. 24. & in alijs locis vocantem Filium, sapientiam, Verbum, vel imaginem, quibus

vocibus non nominant Spiritum Sanctum, Ergò.

Tertiò: quia aliàs non magis processio Verbi esset generatio, quam processio Spiritus Sancti, aut quare esset prior illa, & supponatur ad eam, & quare processio Spiritus Sancti sit à duobus, & non processio Filij: Nam, si vtraq; immediatè est à natura, vt est natura, & ex necessitate naturæ, vtraq; tendet ad eumdem terminum formalitèr, vt ostēdunt D. Thom. & Cai. infra Quæst. 41. Art. 6. & per consequens habebunt eamdem rationem.

Quartò. Istæ processiones debent esse secundum actiones immanentes, & vitales proprias naturæ intellectuali, vt sic, Sed istæ tantum sunt intelligere, & velle cum non habeant aliam potentiam elicitiuam actuum immanentium, nisi intellectum, & voluntatem, Ergò Mai. probatur duplicitèr. Primò: quia supræmo enti, qualis est Deus, solum est tribuenda communicatio per supræmas actiones, quales sunt immanentes, & vitales. Secundò: quia teste D. Thom. hic Art. 1. ad 2. per actiones transeuntes non communicatur eadem numero natura: quia terminus illarum producitur extrà ipsum suppositum producens, & per consequens habebit naturam distinctam. In diuinis autem communicatur eadem numero natura, Ergò.

Dico vltimò. Istæ actiones, intellectus, & voluntatis, sunt, & productiones diuinarum personarum, & principia, quibus producuntur.

Prima pars huius Conclusionis negatur à Suarez lib. 1. de Trinitate Cap. 8. Sed asseritur à Torres hic, & docuit eam D. Thom. in locis citatis Art. 1. dub. 2. Conclusio 2. Et probatur. In Deo ponimus potentiam ad actus notionales, vt patebit infra Quæst. 41. Art. 4. Sed teste D. Thom. ibidem ad 3. Potentia operatiua in Deo, est respectu earum operationum, per quas procedit aliquid à Deo, Ergò actus notionales Dei, qui sunt istæ processiones respectu quarum ponitur potentia, sunt ipsæ productiones.

Secundò actus est perfectior, & actualior, quàm eius principium, & potentia, quæ ordinatur ad illum, vt ad finem, Ergò In diuinis virtualitèr est imperfectior productio personæ, quàm principium productiuum illius, Sed processioni diuinæ tribuenda est summa perfectio, Ergò tribuenda est illi perfectio actualis productionis.

Secunda pars asseritur ab Henrico Quodlib. 6. Quæst. 1. Et probatur: Nam quia intellectio diuina est infinitè perfecta habet perfectionem omnium concurrentium ad intellectionem, vt intellectus speciei

&c. Ergò productio Verbi, quæ etiam est infinita perfectio intellectionis præhabens omnia, quæ concurrunt ad illam, habebit etiam rationem principij productiui illius, & solum in modo significandi differret ab eo, sicut de intellectu, & intellectione diuina docet D. Tho. infra Quæst. 41. Art. 4. ad 3.

Secundò: quia teste D. Tho. supra Quæst. 25. Art. 1. ad 2. Actus est perfectior, quàm potentia, vbi distinguitur ab illa, Sed Processio diuina non est perfectior principio productiuo alicuius personæ, Cum vtrumque habeat perfectionem simplicitèr infinitam, Ergò actualis productio habet etiam rationem principij productiui.

Tertiò Deus non priùs est in potentia generans, vel spirans, quàm actu generet, vel spiret: quia omnis potentia procul est ab eo, Ergò actualis generatio, vel spiratio habet etiam rationem potentiæ. Probo Consequentiam: quia vbi actus, & potentia non sunt omninò idē, priùs natura est aliquid in potentia, quàm in actu Ratio est D. Tho. in primo dist. 7. Quæst. 1. Art. 1. ad 1.

Ad primum, Ergò nego Mai. Ad probationem nego Antecedens: Nàm in secunda Conclusione explicuimus quomodò Paternitas immediatè coniungatur essentiæ per se ipsam sine media actione.

Ad confirmationem nego Antecedens. Ad primam probationem distinguo Antecedens. Est notionalis sicut actio, vel productio nego Antecedens, sicut terminatio naturæ. Concedo Antecedens: Nàm talis terminatio naturæ ad propriam personam, hoc est, ad certam personam: quia debet fieri per relationem, quæ est notionalis, etiam ingreditur ordinem notionalium non sicut actio, Sed sicut terminatio.

Ad secundā probationem. Concedo Consequentiam, quod est notionalis sicut terminatio non sicut productio.

Ad secundum Arg. nego Antecedens. Ad probationem diximus Art. 4. quod: quia intelligere Dei est ipsa essentia Dei, & procedenti per intelligere per se primò cōmunicatur ipsum intelligere Dei, quod est eius natura, ideò Sancti dicunt productionem Filij esse à natura, Vide D. Th. infra Quæst. 30. Art. 2. ad secundū, & de Potentia Quæst. 10. Art. 2. ad 4. & 11.

Ad 3. Respondeo duplicitèr. Primo nego Consequentiam: quia intellectio est natura Dei, & non est natura Creaturarum, & ideò in Deo idem est esse fæcundum immediatè per suam naturam, & per suā intellectionem, vel intellectum: non verò in creaturis.

Secundò Respondeo differentiam esse: quia, licèt quælibet natura

sit

ſit radicalitèr fæcunda per ſe ipſam: proximè tamèn eſt fæcunda per potentias ſibi proportionatas, v. g. homo: quia eſt materialis, cuius generatio eſt materialis debet eſſe fæcundus per potentiam materialem, & non intellectum: Deus verò eſt omninò immaterialis, & idem formalitèr cum ſuo intellectu, & intellectione, & ideò licèt immediatè ſit fæcundus per ſuam naturam, erit immediatè fæcundus per intellectum, vt habet rationem potentiæ, & per intellectionem, vt habet rationem actualis generationis.

Ad confirmationem nego Antecedens: Nàm potentia generatiua hominis realitèr diſtinguitur ab illo, & tamèn Homo eſt proximè fæcundus per illam. Ratio, Ergò quare homo non eſt fecundus per intellectum eſt: Quia intellectus, cum ſit immaterialis, non eſt proportionatus materiali naturæ propagandæ per actionem tranſeuntē, cuius terminus maneat extra generantem: Intellectus verò Dei: quia eſt potentia intellectualis, (qualis eſt natura Dei) poterit eſſe fæcunda, & proportionata ad communicandam eamdem naturam alterà perſonæ manenti intrà ipſam producentem, & ità non eſt eadem ratio.

Ad quartũ, nego Min. Nàm intellectus Dei: quia eſt eius eſſentia, non realitèr procedit, & vt proceſſio per intellectum ſit opus naturæ, ſatis eſt non ſupponere aliam proceſſionē realem, licèt ſupponat proceſſionem ſecundum rationem ſicut attributa eſſentialia, quæ ſunt priora generatione Filij, intelliguntur ſecundùm rationem procedere ab eſſentia. Imò generatio naturalis hominis, ſupponit realem proceſſionem potentiæ generatiuè ab ipſa natura, à qua procedit realitèr diſtincta, generatio, Ergò dicitur opus naturæ: quia non ſupponit proceſſionem alterius termini participantis naturam, & realitèr diſtincti à producente, & ità proceſſio Verbi per intellectum, eſt opus naturæ: quia non ſupponit proceſſionem alterius termini realitèr diſtincti, & participantis naturam.

Ad quintũ. Nego Antecedens pro vtraquè parte. Ad primam probationem pro prima parte Art. 1. diximus iſtas proceſſiones dicere actus intellectus, & voluntatis non abſolutè ſumptos, Sed cum quodam modo productiuo perſonarum ratione cuiuſmodi non ſunt communes omnibus perſonis, ſicut ſunt communes idem actus ſine tali modo.

Ad ſecundam probationem diſtin. Antecedens Productiones Filij, & Spiritus Sancti paſſiuę diſtinguuntur realitèr ſicut termini, tranſeat Antecedens, actiuè ſumptæ. Nego Antecedens: Nàm ſimul ſunt in

Patre, in quo nulla est realis distinctio, & ideò possunt esse idem; quod intelligere, & velle, vel dicatur, quod etiam Filius, & Spiritus Sanctus, qui distinguuntur realitèr intèr se, realitèr, & formalitèr identificantur cum essentia, quæ non distinguitur realitèr in illis, & ità potest esse in proposito.

Ad probationem pro secunda parte Antecedentis Respondeo, Aristot. loqui de actibus finitis, qui proptèr suam limitatam perfectionem, non habent etiam rationem potentiæ, quàm habent isti actus diuini, proptèr suam infinitatem, vt dictum est. Quomodò verò intelligatur Aristot. diximus Articulo primò dubit. secunda ad tertium.



QVÆ-

QVÆSTIO XXVIII.

DE RELATIONIBVS DIVINIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

An in Deo sint aliquæ relationes reales.

Conclusio est.

Quædam relationes sunt realitèr in diuinis.

DVBITATVR.

An Conclusio, & Doctrina huius Articuli sit vera.



IDETVR, quod non. Primò: Quia nihil est in Deo, quod secundum suam propriam rationem abstrâhat ab ente reali, & rationis, Sed relatio abstrahit secundum propriam rationem, Ergò. Mai. patet: quia quicquid est in Deo, secundum propriam rationem, est Deus, & ità erit ens reale. Min. verò probatur duplicitèr. Primò Testimonijs D. Tho. Nàm hic ait, quod propria ratio relationis aliquandò inuenitur secundum rationem, & non secundum rem, & in solutione ad primũ

Boecium negantem relationem prædicari de Deo explicat, quod non prædicatur de illo, vt dicit Ad: quia, vt ſic, non dicit formam, & perfectionem ſubiecti, & Art. 2. ponit differenriam inter Prædicamentum relationis, & cætera Prædicamenta, quod ratio cæterorum ſumitur in ordine ad ſubiectum, ratio verò relationis in ordine ad terminum. Ex quibus colligit relationem, vt dicit Ad. nihil reale ponere in ſubiecto, & eodem modo loquitur de Ad. relationum diuinarum. Similitèr idem D. Tho. de Potentia Quæſt. 2. Art. 5. & Quæſt. 8. Art. 2. ad 5. & in 1. diſt. 20. Quæſt. 1. A. 1. ad 3. & diſt. 26. Q. 2. Art. 2. ad 3. ait relationem ſecundum ſuam propriam rationem, vt dicit Ad. non dicere aliquid reale, Ergò.

Secundò probatur ratione. Eadem Min. Relationi, vt dicit Ad. & ſecundum propriam rationem relationis, non debetur aliquis modus realis eſſendi, Ergò non eſt ens reale. Conſequentia patet: quia omni enti reali debetur aliquis modus realis eſſendi. Antecedens verò probatur: quia illi, vt ſic, non debetur modus eſſendi per ſe: quia, vt ſic, non eſt ſubſtantia, nec modus eſſendi, in alio: quia, vt ſic, non reſpicit ſubiectum, cui inſit, ſed terminum, ad quem referat, Ergò.

Secundò Arguitur. Relatio diuina, vt ſic, vt ſecundum rationem relationis diſtinguitur ratione ab eſſentia non importat aliquam realitatem, Ergò, vt ſic, non eſt realis: Antecedens patet: Relatio realis creata non importat realitatem, vt dicit Ad. quia Ad. eſt commune relationi reali, & rationis, ſed ſolum importat realitatem, vt dicit In. Ergò ſimilitèr. relatio diuina, licèt vt includit eſſentiã diuinam, dicat realitatem, tamèn ſi præcisè conſideretur, vt dicit Ad. non importabit aliquam realitatem. Conſequentiam verò probo: quia vt importaret realitatẽ quatenus ratione diſtinguitur ab eſſentia, oporteret, quod ſecundum rationem Ad. ſecundum quàm diſtinguitur ratione ab eſſentia diceret realitatem, quàm tamèn, vt ſic non dicit, vt patet ex teſtimonijs citatis D. Tho. & quia Ad. vt ſic, eſt commune relationi reali, & rationis &c.

Tertiò Arguitur. Relatio, qua Pater cõſtituitur in eſſe primæ perſonæ Trinitatis eſt relatio rationis, & tamèn Pater realitèr eſt prima perſona, Ergò ſimilitèr, licèt Pater, & Filius ſint tales realitèr, Paternitas, & Filiatio poſſunt eſſe relationes rationis. Min. eſt certa, alias Pater ſolum ſecundum intellectum eſſet prima Perſona, & principium cæterarum, hoc enim conuenit illi, vt eſt, conſtitutus in ratione primæ perſonæ. Mai. verò admittitur ab aliquibus Theologis dicentibus illum conſtitui in ratione primæ Perſonæ, per rationem potentis generare,

nerare, quæ est relatio rationis: quia aliàs in diuinis essent plures relationes, quàm quatuor, de quo vide, quæ dicemus infra Quæst. 40. Art.2.dub.1.sententia 5.& conclusione 3.

Quartò, Deus est realitèr Dominus creaturarum, & personæ diuinæ realitèr sunt æquales in potentia, & magnitudine, & Christus realitèr est Virginis Filius, & tamèn omnes istæ relationes sunt relationes rationis, Ergò, quod Pater, & Filius sint realitèr tales; non infert relationes eorum esse reales, vt infert D.Th.in Argumento Sed contra, Min. & relatione Dominij patet suprà Quæst.13. Art. 7. De relatione verò æqualitatis patet infrà Quæst.42. Art.1.ad 3. De Relatione verò Filiationis patet 3.p. Quæst.35. Art. 5.

Sed contrà est auctoritas D. Thomæ.

IN hoc dubio sunt quatuor sententiæ. Prima est Sabelij dicentis relationes diuinas esse rationis: quia non sunt intèr extrema realitèr distincta. Sētiebat enim eamdem Personam esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & sortiri istà diuersa nomina secundum diuersas operationes.

Secunda est. Arij qui assentiebat Patrem esse Deum: Filium verò, & Spiritum Sanctum esse creaturas, & Dei ad Creaturas, nō est relatio realis: quia non sunt eiusdem ordinis Consequentèr tenebatur dicere, relationem Patris, esse relationem rationis, & similitèr relationem spiratoris, vt dicitur de Patre.

Tertia est. Personam Patris constitui in ratione primæ Personæ per relationem rationis, quàm dicit innascibilitas, vel principiū potens generare, ità Gabr. Vazq. infrà dist.159.Cap.7.

Quarta est. Relationem diuinam esse quidèm realem secundum totam suam entitatem, & rationem, vt includitur in essentia diuina. Cæterum eamdem relationem, vt præcisè dicit Ad. non esse realem, Sed abstrahere à reali, & rationis. Hæc sententia tribuitur Capræolo in primo dist.33.Quæst. 1.ad 1.& 3.

Sed pro explicatione.

DIco primò. Relationes, quibus constituuntur Personæ diuinæ scilicèt Paternitas, Filiatio, & Spiratio sunt relationes reales.

Hæc Conclusio, teste D.Thom.de Potentia Quæst. 8. Art. 1. est de fide; quia licèt non habeatur expresse in Scriptura, vel Concilijs: in

finuatur

finuatur tamen ab illis in his, quæ dicunt de diuinis relationibus. Etenim in Conc. Lateran. (& habetur in Cap. Firmitèr,) & in Toletano II. in professione fidei, & in Floren. Sessione 18. diffinitur diuinas personas realitèr distingui, & multiplicari per relationes, sed non possent per illas realitèr distingui, & multiplicari: nisi essent reales: quia relationes rationis possunt inesse eidem, & non distinguunt realitèr sua subiecta, Ergò.

Secundò probatur ratione Art. Istæ relationes sunt inter extrema realitèr distincta, & eiusdem ordinis, idèst quæ habeant eamdem rationem referibilitatis: quia omnes habent eamdem naturam, Sed hoc sufficit ad relationem realem, Ergò. Videndus est Caiet. supra Quæst. 4. Art. 3. & Quæst. 13. Art. 7. vbi explicat, quomodo ad relationem realem mutuam oporteat extrema esse eiusdem ordinis.

Dico secundò: Relationes diuinæ non tantum, vt dicunt In, Sed etiam, vt dicunt Ad. & vt ratione illius distinguuntur virtualitèr ab essentia, sunt reales.

Aliqui censent Caiet. hic contrarium docere, Sed falluntur: Nam ipse Caiet. expresse infra Quæst. 40. Art. 4. docet relationes diuinas formalitèr, vt dicunt Ad. & vt ratione, vel virtualitèr distinguuntur ab essentia, esse reales, & hoc est adeò certùm, vt ab aliquibus censeatur esse de fide, Ita sentit Val. lib. 2. de Trin. Cap. 12. ad 3. & probatur Paternitas, vt dicit Ad. præcisè est proprietas Patris, & relatio, Sed, vt sic, est realis, Ergò. Mai. patet: quia, vt includit In. est absoluta, & communis, vt dicetur A. sequenti dub. 3. Ergò solum, vt dicit Ad. est propria Patri, & per consequens relatio. Min. verò probatur, quia, vt dicit Ad. & est relatio constituit personam realem Patris, vt patebit infra Quæst. 40. Art. 2. dub. 2. implicat autem, quod constituat personam realem, vt sic, nisi id, quod est ens reale.

Secundo Conclusione 1. diximus esse de fide in Deo esse relationes reales, Ergò etiam debet esse certum ad earum esse reale. Probo Consequentiam: quia sicut relatio constituitur in esse relationis per Ad. ita constituitur in esse relationis realis per Ad. reale.

Tertiò. Nàm oppositio, & distinctio diuinarum personarum, est realis, Sed illa essentialitèr consistit in Ad. relationum diuinarum, vt ratione distinguuntur ab essentia, Ergò ad earum, vt sic, est reale aliàs non distingueret eas realitèr.

Confirmatur. Ad Patris ad Filium, vt sic est habitudo Patris ad Filium, Sed ista est essentialitèr realis absq; omni operatione intellectus

Ergò Min.probatur dupliciter. Primò ex ratione Ar. quia habet omnes conditiones, quæ in Ar. exiguntur ad relationem realem, ſcilicet eſſe inter extrema realia realitèr diſtincta eiuſdem ordinis &c. Secundò: quia aliàs, quod pertinet ad veritatem, & eſſentiam myſterij Trinitatis, non eſſet in ratione, Sed per operationem intellectus, & relatio diuina, vt ſic non identificaretur cum eſſentia diuina, neq; eſſet Deus: quia, quod non eſt ens reale de ſe, neq; eſt Deus, neq; idem cum eſſentia diuina. Conſequens autem eſſe falſum demonſtrabitur A. ſequenti dubiò 1. Ergò.

Dico tertiò. Relationes reales creatæ, vt dicunt Ad, ſibi proprium ſunt entia realia, & dicunt aliquid reale.

COntrarium huius docet Caietanus hic, ſentiens Ad. relationum realium creaturarũ non eſſe reale, Sed aliquid cõmune relationi reali, & rationis abſtrahens ab vtroq;, Pro cuius declaratione ſupponit, quod relatio realis creata: quia eſt accidens inhærens ſubiecto, habet ſuum In. ideſt inhærentiam, inqua conuenit cum cæteris accidentibus: quia tamen inhæret ſubiecto, vt ratio, per quam illud ordinatur, & refertur ad correlatiuum, habet propriam rationem diſtinctam à cæteris prædicamentis ſcilicet Ad aliud ſe habere, quod ſimplici termino vocatur Ad. Quo ſuppoſito inquit, quod licèt In .i. exiſtentia relationis realis, ſit realis: tamèn Ad illius, vt ſic non eſt realis, nec rationis, Sed abſtrahens ab vtroq;. Idem ſentiunt Capræol. vbi ſupra, & Torres hic.

Sed noſtram Concluſionem docent Gab. in 1. diſt. 27. Quæſt. 3. Silueſt. hic Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 14. in fine, & Cæteri Thomiſtæ communitèr.

Et probatur. Ad Talium relationum, intrinſecè includit, & determinat In accidentis realis, Ergò, vt ſic, non abſtrahit ab ente reali, & rationis. Probo Conſequentiam: quia ratio intrinſecè includens, & determinans rationem realem ſuperiorem, non abſtrahit à ratione reali, & rationis.

Secundò Modus intrinſecè conſtituens prædicamentum reale, & eſſentialitèr complens illud, debet eſſe realis, Sed Ad. ex natura rei intrinſecè cõſtituit, & eſſentialitèr complet Prædicamentũ reale Ad aliquid, Ergò eſt reale, & non abſtrahens: Mai. patet: quia aliàs daret perfectionem realem, quam non habet, & res realis conſtitueretur per ens rationis, tamquam per formale, & principale conſtitutiuum, quod

quod implicat. Min. verò probatur: Nam prædicamento ad aliquid, vt eſt reale diſtinctum à cæteris, conſtituitur in ſuo eſſe per Ad, ex natura rei, Sed de hoc latius Methaphyſici.

Dico quartò. D. Thom. hic, quandò ait; Ea, quæ dicuntur Ad aliquid ſecundum propriam rationem, ſignificant reſpectum, ſolum loquitur de relationibus ſecundum eſſe, & veluti prædicamentalibus, non verò loquitur etiam de tranſcendentalibus.

Contrarium huius ſenſit Suarez in meth. diſp. 47. ſect. 3. num. 11. vbi exiſtimauit D. Thom. hic loquitur communiter de relatione, etiam vt comprehendit tranſcendentalem: quia affert exemplum de inclinatione grauis ad centrum, quæ eſt habitndo tranſcendentalis, & non prædicamentalis.

Sed noſtra Concluſio patet. Primò: quia D. Thom. loquitur de his, quæ dicũtur Ad aliquid, & diſtingũtur à Quantitate, & Qualitate, vt eſt videre in tex. D. Thom. Sed relationes tranſcendentales non diſtinguuntur à Quantitate, & Qualitate: quia iſta prædicamēta eſſentialitèr dicunt ſecundum proprias rationes tranſcendentalem habitudinem ad ſubiectum, & obiectum, &c. Ergò.

Secundò D. Thom. vt patet ex eius littera, loquitur de illis relationibus, quarum propria ratio non ſolum inuenitur in re, Sed etiam per ordinem ad intellectum, ſed (vt ſtatim patebit) hoc non poteſt conuenire Quantitati, ſcientiæ, virtuti &c. quæ ſunt relationes tranſcendentales, Ergò.

Tertiò: quia D. Thom. loquitur de illis relationibus, quarum propria ratio ſumitur in ordine ad correlatiuum, & non ad ſubiectum, vt patet ex eius littera, ſed propria ratio iſtarum relationum tranſcendentalium, vt Quãtitatis, Sanitatis Figuræ &c. non ſumitur in ordine ad correlatiuum, ſed in ordine ad ſubiectum, Ergò.

Neque exemplum D. Tho. aliquid obſtat: non enim loquitur de habitudine tranſcendentali, quàm dicit graue, ſed de Prædicamentali, quàm fundat.

Ad primum Ergò. Ferrar. vbi ſupra, ait propriam rationem prædicamenti Ad aliquid ſuum duplicetur, Vno modo vocatur propria: quia conuenit illi ſoli, alio modo: quia dicit vltimum formale, & cõpletum conſtitutiuum illius, & ſubdit D. Tho. hic dicentem propriam

rationem

rationem relationis, & prædicamenti Ad aliquid aliquandò inueniri ſecundum rem, aliquandò ſecundum rationem, loqui non de ratione propria ſecundo modo: illa enim ſemper eſt realis, & non inuenitur in relationibus rationis, ſed loqui de ratione illius primo modo, quæ ſcilicèt conuenit illi ſoli, & analogicè reperitur etiam in relatione rationis; Nàm, vt idem D.Tho. ait hic, & Articulo ſequenti hoc eſt proprium prædicamenti ad aliquid, quod verò eius propria primo modo ideſt, quæ illi ſoli intèr cętera prędicamenta conuenit, ſecundum veram, & propriam rationem analogam tamèn reperiatur etiam in relatione rationis, non enim minus propriè, & verè in ſuo genere ſpecies refertur ad genus, quàm Pater ad Filium: ſpecialis verò, & propria ratio cæterorum Prædicamentorum: quia ſumitur in ordine ad ſubiectum, non verè reperitur in entibus rationis, v.g. Ratio eſſendi per ſe, menſurandi ſubſtantiam, diſponendi benè humores in ordine ad naturam Hominis, non reperitur propriè, nequè etiam analogicè in aliqua ſubſtantia, quantitate, vel ſanitate rationis. Etenim Chymera, v.g. licèt concipiatur, vt ſubſtantia non ratione, & propriè exiſtit per ſe, & ſic de alijs: relatio verò rationis verè, & propriè refertur ad correlatiuum. Ratio huius eſt: quia Ad. (vt commune, & abſtractum ſolum) dicit operationem, & ordinationem vnius ad alterum, & non dicit extenſionem, aut bonam, vel malam affectionem ſubiecti &c. eſt autem proprium, intellectus comparare, ordinare, & refere vnum ad alterum: non verò extendere, aut calificare ſubiectum, & ideò per intellectum poteſt eſſe vera ratio relationis ſecundum communem rationem Ad. non verò vera ratio Quantitatis, aut cęterorum Prædicamentorum.

His ſuppoſitis. Ad primum. Nego Min. Ad probationem Reſpondeo D.Th. ills in locis loqui de ratione relationis propria illi primo modo, ideſt illi ſoli conueniente: non verò de ratione illius propria ſecundo modo, id eſt completè conſtitutiua illius, & ideò poteſt eſſe in Deo: quia, licèt in eo ſecundum ſuam completam, & conſtitutiuam rationem nihil ſit, quod non ſit ens reale, poteſt tamèn in eo eſſe aliqua ratio, quæ, ſi conſideretur ſecundum conceptum ſuperiorem analogum, & non plenè cōſtitutiuum illiùs, abſtrahat ab ente reali, & rationis: Nàm ſi eius eſſentia conſideretur ſecundum conceptum multum confuſum, & imperfectum, quę dicit ratio entis, vt cōmunis enti reali, & rationis abſtrahit ab vtroque.

Ad ſecundũ probationem eiuſdem Min. nego. Antecedens relatio-


ni enim creatæ reali, vt ſic, debetur realis inhærentia. Ad probationem verò contra hoc nego Antecedens: Nam relatio ſecundum ſuam rationem eſt ratio, per quam ſubiectum refertur ad Terminum, & ideò habet eſſentialitèr inhærentiam inbibitam in ſubiecto eo modo, quo omnis forma reſpicit actu, vel aptitudine ſubiectum, cuius eſt forma.

Ad ſecundum Arg. nego Antecedens. Ad probationem nego Antecedens: Nàm licèt relatio creata habeat radicalitèr à fundamento ſuam realitatem, tamē formalitèr habet realitatem formalitèr diſtinctam à realitate fundamenti quatenùs dicit Ad. ex natura rei conſtitutiuum prædicamenti Ad aliquid, Neque eſt verū, quod, vt ſic, dicat conceptum vniuocum relationi reali, & rationis tantum enim dicit conceptum analogum, cuius vnum membrum diuidens, poteſt eſſe reale, alterum rationis.

Ad tertiū. Nego Min. nequè enim illa ſententia poteſt admitti, vt contra Vazq. oſtendemus Quæſt.40. Art.2. dub.1.

Ad quartum. Nego Conſequentiam. Differentia eſt: quia, licèt illæ relationes ſint rationis, ſupponunt tamèn fundamenta realia ex natura ſua ſufficientia ad illas denominationes realitèr habendas. Relationes verò diuinæ ſunt ſubſtantiales, & ferunt ſecum ſua ſuppoſita, & non omnes ſupponunt fundamentum, ratione cuius, perſonis conſtitutis poſſint competere tales denominationes, vt Quæſt.40. Art.2. dicemus de Paternitate, Aliæ verò, licèt ſupponant fundamentum reale, ſcilicèt paſſiuas origines: tamèn illæ, vt dicitur Quæſt.41. Art. 1. includunt, vel ſunt ipſę relationes reales talium perſonarum procedentium, & ideò non poſſunt ipſę perſonæ ſubire tales denominationes reales relatiuas, niſi ponamus in eis ipſas relationes reales.

Cętera quæ pertinent ad iſtum Articulum. Vide in Caiet.



ARTI-

ARTICVLVS II.

An relatio in Deo sit idem, quod sua essentia.

Conclusio Prima.

Relatio existens in Deo est idem essentiæ secundum rem, & non differt ab ea nisi ratione.


Secunda, Esse relationis, & esse essentiæ in Deo est omninò vnum, & idem.

Tertia ad tertium. Si in diuina perfectione nihil ampliùs contineretur, quàm, quod significat nomen relatiuum esse eius esset imperfectum.

Circa Primam Conclusionem.

DVBITATVR PRIMO.

An diuinæ relationes, ità formalitèr identificentur essentiæ, quod nullo modo ex natura rei distinguantur ab illa secundum propriam rationem relationis, sed tantum differant ratione.



VIDETVR quod non. Primò: Quia SS. Patres indicant maiorem distinctionem inter eas. Etenim Damasc. lib. 1. de fide Cap. 9. 11. & 13. intèr essentiam, & relationes diuinas, ponit eam distinctionem, quæ reperitur intèr modum rei, & ipsam rem. Hæc autem non est sola distinctio rationis, vt patet, nam magis, quàm ratione distinguuntur humanitas Petri, & eius personalitas, quæ est modus illius, Ergò.

Confirmatur. Nam Aug. 7. de Trin. Cap. 2. docet Verbum diuinum magis differe à sapientia Dei, quam sapientia Dei differat ab

eius essentia, sed sapientia, & essentia Dei differunt ratione, & virtualitèr, Ergò magis differunt relatio Verbi, & sapientia Dei, & Cap. 4. ibidem subdit August. Patrem non esse Patrem ea ratione, qua est Deus, & Anselmus lib. de Incarnatione Cap. 2. ait aliud esse Patrem, & aliud esse Deum, quæ Verba indicant maiorem distinctionem, quã rationis: Nam sapientia, & essentia Dei, distinguuntur ratione, & tamèn Sancti Patres non docent alio modo esse Deum, & alia ratione sapientem.

Secundò Arguitur Implicat eidem rei secundum eamdem rationem formalem, conuenire contradictoria, sed essentiæ, & relationi ante omnem actum intellectus conueniunt contradictoria, Ergò ante omnem actum intellectus, non habent eamdem rationem formalem, sed distinctam. Consequentia patet. Quia aliàs contradictoria possent simul verificari de eadem simplici ratione formali. Mai. verò supponitur, vt primum principium: Probatur verò Min. Nam de Filio dicimus, quod est genitus incommunicabilis, realitèr distinctus à Patre, & per se incarnatus, & tamèn de essentia dicimus, quod non est genita, nec incommunicabilis, nequè distincta à Patre, nequè per se Incarnata, Ergò. Item ratio Filiationis, est esse ad Patrem, & illi opponi relatiuè ratio verò essentiæ non est esse ad Patrem, nequè opponi illi relatiuè, sed esse ad se, & nulli opponi, Ergò.

Confirmatur Triplicitèr Primò essentia diuina non est realitèr adequatè idem cum Patre: quia realitèr identificatur cum Filio, à quo realitèr distinguitur Pater, Ergò differunt aliquo modo reali.

Secundò Probatur differt realitèr à Filio, & non realitate essentiæ: quia aliàs essent plures essentiæ, quod est hæreticum, Ergò differunt alia realitate, sed illa non est nisi realitas Paternitatis, & Filiationis, Ergò Paternitas, & Filiatio dicunt aliam realitatem à realitate essentiæ, & ità different aliquo modo reali.

Tertiò Paternitas secundum se totam, est relatiua, & non absoluta, Ergò non est idem formalitèr, quod essentia absoluta. Antecedens patet: quia Ad Paternitatis, vt sic, totum suum esse habet ad Filium. Consequentia verò probatur: quia id, quod secundum se totum est relatiuum non est omnibus modis idem cum absoluto.

Tertiò principalitèr Arguitur. Pater realitèr communicat Filio suam essentiam, & non communicat Paternitatem, Ergò Paternitas, & essentia non sunt idem formalitèr. Antecedens diffinitur in Concil. Floren. in litteris Sanctæ vnionis in professione fidei, & probatur Consequentia: quia non arguit minorẽ distinctionem communicari essentiam,

tiam, vt est aptæ rei, & non paternitatem, quam videre essentiam, vt est aptæ rei, & non videre Paternitatem, Sed vt disputatur 1.2. Quæst. 3. Art. 8. in doctrina D. Thom. si essent idem formalitèr, implicaret videre essentiam inuisis relationibus, Ergò similitèr, si essent idem formalitèr essentia, & relatio, implicaret realitèr communicari essentiam, & non relationem, & per consequens, cum hoc non implicet, non erunt idem formalitèr.

Confirmatur triplicitèr. Primò Paternitas magis distinguitur ab essentia, quam essentia à se, Sed essentia distinguitur ratione à se, Ergò magis, quam ratione distinguitur à Paternitate Mai. patet: quia propter maiorem distinctionē verificantur de illis cōtradictoria, quę retulimus Argumento Secundò: quæ tamen non verificantur de ipsa essentia, vt ratione à se distincta propter minorem distinctionem.

Secundò, Relatio, & essentia habent diffinitiones reales adæquatas distinctas ex natura rei, Ergò differunt ex natura rei. Consequentia patet, & probatur Antecedens: quia essentia in sua diffinitione includit omnes relationes, & processiones, vt dicetur dubio seq.; Illas tamē non includit actu relatio, vt Paternitas non includit in sua essentia intrinsicè filiationem, aut processionem.

Tertiò Paternitas non est conuertibilitèr idem cum essentia, Ergò non sunt idem realitèr. Consequentia patet: quia res omninò simplicissima secum est conuertibilis, quæ verò non est secum conuertibilis, non est simplicissima omninò, aliàs esset maior se, & excedens se.

Quartò Arguitur Pater intelligit suam essentiam, & Paternitatem, vt duo obiecta formalitèr distincta, Ergò aptæ rei distinguuntur formalitèr. Consequentia patet: quia notitia intuitiua Dei terminatur ad rem, vt est aptæ rei ante omnem operationem intellectus maximè si sit mere speculatiua, & non factiua sui obiecti; qualis est prædicta notitia Patris, Ergò si de facto intuitiuè cognoscit illa, vt formalitèr distincta aptæ rei ante omnem operationem intellectus distinguētur formalitèr. Antecedens verò patet; Quia cognoscit Paternitati, & essentiæ conuenire conditiones oppositas, quę non possunt conuenire eis, quæ distinguuntur sola ratione, vt Deo, & deitati.

Quinto essentia non includit in sua diffinitione relationes, neq; relationes essentiam, Ergò non sunt idem formalitèr. Consequentia patet: quia, quæ sunt formalitèr idem mutuò se includunt in sua diffinitione. Antecedens verò pro prima parte patet: quia aliàs essentia diuina, vt sic, in sua ratione formali diceret oppositionem relati-

uam, & reſpiceret terminum, quod tamen eſt falſum, cum ſit abſoluta. Pro ſecunda etiam parte probatur: quia aliàs relationes in ſua ratione formali, includerent communicabilitatem eſſentiæ, & omnes alias relationes oppoſitas, quas includit eſſentia, Ergò.

Sed contra eſt prima Concluſio Articuli.

In hoc dubio ſunt ſex ſententiæ.

PRima eſt. Perſonas diuinas realitèr diſtingui ab eſſentia diuina communi tribus perſonis: quia non datur talis eſſentia communis, ſed quælibet perſona habet ſuam eſſentiam diſtinctam, vel: quia non ſingulæ perſonæ erant Deus, & illa eſſentia communis, ſed ex tribus perſonis integrabatur vnus Deus perfectus, à quo realitèr diſtinguebantur ſingulæ perſonæ. Ita quidam Clericus Franciæ, quem refert D. Anſel. lib. de Incarnatione Verbi Cap. 1. & 3. qui vixit ſub Vrbano tempore Anſelmi, qui floruit anno 1080.

Secunda eſt. Relationes realitèr diſtingui ab eſſentia: quia licèt ab æterno aſſiſtant Deo, & conueniant illi tamquam rationes, quibus ad inuicem referuntur Perſonę, tamen non ſunt ipſe Deus, ita Gilbert. Porreta, qui vixit ſub Eugenio Tempore Bernardi, qui floruit Anno 1153. Scio Gab. Vazq. hic diſp. 120. Cap. 1. & 2. ſentire Gilbertum tantũ poſuiſſe diſtinctionẽ formalem inter relationes, & eſſentias, Sed veritas eſt, illum poſuiſſe diſtinctionem realem tamquam intèr duas res. Ita D. Thom. hic, & Quæſt. 39. Art. 6. Bonau. in 1. diſt. 23. Art. 1. Menſis 1. p. Quæſt. 68. mem. 5. Art. 6. §. 3. & Henric. quodlib. 5. Quęſt. 7. & id colligitur. Primò ex Concilio Rhemenſi, vbi vna ex propoſitionibus Gilberti, quæ damnatur, eſt quod tres proprietates à diuina ſubſtantia differũt numero Differentia verò numerica eſt realis, & in Canone 3. diffinit Concilium, nihil eſſe in Deo ab æterno, quòd non ſit Deus, quibus Verbis inſinuatur, illum ſentire relationes diuinas, de quibus loquitur Cõcilium, conuenire quidem Deo, ſed non eſſe ipſum Deum, & ita realitèr diſtingui ab illo.

Secundò: quia Ber. ſer. 80. in Cant. & lib. 5. de Conſideratione Cap. 7. refert Gilbertum dixiſſe diuinas perſonas deitate, vt forma eſſe Deum non tamen eſſe deitatem, ex quo infert, quod ſecundum Gilbertum in diuinis eſſe quatuor res, ſcilicèt tres perſonas, & deitatem, quæ non eſſet realitèr idem cum illis Idem refert de Gilb. auctor commen-

mētariorum in lib. Boetij de Trinitate, qui habetur Tomo 8. operum Bedæ, Ergò.

Tertia eſt. Relationes, & eſsentia ſecundum quid, & aliquo modo diſtingui realitèr Quidam verò, quos refert Duran. in 1. diſt. 33. Quæſt. 1. num. 26. dicunt iſtum modum diſtinctionis eſse: quia non ſunt idem adæquatè, & conuertibilitèr: Paternitas enim non eſt omne quod eſt eſsentia, vt non eſt Filiatio, & proceſſio, cum quibus identificatur eſsentia, Alij verò dicunt iſtum modum diſtinctionis eſse: quia diſtinguuntur ſicut res, & modus eius, ſicut enim diſtinguuntur humanitas, & eius perſonalitas, qui eſt modus eius, ex natura rei diſtinctus ab illa, Ita dicunt relationes eſse modos eſsentiæ ex natura rei diſtinctos ab illa, Ita Dur. vbi ſupra, & Ocham in 1. diſt. 2. Quæſt. 1. littera G. & Quæſt. 11. littera F. & Gab. Quæſt. 1. Art. 1. & Quæſt. 11. Art. 2.

Quarta eſt. Relationem, & eſsentiam non tantū diſtingui ratione, nec verò diſtingui ſicut duas res, aut ſicut rem, & modum eius ex natura rei diuerſum, ſed diſtingui formalitèr ex natura rei tamquam duas rationes diſtinctas formalitèr ex natura re (iſicut multi dicunt) diſtingui relationem realem à ſuo fundamento. Ita Marſi. in 1. Quæſt. 6. Art. 2. Concluſione 4. & Scotus in 1. diſt. 2. Quæſt. 1. & 7. Verum eſt Gregorium in 1. diſt. 8. Quæſt. 1. Art. 5. referre aliquos; qui contendunt Scotum tantùm ſentire, quod differant ratione: quia in Præd. Quæſt. 7. §. Sed hic reſtat, Diſtinctionem earum vocat diſtinctionem virtualem, & rationis, Sed expreſsè Scotus ſentit, quod diximus, quod ante omnem operationem intellectus, diſtinguuntur formalitèr, & ita intellexit illum Duran. vbi ſupra num. 29. Neq; huic obſtat, quod Scotus hanc diſtinctionem vocet virtualem, & rationis, Vocat enim eam virtualem: quia licèt eſsentia ſit tantum vna res, tamen ęquiualet multis rationibus ex natura rei ante omnem operationem intellectus formalitèr diſtinctis. In quo etiam ſenſu, vocat eam diſtinctionem rationis, ideſt diſtinctionem ſecundum varias rationes formales diſtinctas ex natura rei.

Quinta eſt. Nullam diſtinctionem (etiam rationis) reperiri inter relationem, & eſsentiam: quia ſunt omninò idem, & quæ ita identificantur, nullo modo (etiam ratione) differunt. Ita Aureolus in 1. diſt. 2. & Gab. ibi Quæſt. 1. Maior diſt. 8. Quæſt. 1. & ibi Greg. Quæſt. 1. Art. 2. & Quæſt. 2. Art. 2. & diſt. 26. & 27. Quæſt. 1.

Sexta eſt. Hæc diſtingui ſola ratione, aut virtualitèr, aut eminentèr, ita Thomiſtæ de quibus infra.

Sed pro explicatione.

Dico primo. Necessarium est in doctrina fidei, admittere aliquam distinctionem inter essentiam, & relationes, vel personas.

HAec Conclusio est adeò certa, vt oppositum nequeat sustineri sine errore, & probatur: quia aliàs non saluantur dicta Conciliorum, quæ adducemus Conclusione 2. & Quæst. 40. Art. 1. Conclusione 1. & Art. 2. dub. 1. Conclusione 2. in quibus significatur illas intèr se distingui, & aliqua conuenire relationibus, quæ non conueniant essentiæ, & econtra, vt constituere, & distinguere personas, & terminare naturam esse, quidē incommunicabile conuenit relationibus, & non essentiæ. Idem probant testimonia Sanctorum in 1. Arg. huius dubij. Idemq; confirmat 2. Arg. Idem docet Bernar. lib. 5. de Consideratione Cap. 7. vbi ait, intellectum nostrum, ex sua infirmitate concipere ista, vt diuersa, quod est, ipsa habere aliquam distinctionem.

Secundò. Essentia, & relatio non sunt termini synonomi, neq; eis correspondent idem conceptus formales, Ergò necessariò correspondet eis diuersus conceptus obiectiuus, & per consequens habent aliquam distinctionem.

Tertiò. Quia aliàs prædicatio, in qua relatiuum dicitur de essentia, vel econtra, esset negatoria, & identica, vt si dicas Deus est Trinitas, Essentia est Pater Imò sequitur relatiua, & notionalia verè prædicari de essentia, vt si dicas essentia est generans, & omnia absoluta, quæ dicuntur de essentia dici de relationibus, vt si dicas Paternitas est absoluta, & communicabilis, & primarium obiectum intellectus & voluntatis Dei. Imò sequitur tertiò essentiam diuinam esse adequatè, & conuertibilitèr Paternitatem: Nàm hæc nullo modo differunt, neq; etiam ratione, & prædicatio idem omninò de eodem nullo modo distincto, Ergò.

Dico secundò. Inter relationes, vel personas, & essentiam, non est distinctio aliqua realis.

HAc Conclusione significatur, Personam diuinam non constare essentia, & proprietate realitèr distincta, neq; personam distingui

gui realitèr ab essentia, tamquam includentem illam, & aliud realitèr distinctum, neq; ipsas proprietates, & relationes, esse res distinctas realitèr ab esséntia, & sic ista explicata. Ista Cõclusio est de fide, & probatur. Primò: quia in Concilio Remensi sub Eugenio III. damnata fuit sententia Gilberti, ponentis istam distinctionem realem, & ibi fuit diffinitum; Tres personas diuinas esse vnam substantiam Dei, & ipsas relationes esse Dei. Item in Concil. Lateran, (& refertur in Cap. Damnamus) diffinitur in diuinis non esse quaternitatem, quod etiam damnat Bernar. vbi supra: Esset autem quaternitas rerum si personæ, vel relationes realitèr distinguerentur ab essentia, & illas non sic distingui, erat quod prædictum Concilium diffiniebat.

Confirmatur. Nàm in Concil. Floren., & in Tollet. XI. & in alijs diffinitur in diuinis omnia esse vnum realitèr, vbi non obest relationis oppositio, sed talis oppositio relatiua non est intèr essentiam, & relationes, Ergò. Idem docetur in eodem Flor. sessione 17. & 18. Vbi omnes Græci, & Latini conuenerunt in hoc, quod diuina substantia, & personæ re sunt omnino idem, & sola ratione distinguuntur, & sent. vlt. in Cõfessione fidei à Latinis missa Græcis, dicitur non esse credendum, substantiam re distingui à personis, & non sola ratione.

Secundò. Nàm id Latini, probant Ber. vbi sup., & Damas. lib. 1. de fide Cap. 11. vbi ait nihil esse in Deo, quod distinguatur ab eo plus, quam ratione.

Confirmatur. Nàm aliàs esset verum tres personas esse vnius essentiæ sumendo illud genitiuum. Vnius essentiæ transitiuè, & non intransitiuè, idest, quod per illud significaretur tres personas habere vnam essentiam, & non esse illam vnam essentiam. Consequens est contra fidem, damnatum contra Gilbertum in Concil. Nemen. vt habetur in prædictis Commentarijs super Boetium de Trinitate, qui reperiuntur Tomo 8. Operum Bedæ, Ergò.

Tertiò. Diuinæ relationes, aut sunt Deus, aut Creatura, si Deus, & non identificantur realitèr cum essentia erunt plures Dij, si Creatura non erunt ab æterno, neq; constituunt Personas diuinas, Ergò.

Explicatur hoc, Vel Paternitas habet esse à se, vel à diuinitate si à se, & non est diuinitas, Ergò dantur duo entia à se, quorum vtrumq; est subsistens esse, & infinitum, & consequenter Deus, & ità darentur duo dij, quod implicat, Si verò habet esse à diuinitate, & est essentialitèr & realitèr distincta ab illa, Ergò est Creatura: quia omne, quod habet esse à Deo, & est distinctum ab eo est Creatura. Et tunc inquirimus, quæ Creatura sit: Nàm non est accidens, neq; substantia incompleta:

quia hæc dicunt imperfectionem, quæ nequit competere constitutiuis diuinarum personarũ, nec verò sunt substantia cõpleta: quia sunt modi naturæ determinãtes illam. Substantia verò completa, includit ipsam naturam, Ergò nullo modo dici potest, istas relationes realitèr distingui ab essentia.

Confirmatur: quia aliàs Pater non esset diuinitas. Consequens est contra fidem, Ergò. Sequela patet: Nàm in Concil. Rhemẽsi diffinitum est, quamlibet Personam diuinam esse deitatem, & id probant Boetius lib. de Trin. Bern. vbi supra, & Isidorus lib. de summo bono Cap. 1. Sequella verò probatur. Nàm ideò Petrus non est sua humanitas: quia includit personalitatem realitèr distinctam ab ea, sed etiam Pater diuinus includit Paternitatem realitèr distinctam ab essentia, Ergò.

Vltimò. Quia aliàs Pater æternus non esset omninò simplex, sed verè compositus ex diuersis realitatibus. Consequens implicat, vt diffinitur Cap. firmitèr. de Summa Trin. & ostenditur supra Quæst. 3. Art. 7. Ergò Sequella patet. Ibi est realis compositio, & non simplicitas, vbi est multiplicitas rerum in eodem supposito constituto ex illis, neq; enim tunc ipsum suppositum esset tum simplex, sicut quælibet res constituens illud, Ergò si Pater diuinus constat ex essentia, & relatione, tamquam ex diuersis realitatibus illum constituẽtibus, non erit omninò simplex. Ratio ista est Bern. vbi supra Ansel. lib. de Incarnatione Cap. 3. Damas. lib. 1. de fide Cap. 12. & Ricar. de S. Victore lib. 1. de Trinitate Cap. 7.

Ad hoc Argumentum duplex solutio adhibetur.

PRima est. Durandi, vbi supra, scilicèt; Relationem non facere compositionem cum essentia: quia est modus essentiæ, & modus rei non facit compositionem cùm illa.

Secunda est. Scoti. In 1. dist. 5. Quæst. 2. & dist. 8. Quæst. 3. Quod, scilicèt, ista duo non faciunt compositionem: quia non se habent, vt actus, & potentia. Essentia. n. diuina proptèr suam infinitam actualitatem nullam potest importare potentialitatem respectu relationis, aut alterius formæ Ad Cõpositionem autèm ex diuersis realitatibus requiritur, vt se habeant tamquam actus, & potentia.

Sed contrà primam solutionem. Facit, quod personalitas humanitatis est modus illius, & tamen facit compositionem cùm illa: Nàm ideò persona Petri est composita, Ergò. Similitèr Relatio diuina,

(quæ est modus essentiæ) faciet compositionem cum illa, si dicit realitatem distinctam.

Secundò. Quia, si relatio esset modus realitèr distinctus ab essentia, in persona diuina reperiretur pluralitas rerum, & per Consequens illa non esset omninò simplex, & Consequentèr neque Deus: ait enim Bernar. vbi suprà. Se non credere in Deum, qui non est simplex omninò.

Contra secundam etiam solutionem. Arguitur. Nam, vt ostendetur 3. p. Quæst. 2. Art. 4. Persona Christi est composita, & tamèn ibi nihil est actus, vel potentia respectu alterius: Nàm natura, vel Personalitas diuina, non potest esse actus humanitatis: quia hoc dicit imperfectionem. Humanitas etiã non se habet, vt potentia respectu illarum, sed solum: quia terminatur personalitate Verbi, quæ est realitèr distincta, intelligitur ibi cõpositio, Ergò similitèr potest esse compositio in persona diuina ex relatione, & essentia: quia relatio est terminus essentiæ (etiam si ibi nulla sit ratio actus, & potentiæ.)

Secundò. Quia, licèt ad compositionem vnius entis per se, requiratur, vt componentia se habeant, vt actus, & potentia; id tamèn non requiritur ad compositionem, alicuius entis per accidens, vbi sola diuersitas, & multitudo rerum tollit simplicitatem, & causant compositionem, Ergò Similitèr hic, licèt essentia, & relatio non se habeãt, vt actus, & potentia, si sunt distinctæ, & constituant personam diuinam in ea reperitur multitudo, & diuersitas rerum, & per Consequens compositio, quæcumque illa sit, quæ tamen repugnat personæ diuinæ:

Ex his sequitur, Primam sentẽtiam à nobis relatam, quoad vtramque suam partem esse hæreticam, vt latè ostendit Ansel. lib. de Incarnatione Cap. 3. Et contrà primam eius partem Arguitur. Nàm ponere in singulis Personis diuinis distinctam naturam propriam, & non vnam communem est ponere plures Deos, quod est contrà fidem. Probatur hoc: Nàm illæ naturæ non sunt creatæ, Ergò increatę, & infinitæ, & per Consequens, quælibet est Deus. Rursus, illæ sunt plures realitèr distinctæ, & absolutè, & ideò non conuenientes in vna singulari natura communi, Ergò sunt plures Dij. Deus enim est quælibet natura increata, & infinita.

Contra secundam Etiam partem Arguitur: quia supra Quæst. 27. Art. 1. dub. 1. ostendimus, quamlibet personam seorsum sumptam esse verum Deum, Ergo. Secundò Arguunt Bernar. & Ansel. vbi suprà: quia aliàs verus Deus non esset omninò simplex, siquidem componeretur

poneretur ex tribus personis, Deus autèm secūdum se, est omninò simplex. Tertiò: quia aliàs quælibet persona per se sumpta esset Creatura: Nàm non esset Deus simplicitèr perfectus, & infinitus, Ergò creatura: quia intèr hæc non datur medium.

Dico tertiò, Relationes non distinguuntur ab essentia formalitèr, & ex natura rei.

HAec Conclusio est communis Theologorum, ità tenent D. Th. hic, & Quæst. 39. Art. 1. Bonauentura in 1. dist. 32. Art. 2. Qu. 1. & ibi Ricar. & Greg. Quæst. 1. Art. 2. & Capræol. ibidem, & Egid. dist. 34. & Henri. quodlibet 5. Quæst. 6. docentque esse adeò certam, vt multi Theologi sententiam oppositam damnent erroris.

Et probatur Primò: Quia in Concil. Floren. sessione 18. & 19. & vlt. dicitur, illas differe sola ratione, Testimonia verò adduximus Conclusione 2. Idem docent Ath. dialogo 1. contra Ananeos Ber. vbi suprà, & Damas. lib. 1. de fide Cap. 11.

Secundò probatur: quia aliàs daretur in diuinis quaternitas realitatum, & rationum formaliū, realium distinctarum ante omnem operationem intellectus. Consequens non debet admitti in doctrina fidei, Ergò. Sequela probatur: Nam prætèr 3. relationes reales, quæ dicūt formalitates distinctas, & oppositas, datur etiam essentia, quæ ante omnem operationem intellectus formalitèr, & ex natura rei distinguitur ab illis, Ergò cum essentia sit aliqua entitas realitèr, & formalitèr, & formalitèr non sit aliqua trium relationum diuinarum, formalitèr erit alia distincta, & ità enim quatuor rationes formales, vel quatuor realitates: Nam realitas est transcendens ad omnem rationem formalem realem. Min. verò patet. Primò: quia Bern. lib. 5. de Cōsideratione Cap. 13. cum numerasset in Deo longitudinem, latitudinem, altitudinem, & profunditatem, (quibus videbatur introducere in Deo quaternitatem non rerum, Sed rationum formalium;) docet quod illa quatuor sunt vna ratio formalis, & non quatuor: quia derogat fidei, ponere talem quaternitatem in diuinis. Et in Cap. Damnamus. de Summa Trinitate, & fide Cathol. damnatur quaternitas personarum, & essentiæ. Verum est, ibi per se primò damnari quaternitatem rerum distinctarum, quasi 3. Personæ, & essentiæ sint quatuor res realitèr distinctæ, Tamen secundariò, & Consequentèr damnatur etiam omnis quaternitas rationum formalium realium: quia illa introducit

troducit in Deo numerum quaternarium ante omnem operationem intellectus, & Hunc esse sensum Concilij patet: Nam postquam diffiniuit 3. personas identificari realitèr cum essentia, & ideò in Deo non esse quaternitatem, subiunxit Concilium. Licèt igitur alius sit Pater alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamèn aliud, Sed id, quod est Pater est Filius, & Spiritus Sanctus idem omninò. Quibus ostenditur omnimoda identitas formalis personarum cum essentia, aliàs enim si different formalitèr non essent omninò idem cum illa, & ità daretur quaternitas rationum formalium: Nam ex eo, quod ibi non est quaternitas, infert Concilium. Sunt igitur omninò idem, & nō aliud, quasi esset aliqua Paternitas, si essent formalitèr aliud.

Tertiò. Probatur. Quia essentia diuina est simplicitèr infinita in genere entis, identificans sibi realitèr diuinas relationes, Sed etiam est simplicitèr infinita secundum rationem formalem, Ergò secundum eamdem rationem formalem identificat sibi formalitèr rationes relationum. Probo Consequentiam: Quia aliàs si non esset formalitèr ratio relationis, esset formalitèr finita si quidem formalitèr limitaretur ad rationes absolutas, & non extenderetur ad relatiuas.

Confirmatur. Nàm, si Paternitas formalitèr non est Deus, formalitèr erit Creatura, & ità non esset adoranda latria, & persona diuina constitueretur aliquo creato.

Quartum. Quia aliàs Pater esset compositus ex diuersis rationibus formalibus, sed hoc derogat omnimodæ simplicitati Dei: Nàm simplicior esset, si non constaret ex rationibus formalitèr, & ex natura rei distinctis, Ergò de hoc Argumento diximus latius Conclusione 2. Ergò.

Vltimò. Omnis actualis distinctio ex natura rei, teste Aristot. 10. Methaph. tex. 24. fundatur in aliqua actuali oppositione actuali ex natura rei, sed nulla talis potest reperiri intèr essentiam, & relationes, Ergò. Min. patet: Nàm non reperitur intèr illas oppositio contradictoria, vel priuatiua: quia ambæ sunt positiuæ, nequè relatiua: quia essentia est absoluta, neque contraria: quia, Teste Arist. 10. Metha. tex. 16. Vnum contrariorum est minus perfectum altero, & includit priuationem illius, Sed relationes diuinæ non sunt minus perfectæ, quā essentia, neque includunt priuationem perfectionis illius, Sed potius, vt dicetur infrà. includunt perfectionem ipsius essentiæ, Ergò.

Dico quartò. Relationes diuinæ non tantum distinguuntur ab essentia ratione ratiocinante, sed etiam ratione ratiocinata, & formalitèr, non actualitèr, sed virtualitèr, vel eminentèr.

Pro huius declaratione tria notanda sunt.

PRimum est. Ex Capreol. in 1. dist. 8. Quæst. 4. Conclusione 2. quod aliqua ratione differe, est distingui secundum diuersos conceptus, quos intellectus format de illis, vel differe secundum rationes obiectiuas, quæ correspondent illis diuersis conceptibus, quos intellectus format de illis. Ratio huius est: quia hoc nomen ratio, duo significat. Per se primò significat diffinitionem rei, vel in rebus non habentibus diffinitionem, significat id, quod importat per nomen earũ, vt quia Quantitas, vel Qualitas nõ habẽt diffinitionem cum sint generalissima, ratio earum est ea, quæ importatur per earum nomina, scilicèt esse extensionem, vel mensuram substantiæ &c.

Secundò. Ratio significat conceptum formalem correspondentem ipsi diffinitioni rei, vel rationi importatæ per nomen eius. ita D. Tho. in 1. dist. 2. Quæst. 1. Art. 3. & Liconiens. 1. Posteriorum Cap. 2. Si Ergò hæc duo significantur per rationem differe ratione erit differe aliquo eorum.

Secundum est. Distinctionem rationis esse duplicem. Prima est distinctio rationis ratiocinantis. Secunda rationis ratiocinatæ. Prima est, quando intellectus eamdem rem consideratam secundum eãdem rationem formalem accipit, vt res diuersas, vt si consideret Petrũ esse eumdem sibi, tunc enim: quia in Petro aptæ rei nulla est ratio formalis, qua distinguatur à se ipso, vt Petrus est, solum distinguitur per intellectum considerantem eumdem Petrum, vt diuersus, & quia ista distinctio non habet fundamentum in ipsa re secundum se, sed solum prouenit ex negotiatione intellectus. Ideò vocatur distincto rationis ratiocinantis.

Secunda Verò est, quando ipsis diuersis conceptibus formalibus nostris in re ipsa, correspondet aliquid vnum habẽs quidem quicquid perfectionis est in rebus significatis per ambos conceptus, Vt in sole tantum est vna virtus supperior ad calefactiuã, & exsficatiuam: præhabens tamèn eminentèr quicquid perfectionis est in vtraq;, & ita virtus exsicatiua in sole, ratione ratiocinata distinguitur à calefactiua

in

in eodem: quia licèt vtraque sit formalitèr vna, tamèn diuersis conceptibus, quos de illa formamus, correspondet in ipsa aliqua ratio diuersa, incompleta tamen, & impefecta respectu totius suę perfectionis. Tota ista doctrina desumitur ex D.Thom. vbi supra, & dist.33. Quęst.1. Art.1. ad 3. Illa tamèn displicet Gab. Vazq. qui hic disp.117. Cap.3. ait Distinctionem rationis ratiocinãtis solam esse repetitionẽ eiusdem nominis, vel conceptus, vt cum dico Petrus est Petrus, & ratio eius est: Quia illis conceptibus non correspondent in re diuersæ rationes obiectiuæ, Sed eadem, Ergò est idem conceptus qui bis repetitur.

Sed contra hoc est, quod diffinitio, & diffinitum, vt Homo, & Animal rationale distinguuntur sola ratione ràtiocinante, & tamèn eorum distincto non est repetitio eiusdem nominis, vel conceptus, Sed distinctio rationis obiectiuæ, non quidem diuersę ex natura rei, vel cum fundamento in re ex natura eius, sed diuersæ ex modo significandi, & cõcipiendi eamdem rem distinctè, vel confuse, vt formam sui ipsius, tanquam subiecti &c. & Hæc diuersitas rationis obiectiuæ prouenienis ex nostro modo concipiendi, sufficit ad talem distinctionem rationis ratiocinantis.

Tertium est. Distinctionem formalem, non actualem, sed virtualem, vel eminentem tunc reperiri, quandò datur vna ratio, quę ità formalitèr exequitur propria plurium, ac si tantum, esset quælibet earũ. v.g. Virtus solis, ita formalitèr exequitur propria munera virtutis calefactiuæ, & exsiccatiuæ, ac si tãtũ esset calefactiua, vel exsiccatiua: quia enim illa virtus superior habet sufficientem perfectionem ad formalitèr exequẽda propria virtutis calefactiuæ, & exsiccatiuæ, ideò formalitèr, actualitèr est vna, duplex verò virtualitèr, & eminentèr, & ideò virtualitèr, vel eminentèr est distincta: reperitur enim distinctio eo modo, quo multiplicitas.

His suppositis. Probatur Conclusio prima: Quia ità asserit D.Th. in Præd. loco distinctionis 33. & Capræol. ibi Conclusione 3. & ad 6. contra 3. & Thomistæ communitèr, & ratio est. Nàm tanta est eminentia simplicissimæ Deitatis, vt in ea sit sufficiens fundamentum ad formandos de ea diuersos conceptus, quibus aptæ rei correspõdeat in ea aliquid absolutùm, & aliquid relatiuum, Ergò essentia, & relatio distinguuntur ratione ratiocinata, & formalitèr, virtualitèr, vel eminentèr. Antecedens patet. Nàm, si vna simplicissima res est simul essentia, & relatio, vt dictum est, & illa, vt habet rationem relationis, exequitur propria relationis, ac si tantum esset relatio, & vt est essen-

tia absoluta', ita exequitur propria essentiæ, ac si tantum esset essentia absoluta, conceptui, quem formamus, de illa, vt est essentia, vel relatio aptæ rei, correspondet aliqua ratio, vel fundamentum sufficiens ad formandum tales conceptus, Ergò, Consequentia verò probatur: Quia hoc est distingui ratione ratiocinata, vel formalitèr, virtualitèr, & eminentèr, vt dictum est.

Secundò pobatur ratione D. Thom. in eodem loco: Quæ habent diuersas diffinitiones differunt ratione ratiocinata, sed, licèt relatio, & essentia Dei non possint diffiniri: tamen, si esset possibilis diffinitio earum, esset alia diffinitio eius, vt est relatio, & alia, vt est essentia, Ergò.

Dices. Deo tribuenda est summa identitas formalis, & minima distinctio, sed maior identitas, & minor distinctio, est rationis ratiocinantis, quam ratiocinatæ, Ergò illa sola est tribuenda Deo.

Cófirmatur Essentia habet maiorem identitatem, & vnitatem formalem cum relationibus, quàm Petrus secum, Sed Petrus non distinguitur à se, nisi ratione ratiocinante, Ergò neq; essentia, & relatio.

Sed Respondeo. Ad Argumentũ distinguendo Min. Quam rationis ratiocinatæ; quæ prouenit ex actuali diuersitate obiecti. Concedo Min. Quæ prouenit ex infinita perfectione obiecti habentis summam vnitatem. Nego Min. distinctiò autem rationis ratiocinatæ relationum ab essentia prouenit ex infinita perfectione essentiæ, vt dictum est, & non ex diuersitate actuali obiecti.

Ad confirmationem. Nego Consequentiam eadem ratione, quia distinctio rationis ratiocinatæ proueniens ex infinita perfectione Obiecti, stat simul cum summa vnitate, & postulat in Obiecto maiorem identitatem, quàm sit in multis rebus, quæ distinguuntur sola ratione ratiocinante.Ità D. Thom. de veritate Quæst. 3. Art. 2. ad 3. & in primo ad Anibal. dist. 2. Quæst. 1. Art. 2. ad 3.

Dico quintò. Hæc distinctio rationis inter essentiam, & relationes, non potest fieri per intellectum Dei, sed tantum per intellectum creatum, & potest fieri per intellectum intuitiuè videntis Deum.

PRima pars huius Conclusionis negatur à Torres hic disp. 2. dub. 1. ad 3. & Mol. hic disp. 5. §. Petes verum, & Henric. quodlib. 5.

Quæst.

Quæst. 1. & Durando in primo dist.2.Quæst.3.nu.20. vbi ait, Deum non posse illa distinguere sine ordine ad Creaturas realitèr distinctas, quo insinuat, posse eas ratione distinguere in ordine ad Creaturas distinctas. Eamdem partem negat Capræol. in 1.distin.8.Quæst. 4.ad 6.primo loco contra primum, & ad 15.vbi citat Paludanum idem sentientem, repetitquè eamdem sententiam ibidem ad 9. penult. loco positum.

Nihilominùs nostram sententiam tenet idem Capræol. ibidem ad 9.vlt.loco, & Caiet.supra Quæst.13.Art.4. ad 3.& probatur. Nàm teste eodem D.Thom.in eadem solutione ad 3.& de potentia Quæst. 7. Art.6.& in 1.dist.2.Quæst.1. Art.3. & Bernar. lib.5.de Consideratione Cap.13. Hæc distinctio rationis prouenit ex infinitate Dei, & limitatione intellectus, qui non potest vnico conceptu concipere Deũ, & cognoscere, sicuti est, neq; formare de illo adæquatam conceptionem Sed Deus non potest formare conceptum inadæquatum sui, & deficientem à sua integra, & totali perfectione, quiq; repræsentet aliquam perfectionem illius, & non totam, quam habet, Ergò.

Secũdò Tota distinctio rationis intèr essentiam, & relationes, prouenit ex hoc, quod eminentissima perfectio Deitatis, non potest exprimi vno conceptu, Sed pluribus, quibus veluti distinguitur, & multiplicatur. Dum per vnum concipitur veluti partialitèr, secundum vnã rationem, & per alium secundum aliam, ità D. Tho. de Potentia Qu. 8. Art.2. ad 2. & in aljs locis modo citatis, proptèr quod, ea, quæ sunt realitèr distincta, dicuntur esse vnum ratione si cõueniant in vno conceptu, Sed tota eminentissima infinita Dei exprimitur ab eo vnico conceptu, nec potest ab eo intelligi diuersis conceptibus, aliàs non formaret vnum Verbum adæquatum totius suæ perfectionis, sed posset formare plura iuxtà plures perfectiones, Ergò distinctio rationis, inter essentiam, & relationem, non potest prouenire per ordinem ad Conceptum Dei.

Tertiò, Essentiam Dei distingui ratione à relationibus, est denominatio extrinseca proueniens à distinctis conceptibus, & inadæquatis, qui formantur de illis, sed conceptus, quos Deus format de sua essentia, non possunt esse plures, & inadæquati, sed tantum vnicus, Ergò ab illis non potest prouenire ista distinctio.

Secunda pars Conclusionis patet ex prima. Nam intellectus creatus non videns Deum, non potest concipere illum, vt est in se, sed cognoscit eum per diuersos conceptus proportionatos speciebus Creatis, & deficientibus atquè inadæquatis perfectioni Dei, quæ sunt prin-

cipia

cipia talium conceptuum; Ergò necesse est, quod ex tali distinctione conceptuum, oriatur distinctio rationis inter essentiam, & relationem Antecedens est Bernardi, vbi suprà, & D. Tho. suprà Quæst.13. Art. 4. ad 3. Et de Potentia Quæst.7. Art.6. & in 1. dist.2. Quæst.1. Art.3. vbi rationem huius distinctionis dicunt esse eminentiam obiecti suprà capacitatem intellectus: quia quando obiectum est excellentius omni conceptu nostro, tunc oportet de illo firmari cõceptus diuersos, quorum singulis exprimatur aliqua perfectio illius, sed ità se habet essentia Dei respectu intellectus nostri, qui non potest totam eius perfectionem exprimere vno conceptu extra Verbum, Ergò.

Secundò. Ità se habet perfectio Dei respectu nostri intellectus, vt participetur ab eo secundum esse intentionale, & repræsentatiuum, sicut se habet respectu cuiuslibet Creaturæ, vt participetur ab ea secundum esse naturale, & entitatiuũ, Sed: quia Creatura est finita, & Perfectio Dei est simpliciter infinita, implicat dari vnam creaturã in qua reperiatur tota perfectio Dei communicata, Ergò etiam implicabit dari vnum conceptum, in quo tota illa exprimatur prætèr cognitionẽ beatificam, & ità distinctio rationis inter Deitatẽ, & relationes, orietur ex nostris diuersis, & inadæquatis conceptibus Dei.

Hinc sequitur, quod, licèt in Deo sit fundamentum huius distinctionis, scilicèt eminentia infinitæ perfectionis Dei, quæ non potest exprimi vno conceptu nostro, tamèn ista distinctio non actualitèr cõpletur, nisi ex parte intellectus nostri formentur diuersi cõceptus eius, & ideò ab æterno, & ante omnem operationem intellectus creati, in Deo est distinctio formalis, virtualitèr, vel eminentèr: quia ab æterno est in eo fundamentum talis distinctionis, scilicèt eminentia, & infinitas suæ perfectionis, quæ potest accipi ab intellectu creato diuersis conceptibus, tamèn, quandò non fuerit ista actualis diuersitas conceptum, non erit actualis distinctio rationis inter essentiam, & relationes.

Tertia pars Conclusionis est D. Tho. in 1. dist. 2. Quæst. 2. Art. 3. Sed non intelligitur de intellectu vidente Deum, quantum ad visionẽ beatam: nam per illam vnico solùm conceptu, percipit omnes perfectiones Dei, & ità per illam non poterit resultare ista distinctio rationis: Vnde Bern. vbi suprà, & D. Tho. in 1. vbi suprà, & hic Quæst. 13. Art. 4. expresè docent Beatum per visionem beatificam tantum posse formare vnum conceptum de Deo, & per illum non posse distingui ratione essentiam à relatione. Intelligitur Ergò de alijs cognitionibus, quas beatus habet extra Verbum per scientiam infusã particulares

ticulares reuelationes, aut per scientiam acquisitam: Nàm cum omnes istæ cognitiones sint inadæquatè infinitati Dei, fiant per species creatas, quæ sunt deficientes à tali infinitate. Consequens necessariò est, vt per vnam earum non exprimatur omnis perfectio diuina, sed diuersis cognitionibus distinguantur, & correspondeant in Deo diuersæ rationes diuinæ perfectionis.

Sed Cõtra primam probationem huius Conclusionis, Arguitur primò. Ad distinctionem rationis sufficit, vt Deus vnico simplici conceptu, id, quod formalitèr est vnum concipiat, vt virtualitèr plura, & secundum varios respectus, sed isto modo concipit essentiam, & relationes, Ergò id sufficit, vt distinguantur ratione in ordine ad vnicum Dei conceptum: Mai. patet: Nàm essentia diuina, vt idea Hominis, & imitabilis ab illo distinguitur ratione à se ipsa, vt est Idæa equi proptèr, quod teste Aug. lib. 83. Qu. Qu. 46. ponuntur in Deo plures Ideæ, & tamèn hæc distinctio prouenit ex hoc, quod Deus vnico simplici conceptu cognoscit perfectè suam essentiam, vt virtualitèr, plures rationes plurium Creaturarum, & imitabilem ab eis, vt ostenditur suprà Quæst. 15. Art. 2. Ergò. Min. autem probatur: Nàm etiam Deus vnico simplici conceptu cognoscit suam essentiam, vt communicabilem, relationes verò, vt incommunicabiles, & cõstitutiuas personarum, quæ sunt rationes diuersæ.

Secundo Arguitur, Deus cognoscens suam essentiam vnico simplici conceptu cognoscit illã, vt virtualitèr plures, quatenus exequitur propria absoluti, & relatiui, Ergò cognoscit illam, vt ratione distinctã. Probo Consequentiam: quia illa pluralitas, est distinctio non realis, Ergò rationis: quia non datur distinctio media, Ergò si cognoscit eam, vt habentem prædictam pluralitatem, cognoscit eam, vt habentem distinctionem rationis.

Sed ad primum Respondeo, & dico duo. Primum est illo Argumẽto conuinci falsitatis sententiam Vazq. hic disp. 118. Cap. 4. & Suarez lib. 4. de Trinitate Cap. 4. & aliorum, dicentium ex operatione intellectus diuini, nullam resultare relationem rationis, nequè aliquod cõstituens rationis per illam. Contrarium enim docet D. Thom. suprà Quæst. 15. Art. 2. in corpore, & ad 3. & ibi Caiet. & 1. contra Gentiles Cap. 54. & ibi Ferrar. quia in Deo multiplicantur Ideæ secundum diuersos respectus rationis ad creaturas: & tamèn proueniunt ab intellectione diuina. Similitèr Verbum diuinum, dicit respectus rationis ad creaturas, quas representat, vt diximus Quæst. 27. Art. 2. dub. 2. & tamen illi proueniunt ex intellectione Diuina.

Secundũ eſt ſolutio facti Argumenti. Ad quod diſtinguo Mai. Quãdò extrema illius diſtinctionis conſtituuntur in ſuo eſſe, & diſtinguũtur ab alijs per ipſos reſpectus rationis, qui proueniunt ex intellectione Dei. Concedo Mãi. & ità contigit in diſtinctione Idearum. Quãdò verò extrema diſtinctione, nec conſtituuntur in ſuo eſſe, nec diſtinguuntur ab alijs per tales reſpectus. Nego maiorem, & ità contingit in diſtinctione eſſentiæ, & relationum.

Declaratur hoc. Idea ſignificat eſſentiam Dei, non abſolutè ſumptam, ſed cum reſpectu imitabilitatis à diuerſis Creaturis, & ità, & ratione Ideę ſunt duo ſcilicèt Eſsẽtia, & Relatio, Eſſentia, vt res, & determinabilis, Relatio verò rationis, vt modus determinans, ipſam eſſentiam ad eſſe Ideæ, & ità ratio conſtitutiua eſſentiæ in eſſe Ideæ, eſt reſpectus ille rationis, quẽ dicit Idea ad creaturas, vel eſſentia, vt imitabilis à creaturis, tales autem reſpectus. Teſte Cai. ſuprà Quæſt. 15. Art. 2. in fine, fiunt per intellectionem Dei, ità quod intellectio eſſentiæ, (vt imitabilis à diuerſis creaturis) eſt conſtitutio reſpectuum idealium, & ideò, vbi ponitur intellectio Dei, ex natura ſua cauſatiua talium diuerſorum reſpectuum cõſtituentium diuerſas Ideas, neceſſariò debet communicari talis diſtinctio Idearum, & diuerſitas rationis intèr eſſentiam, vt eſt Idea hominis, & eadem eſſentia, vt eſt Idea Equi. Ratio autèm propria conſtitutiua eſſentiæ, vt abſolutè per quam ratione diſtinguitur à relatione, non eſt aliquis reſpectus rationis proueniens ex ipſa intellectione Dei, ſed propria ratio realis, quam in ſe habet, & quia hæc, nec conſtituitur, nec actualitèr diſtinguitur per ſimplicem conceptum Dei, quo intelligit ſe, Ideò per illum non diſtinguitur ratione.

Ad ſecundum. Nego Conſequentiam. Ad probationem dico, quod illa diſtinctio non eſt actualis, ſed virtualis, radicalis, fundamentalis, vel eminens, & ideò complete neque eſt realis, nec rationis, ſed reducitur ad diſtinctionem rationis ratiocinatæ: quia eſt fundamentum illius.

Ad primum autèm in principio, & omnes eius Confirmationes Reſpondeo ad uerificanda illa teſtimonia ſatis eſſe reperiri in Deo ante omnem operationem intellectus, diſtinctionem formalem virtualitèr, vel eminentèr, & diſtinctionem actualem rationis ratiocinatæ, hoc enim ſufficit, vt Pater alia ratione ſit Pater, & alia Deus, & vt relatio concipiatur, vt modus eſſentiæ, & vt Verbum magis diferat à ſapientia, quam ſapientia ab eſſentia: quia intra idem genus diſtinctionis virtualis, vel rationis, eſt inæqualitas ſicut intra idem genus di-

ſtinctionis

ftinctionis realis magis realitèr distinguitur Deus à Petro, quam Petrus à Paulo.

Ad secundum Principalitèr. Respondeo duplicitèr. Primo ex Capræol. in 1.dist. 79.3. Art. 3. distinguendo Mai. Secundum eamdem rationem formalem indiuisam actualitèr, & virtualitèr. Concedo Mai. Secundum eamdem rationem formalem virtualitèr, & ratione distinctam, nego Mai. Contrarium enim docent Arist. 3. Phys. tex. 21. & D. Tho. in 1. dist. 5. Quæst. 1. Art. 1. ad 1. & de Potentia Quæst. 7. Art. 1. ad 5. & hoc maximè habet verum, quandò illa prædicantur de eadem re reduplicando, id in quo distinguitur ratione, aut virtualitèr v. g. Punctum continuatiuum lineæ tantùm habet actualitèr vnam rationem formalem: virtualitèr autem, & ratione, distinctas habet duas: quia est finis vnius partis lineæ, & principium alterius, & de illo verè dicimus, quod est finis illius partis lineæ, & quod, vt est principium alterius, nō est finis præcedentis, neque ista prædicata sunt cōtradictoria: quia non referuntur ad idem sub eadem ratione. In nostro Ergò proposito, vna tantum est actualitèr ratio formalis essentiç, & relationis: quia tamèn illa est distincta ratione, & virtualitèr multiplex, ideò de illa secundum rationes, quibus virtualitèr distinguuntur, possunt simul verificari illi termini, qui videntur contradictorij: quia verificantur reduplicando illas diuersas rationes, quibus distinguuntur, verificantur enim de illis, vt concipiuntur à nobis diuersis conceptibus, & vt significantur diuersis nominibus, quibus concipiuntur, & significantur, secundum varias rationes, in quibus distinguuntur: Addit autem Idem Capræol. ibidem ex D. Tho. in 1. distin. 33. Quęst. 1. Art. 4. & dist. 35. Quæ. 1. Art. 1. ad 2. & de Potentia Qu. 8. Art. 2. ad 7. Quod, quandò aliqua sunt idem re, & distincta virtualitèr, vel ratione, Ea, quæ significant conditionem rei, prædicantur de illa secundum quamcumque rationem: ea tamèn, quæ conueniunt illi sub quacumque earum rationum, quas virtualitèr includit, nō oportet, quod verificentur de illa secundum alia v. g. Deo ratione suæ entitatis, conuenit esse substantiam increatam &c. hæc prædicantur de essentia, & relatione, sub proprijs earum rationibus: Deo verò ratione suæ essentiæ, vt est absoluta, conuenit esse communicabilē: hoc verò non prędicatur de illa, vt est relatio.

Dices, Implicat, contradictoria realia verificari etiam de eadem re materialitèr sumpta, sed, si essentia, & relatio solum ratione distinguuntur, verificabuntur, Ergò. Min. patet: Nàm demonstro hanc singularem entitatem, & formalitatem, quam dicit essentia, de illa

certum est, quod est communicabilis. Probo verò, quod non sit communicabilis: Nam illa eadem entitas, & formalitas singularis: quia est relatio, est propria alicui personæ, Ergò incommunicabilis, Ergò non est communicabilis. Valet enim Consequentia ab affirmatiua ad negatiuam prædicato variato penès finitum, & infinitum.

Ad hoc Argumentum Respondeo dupliciter. Primò Respondet Capræol. in 1. dist. 8. Quæst. 4. ad 6. contra primum, Cõtradictoria non posse conuenire eidem rei finitæ perfectionis, benè tamen eidem rei infinitæ, vel non conueniunt ei totalitèr, idest secundum omnia, quibus identificantur, & quia essentia diuina est infinita, licèt de illa entitate perfectione, & formalitate possint verificari ista contradictoria, scilicèt esse communicabilem, & non communicabilem: non tamen verificantur de illa totalitèr: quia esse communicabilem non cõuenit Personis identificatis, cum illa, & esse incommunicabilem, non conuenit essentiæ secundum se.

Sed Respondeo secundò. Negando vltimam Consequentiam, quæ probatur Min. ille enim modus Argumentandi valet, quandò non cõmittitur aliquis defectus, hic autem Argumentamur à non distributo, ad distributum: quia apræ subiecti ponitur ille terminus essentia, qui significat rationem formalem vnam actualitèr, & diuersas virtualitèr, & terminus Infinitus in Antecedenti, non distribuit illam, sed verificatur de ea, vt est relatio, vt sic enim, est communicabilis in Consequenti verò, si seruatur forma contradictionis, quæ postulat, vt negatio feratur in totam rationem subiecti, etiam in eam secundum quam verificatur terminus affirmatiuus, significatur, quod essentia nulla ratione est communicabilis, & ita Arg. à non distributo, ad distributum.

Secunda solutio ad secundum principale, & sumitur ex Caiet. Infrà Quæst. 39. Art. 1. pro cuius declaratione duo supponenda sunt.

Primum est, Quoad licèt aliqua prædicata, quæ dicunt rationes limitatas, vt sic, distinguantur, & opponantur inter se: non tamen opponuntur si considerentur eorum rationes, vt vnitæ in vna ratione superiori. Imò tunc vnum prędicatum infert aliud. Exemplum huius habemus in Sole, & Theologia, Virtus enim exsiccatiua, quæ in sua ratione, & specie est limitata ad esse tantum exsiccatiua, distincta est ab ea, quæ est calefactiua, vel illuminatiua, Vt vniuntur tamèn in vna ratione superiori lucis solaris, nõ tantum nõ distinguũtur, sed vna infert aliã, & ex hoc, quod est virtus calefactiua solis, sequitur quod etiam sit exsiccatiua, & illuminatiua. Similitèr opponuntur inter se

ratio

ratio practici tantum, & ratio speculatiui tantum. Si autèm istæ rationes vniantur in vna superiori, & eminentiori, qualis est ratio visionis beatæ fidei, vel Theologiæ, ratio practici non opponitur, imò infert rationem speculatiui. Ità, quod eadem ratio fidei: quia est eminentior practica tantum, vel speculatiua tantum, vnitè præhabens rationem vtriusquè formalitèr, eminentèr est practica, & speculatiua, & in ea vna ratio infert aliam.

Secundum est. Quod sicut Deus secundum suam entitatem, est res superior ad absolutam, & relatiuam, & determinatè, neque est, absoluta, nequè relatiua: quia ratione suæ infinitatis includit vtramquè, & est prior vtraquè, ità secundum suam rationem formalem, est prior vtraque, & determinatè, nequè est absoluta, nec communicabilis, nec relatiua, & incommunicabilis, sed in quadam ratione infinita, & per Consequens priori, & eminentiori, quod quidèm eminentèr vtrāquè, & sicut (si loquamur de illa in ratione rei) nō valet ista Cōsequētia. Est absoluta, & communicabilis, Ergò non est relatiua, & incommunicabilis: quia licèt res absoluta, & communicabilis secundū propriam, & limitatā entitatem opponatur, vel distinguatur entitati, quæ limitatè est relatiua res, & incommunicabilis, tamen res, quæ in entitate eminentiori, est absoluta, & communicabilis, non opponitur rei, quæ ità est relatiua, & incommunicabilis. Ità similitèr, loquendo de ratione formali essentiæ, & Deitatis, illam esse absolutam, & communicabilem in ratione quadam superiori, & eminentiori, non tollit illam esse relatiuam, & incommunicabilem. Imò verò quælibet istarum rationum infert alteram. Ità, quod si essentia in ratione quadam eminentiori, est absoluta, & communicabilis in eadem ratione debet esse relatiua, & incommunicabilis.

His suppositis. Ad secundum Respondeo secundò. Transeat Mai. & nego Min. duplici ratione. Primò: quia ante operationem intellectus, nulli possunt conuenire aliqua prædicata, & per Consequens neque contradictoria, ita docet Capræol. vbi supra ex D.Th. in Opusc. de Ente, & Essentia, & Alber. tractatu 3. in Phorphi. Cap. 3. & Auerroi 3. de anima tex. 26.

Secundò, quia, licèt esse communicabile, & incommunicabile, secūdum proprias, & limitatas rationes, opponatur contradictoriè, tamèn esse communicabile, & incommunicabile absolutum, & relatiuum in ratione superiori, (qualis est ratio Deitatis) non solum non opponuntur, sed vnum infert aliud.

Ad primam Confirmationem Respondeo eisdem modis. Nàm iuxtà 1. solutionem. Nego Consequentiam: quia ad hoc sufficit distinctio realis virtualis, vel distinctio rationis ratiocinatæ. Iuxtà secundam verò solutionem. Nego etiam Consequentiam: quia res, quę in sua propria, & limitata ratione est adæquatè eadem alteri, distinguitur realitèr ab ea, quæ secundum suam rationem propriam, & limitatam realitèr non est eadem adæquatè illi, quandò verò, id habet in ratione superiori (vt contingit in essentia) non oportet, quod distinguatur, vel opponatur ab illa ex natura rei: quia superior ratio essentiæ, includit vtramque per modum simplicitatis, & ex hoc, quod secũdum vnam rationẽ adequatè identificatur Patri infert, quod habeat aliam secundum, quam non adequatè identificatur.

Ad secundã cõfirmationem distinguo Min. Non realitate essentiæ considerata formalitèr, & vt essentia ratione distinguitur à Paternitate. Concedo Min. non realitate essentiæ identicè, vel secundum rationem formalem actualem, vt stat sub respectu Paternitatis. Nego Min. quia enim essentia est ratio, & res infinita actu vna, & virtualitèr multiplex, ideò per id, quod absolutè sumptum, realitèr est eadem res, & eadem ratio formalis potest conuenire cum Filio, & per idem, vt stat sub respectu Paternitatis, potest distingui ab illo, ità Capræol. in 1. dist. 33. Quæst. 1. ad septimum Aureoli.

Ad tertiam Confirmationem, Antecedens potest negari: quia vt dicemus dub. sequenti, Paternitas includit essentiam, quæ est absoluta, & ità non secundum totum, quod includit, est relatiuum. Sed Respõdeo secundò. Transeat Antecedens, & nego Consequentiam: quia eadem res infinita sub eadem simplicissima realitate, formalique ratione eminentiori, & superiori secundum totam, & integram entitatem suam potest formalitèr habere rationem absoluti, & relatiui, scilicèt istæ rationes distinguantur, vt sunt limitatæ ad suas proprias, & infinitas quidditates.

Ad tertium Principale nego Consequentiam. Ad probationem nego Consequentiam. disparitas est. Quia ratio formalis, sub qua Personæ videntur, est eadem omninò non distincta ratione ratiocinata, sicut distinguitur ratio, sub qua communicatur essentia, & non Paternitas.

Declaratur hoc. Ratio terminandi Visionem Beatam est ipsa essentia, vt sic, & ratio summi veri, vt sic, Hæc autem est eadem omninò formalitèr in essentia, & Personis sine aliqua distinctione virtuali, vel rationis ratiocinatæ, & ideò debet terminare visionem, vt est in omnibus

nibus

nibus personis, & implicat videre essentiam, vt est in se sub illa ratione, & non videre personas, & si visa essentia sub tali ratione, non viderentur Personæ, haberent diuersam rationem obiecti beatifici, saltem virtualitèr, sicut si essentia, vel vna persona operante ad extra, cæteræ non operarentur, necessariò deberet esse in eis Potentia operatiua saltem virtualiter distincta, quam quia non habent vna operante cæteræ operantur, & ideò similitèr: quia essentia, & Personæ solum habent vnam rationem formalem terminandi visionem etiam virtualitèr, & ratione ratiocinata non distinctam, implicat essentiam, vel vnam Personam terminare visionem sine alijs, at verò, vt communicata essentia per generationem, non communicetur Paternitas, satis est illa distingui virtualitèr, & quod earum rationes adunentur in alia superiori. Cum hoc enim saluatur, quod licèt habeant vnam rationem formalem communicetur vna, & non altera.

Ad primam Confirmationem Respondeo Essentiam à se ipsa non distingui virtualitèr, vel ratione ratiocinata. Sicut distinguitur à Paternitate, & ideò magis distinguitur Paternitas ab essentia, licèt solum ista Maior distinctio contineatur intra limites distinctionis rationis.

Ad secundam Confirmationem. Nego Antecedens: Nàm Deus, & Beati non formant diuersos conceptus de illis, vt dictum est. Ad probationem. Nego Consequentiam: Nàm sicut rationes Communicabilis, & Incommunicabilis, tantum sunt diuersæ specie, & differétiæ, non tamèn si vniantur in ratione superiori, & eminentiori, vt dictũ est, Ità rationes essentiæ absolutè, & relationes vnitæ in ratione superiori ad absolutam, & relatiuam, nõ postulant adęquatas diffinitiones ex natura rei diuersas, vnde Vnico Verbo, & conceptu adęquato concipiuntur à Deo, & Beatis, tantum autèm postulant illas, quãdò concipiuntur à nobis conceptibus imperfectis, & inadęquatis. Ità D.Th. in 1. dist.33. Quæst.1. Art.1. ad 3.

Ad tertiam Confirmationem. Nego Consequentiam. Quia distinctio virtualis, vel rationis raciocinatæ sufficit, vt res, quæ identificatur alteri, non identificetur cum illa conuertibilitèr id est. Non identificetur cum omnibus, quibus illa identificatur. Exemplũ huius potest reperiri in Idæa Platonis. Dicebat Plato. Idæam Hominis, identificari cum omni homine, & esse essentiam, & diffinitionem eius, & tamèn non ideò Petrus identificatus, cum illa simplicissima Idæa hominis erat omnes homines, quibus identificabatur talis Idea. Ad probationem verò Consequentiæ distinguo Antecedens. Res simpli-

cissima actualitèr, & virtualitèr. Concedo Antecedens. Res simplicissima actualitèr, quæ tamen virtualitèr est plures. Nego Antecedens, vt patet in exemplo adducto de Idæa. Ad probationem verò contra hoc. Nego Sequellam non enim ideò est inconuertibilis, cum illa: quia est Maior, vel excedit per modum totius respectu partis, sed quia se habent, vt commune, & proprium, sublata omni vniuersalitate, & totalitate.

Ad quartum. Nego Antecedens. Ad probationem nego Antecedens. Ad illius autèm probationem posset iterum negari Antecedens: Nàm distinctio rationis ex modo significãdi, quæ reperitur inter Deũ, & Deitatem, sufficit verificare de illis contradictoria: Nàm dicimus Deus generat, Deitas non generat, & Deitas est forma, & principium Quo generandi, vel spirandi, quod tamen negamus de Deo, Sed quicquid sit de hoc, nego Consequentiam: quia intrà limites distinctionis rationis vna est maior altera, & ideò ratione distinctionis, quæ inter essentiam, & relationem est maior, quàm inter Deitatem, & Deum, aliqua contradictoria verificabuntur de Deo, & relationibus, quę non verificabuntur de Deo, & Deitate.

Ad 5. vt respondeatur.

DVBITATVR II.

An relatio diuina, ità formalitèr identificetur essentiæ, vt actualitèr, formalitèr, includatur in essentia Dei, & includat illam.



IDETVR, quod non. Et primò pro prima parte dubij Arguitur testimonijs Sanctorum, & probatur essentiam Diuinam, non includere in sua essentia relationes. Nàm Boetius in lib. de Trinitate ait Trinitatem non dici de Deo substantialitèr, Ille terminus, substantialiter, sumitur pro essentialitèr: Nàm certum est Trinitatem non dici de essentia accidentalitèr, dicitur Ergò substantialitèr, licèt non dicatur essentialitèr. Idem habet Aug. 5. de Trinitate Cap. 6. & sequentibus, vbi ait, relationes non prædicari de Deo secundum substantiam, idest essentiam,

ſentiam, nec ſecundum Accidens, ſed ad aliquid, Quod autèm includitur in eſsentia, vt ſic, dicitur ſecundum ſubſtantiam, & eſsentiam. Idem docet D. Thom. Nàm infrà Quæſt. 33. Art. 3. ad Primum ait, quod communia abſoluta in diuinis ſunt de conceptu propriorum, & non econtra, & in 1. diſt. 33. Quæſt. 1. Art. 1. ait Relationes non eſse de conceptu eſsentiæ, & de Potentia Quæſt. 8. Art. 2. ad 6. ait hanc propoſitionem Deus eſt Pater non eſse per ſe, & tamen, ſi Paternitas eſset de conceptu Deitatis, Prædicatum eſset de cōceptu ſubiecti, & ità eſſet per ſe.

Confirmatur triplicitèr. Primò Nàm ex doctrina Sanctorum, colligitur hæc differentia inter eſſe Patrem, & attributa abſoluta Dei, quod in Deo, aliud eſt eſſe Patrem, quam eſſe Deum, nō tamen aliud eſt eſſe ſapientem, vel magnum, quam eſſe Deum. Primum habent Anſel. lib. de Spiritus Sancto in principio Aug. 7. de Trinitate Cap. 2. & 4. ſecundum verò habēt Idem Aug. 5. de Trin. Cap. 8. & lib. 6. Cap. 6. & 7. lib. 11. Cap. 10. & lib. 15. Cap. 5. & 6. Ex hoc ſic arguitur licèt Sapientia, & magnitudo Dei, diſtinguantur ab eſſentia virtualitèr, vel ratione: tamèn quia pertinent ad eſſentiam Dei, ait Aug. Idem eſſe, eſſe Deum, & eſſe ſapientem, Ergò ſi teſte eodem Aug. non eſt idem eſſe Patrem, & eſſe Deum, non ideò dicitur: quia ſolum iſta diſtinguantur ratione, ſed quia Paternitas non pertinet ad eſſentiam.

Secundò. Nàm in Concil. Lateran. Cap. firmitèr, &c. Damnamus & in Floren. & in alijs dicuntur tria, quæ non poſſunt ſtare cum incluſione relationum In eſſentia.

Primum eſt. Patrem communicaſſe Filio totam ſuam eſſentiam, & totum, quo eſt Deus, & non communicaſſe relationem, Ergò relatio non pertinet ad eſſentiam, qua eſt Deus, aliàs vel non eſſet communicata tota eſſentia, vel communicaretur etiam Paternitas.

Secundum eſt. In diuinis alias eſſe rationes eſſentiales, alias verò perſonales, vel relatiuas, ſi verò relationes eſſent de eſſentia Dei, eſſent illi eſſentiales, ſicut abſolutæ, Ergò.

Tertium eſt. Eſſentiam diuinam, nec generare, nec generari. Si verò eſsentia includeret Paternitatem, & filiationem, & generaret, & generaretur: Generat enim, quod in diuinis includit Paternitatem, & generatur, quod includit filiationem.

Confirmatur triplicitèr. Nàm eadē concilia docēt Trinitatē ſecundum eſsentiam communem, eſse indiuiſam: diſcretam autèm ſecundum perſonales proprietates. Si autèm eſsentia in ſua ratione quidditatiua includeret relationes, in illa eſſet diſcreta in tribus perſonis;

quia

quia distincta est res, quæ in sua ratione postulat relationes reales realitèr oppositas, illæ enim nequeunt eidem conuenire.

Secundò Arguitur. Quicquid est de essentia deitatis, est de essentia cuiuslibet Personæ, & est in ea, Sed relationes v. g. Paternitas non est de essentia Filij, nec est in illo, Ergò nec est de essentia deitatis. Min. patet: quia aliàs Paternitas tribueret Filio suum veluti effectum formalem, & constitueret eum Patrem, & sic eadem Persona esset Pater, & Filius, & Paternitas non esset propria Patri, sed communis omnibus, & identificata cum illis: quia quicquid est in aliqua Persona pertinens ad essentiam, est commune omnibus, & identificatum cum illis. Mai. verò probatur. Primò ex regula anteprædicamentali quicquid est de essentia prædicati essentialis, est de essentia subiecti, Sed Pater essentialitèr est essentia, & Deus, vt dicemus, & similitèr Filius, Ergò si Paternitas est de essentia Deitatis, etiam est de essentia Filij.

Secundò probatur eadem Mai. Filius v.g. est perfectus Deus, Ergò habet perfectam deitatem, & omnia, quæ sunt de eius essentia, Ergò si de essentia deitatis est Paternitas, Filius habet illam: non enī potest aliqua res reperiri sine eo, quod intrinsecè est de essentia eius.

Confirmatur Primò: quia aliàs Deus non posset concipi sine tribus relationibus. Consequens est falsum, Ergò sequella patet: quia nulla res potest verè concipi, vt talis, sine eo, quod est de eius essentia. Min. verò patet, Nam teste D. Thom. infra Quæst. 33. Art. 3. ad 1. Communia absoluta, nostro modo concipiendi, priora sunt in Deo, quam relationes, & præterea: quia Pater prius origine, quam generet supponitur Deus perfectus, & essentia diuina perfecta supponitur antequam intelligatur esse principium, quo generationis, aliàs non generaretur Verbum infinitum, & tamèn tunc essentia, & Deus præintelligitur Filiationi, & Processioni, Ergò sine illis potest intelligi perfectus Deus.

Confirmatur secundò. Per actus notionales non producitur aliquid essentiale Deo, & tamèn producuntur Filiatio, & Processio, vt subsistentes, Ergò illæ non sunt de essentia Dei. Mai. patet: quia aliàs Pater ante generationem, & spirationem, non haberet essentiam Dei: deessent enim illi istæ relationes, quæ sunt de eius essentia: hoc tamèn est contra illud Symboli. Deum de Deo, quo significatur Patrem esse verum Deum, vt supponitur productioni Filij.

Confirmatur 3. Ex Boetio, vbi supra: quia aliàs essentia non esset omninò simplex, neq; vnum ens per se: Includeret enim in sua ratione

tione tres res perfectas realitèr distinctas, quæ non possunt facere vnum ens per se, sed per aggregationem.

Tertiò principalitèr arguitur. Relationes v. g. Paternitas non sunt de essentia essentiæ secundum se, vt est communis, vel communicabilis, nec de essentia essentiæ, vt tantum est in Patre, Ergò nullo modo. Antecedens pro prima parte patet: quia aliàs Paternitas esset communicabilis: Est enim communicabile tribus Personis, quod est de essentia essentiæ, vt communicabilis. Pro secunda etiam parte patet idem Antecedens: quia aliàs Deitas in Patre esset distinctæ rationis à Deitate secũdum se, & vt est in alijs Personis: in Patre enim essentialitèr includit Paternitatem, quam non includit secundum se, & in alijs, & distinctæ rationis est ab alio, quod includit aliquid essentiale non inclusum in alio, Consequens autèm ad mitti non potest, aliàs enim in tribus Personis essent tres essentiæ realitèr distinctæ, & tres deitates, & per consequens tres Dij. Cuius contrarium diffinitur in Concilio Lateran. sub Eugenio III. vbi statuitur eamdem omninò essentiam esse in tribus Personis.

Confirmatur Primò Paternitati per se conueniunt multa, quæ repugnant Deitati, Ergò Paternitas non est de essentia essentiæ: nihil enim potest esse de essentia alicuius, quin natura eius per se sit de illius essentia, & ideò si essentia Paternitatis repugnat essentiæ, Paternitas non est de ratione essentiæ, aliàs eadem simplex essentia in sua simplici ratione quidditatiua includeret repugnantiam. Antecedens verò patet: Nàm Paternitati per se conuenit incommunicabilitas, oppositio, & distinctio realis à Filio, quæ repugnant Deitati.

Confirmatur secundò: quia aliàs essentia conciperetur, vt relatio: relatiuè enim concipitur id de cuius essentia, & conceptu est relatio Consequens tamen est falsum: aliàs enim esset in communicabilis: Nàm relatio de se, est incommnnicabilis, & ideò reddit incommunicabile id, cui per se conuenit, sicut rationale constituit Animal incommunicabile brutis: quia ipsa rationalitas est illis incommunicabilis.

Quartò Arguitur. Deum esse terminum non est de essentia deitatis, Ergò de illius essentia non sunt relationes, quibus est terminus. Antecedens patet: quia, quicquid est de essentia Dei per se, conuenit Patri, cui tamen non conuenit esse terminum.

Confirmatur, & explicatur hoc. Relationes diuinę per se primò pertinent ad distinctionem, & constitutionem Personarum, Ergò non per se pertinent ad essentiam Deitatis ad illam enim tantum perti-

nent,

nent, quæ sunt de ratione essentiæ, & non Personarum sicut ad essentiam Hominis non pertinent personalitates, quæ per se primo constituunt personas.

Quinto Arguitur, & probatur, quod Relatio non includat essentiam in suo conceptu, & ratione: Nàm Paternitas secundum se totam est proprietas Patris constitutiua illius, & non est in Filio, Si autèm includeret essentiam in suo conceptu, non secundum se totam esset propria Patri, sed secundum aliquid sui scilicèt essentiam, quam includit esset in Filio, & communis illi, Ergò. Mai. patet: Nàm secundùm se totam est incommunicabilis. Secundò: quia iuxta diffinitiones Conciliorum, quæ adducemus Quæst. 40. Art. 1. Persona constituitur ex essentia, & relatione, & quia omnis res constituta ex aliquibus in ea resoluitur saltim secundum rationem constitutio personæ diuinæ deberet resolui in conceptus essentiæ, & relationis, sicut species, quæ constituitur ex genere, & differentia resoluitur in conceptus eorum, & idem est de omnibus alijs, quę constituuntur ex diuersis saltem vniuocis, si autem essentia clauderetur in conceptu relationis Persona non posset resolui in essentiam, & relationem, tamquam in duos conceptus condistinctos: quia essentia, quæ simul cum relatione constituit personam, manet inclusa in conceptu relationis.

Confirmatur Primò: quia aliàs relatio diceret totum, quod dicit persona, & ita non constitueret eam, vt pars. Cuius contrarium dicetur Quæst. 40. Art. 1.

Cōfirmatur secūdo: quia aliàs ista propositio Filiatio est essentia, esset formalis: Nàm prædicatum esset de essentia subiecti, quod sufficit ad propositionem formalem. Consequens est falsum: quia Filiatio comparatur ad essentiam, vt modus determinans illam, sicut intelligitur personalitatem determinare naturam, aut differentiam ipsum genus: non est autem propositio per se, & formalis illa in qua contrahibile, & detrahibile prædicatur de determinante, vt patet in hac Rationale est animal.

Confirmatur vltimo: quia aliàs hęc propositio esset per se. Paternitas est essentia, vel Filiatio est essentia. Nàm per se est illa propositio, cuius prædicatum est de essentia subiecti consequens est contra D. Thom. de potentia Quæst. 8. Art. 2. ad 6. Vbi negat illam esse per se, Ergò.

Sed contra est: quia ratio formalis essentiæ est infinita, Ergò includit relationes, & includitur in illis. Prima pars consequentiæ probatur: quia si non includeret illas non esset infinita, Sed limitata ad rationem absolutam.

Secun-

Secunda verò probatur: quia, si ratio entis infiniti simplicitèr (qualis est esentia non) clauderetur in essentia relationis Essentia eius nō esset simplicitèr infinita, & per cōsequens simplicitèr esset Creatura, quod est hæreticum.

In hoc dubio, Duo sunt examinanda.

Primùm. Vtrum essentia in suo conceptu essentiali, includat relationes.

Secundum. An includatur in conceptu essentiali earum.

Circa primum sunt quinque Sententiæ.

PRima. Essentiam non includere illas: quia ante omnem actum intellectus distinguitur formalitèr ab illis. Ità tenent illi, qui dub. præcedēti citati sunt pro quattuor primis sententijs de quo Vide Dur. in 1. dist. 33. Quæst. 1. num. 29.

Secunda est. Aliorum, qui admittunt formalem identitatem essentiæ, & relationum: dicunt tamèn relationes nullo modo includi in quiddítate essentiæ sumptæ secūdum se, & vt est aptæ rei. ità insinuat Capræol. in 1. dist. 8. Quæst. 4. ad 19. Cōtra 2. & tenent Ferrar. 2. contra Gent. Cap. 9. Bergomen. dub. 1053. Suarez lib. 4. de Trinitate Cap. 5. & 6. Molin. hic disp. 8. Vazq. hic disp. 121. Cap. 4. & Torres hic disp. 2. dub. vlt. & disp. 3. in 1. solutione ad 3. contra 4.

Tertia est. Essentiam secūdum se, includere relationes in sua quidditate, nō tamèn includere illas, vt à nobis concipitur: Nàm ideò, vt sic distinguitur ratione: quia nos formamus de illis diuersos conceptus, quorum vnus non includit alium.

Quarta. Relationes non esse de essentia Deitatis: esse tamē de essentia illius esse, non tantum communicabilem, sed etiam actu communicatam tribus Personis, sicut, qui sentiunt actualem existentiam esse de essentia accidentis, dicunt subiectum non esse de esentia accidentis Esse tamen illi esentiale inhærere subiecto.

Quinta est. Relationes claudi in esentia esentiæ, vt à nobis distinctè concipitur. ita Valen. 1. p. disp. 2. quæ est de Trinitate Quæst. 4. punc. 1. & lib. 1. de Trinit. Cap. 29. ad 4.

Circa

Circa secundum verò punctum, sunt duæ Sententiæ.

PRima est. Essentiam non claudi in conceptu formali relationum: quia licèt relationes includant IN diuinum. Illud tamen est relatiuum, per quod ipsæ existunt non tamèn absolutum. Ita insinuat Capræolus vbi supra Molina, & Bergomen. loco citato, & Vazq. ibidem Cap. 2.

Secunda est. Essentiam claudi in ratione, & conceptu formali relationum. Ita Henric. quodlib. 5. Quæst. 6. Torres hic disp. 3. & Suarez vbi supra Cap. 7. & 8.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Implicat, quod sit essentiale essentiæ diuinæ esse actu communicatam tribus Personis, & quod relationes non sint de essentia eius.

PRobatur, Implicat rationem essentialem alicuius postulare per se tamquam formale constitutiuum sui aliquid, quod sit extra essentiam eius, sed hoc reperiretur, si esset essentiale essentiæ esse actu communicatam tribus Personis, & relationes essent extra eius essentiam, Ergò.

Declaratur Mai. Sæpè contingit essentiam rei postulare aliquid extrinsecum tamquam terminum, vel principium, Vt essentia actionis necessariò postulat terminum, & principium, à quibus specificetur, hæc tamen non sunt formalia constitutiua actionis, sed extrinseca, à quibus sumitur differentia formalitèr constitutiua illius, Similitèr licèt inhærentia, esset essentialis Accidenti, subiectum solum se habebit extrinsicè ad eius quidditatem, & non esset de ratione, & essentia formali illius: Nàm formale constitutiuum Actionis, vel Accidentis debet esse illi intrinsecè essentiale, quod maximè habet verum in essentia substantiali, quæ non specificatur ab extrinseco, & in essentia diuina, quæ non potest dependere ab alio, neq; ad perfectionem suam completam exigit aliquid extra se ipsam, aliàs secundum se ipsam, & sibi intrinseca non esset omninò perfecta, & infinita.

Minor verò de se patet. Nàm actualis communicatio naturæ diuinæ intrinsecè requirit relationes, quatenus in potentia generatiua, & spiratiua requisitis ad istam communicationem connotantur relatio-

nes

nes Paternitatis, & Filiationis, & ex parte termini istarum communicationum requiruntur aliæ relationes scilicèt Filiatio, & processio, vt intrinsicè constituentes personas, quibus Deitas communicatur.

Secundò Essentiam esse actu communicatam, tribus Personis dicit aliquid relatiuum, Ergò, si in essentia Deitatis clauditur esse actu communicatam illis, in ea clauditur aliquid relatiuum. Consequentia patet, & Antecedens probatur: quia essentiam esse actu communicatam tribus Personis non est prædicatum commune omnibus Personis, neq; præintelligitur ipsis Personis, sed supponit generationem, & spirationem actiuam, & passiuam, Ergò non est absolutum, sed notionale dicens relationem: quia omnia absoluta sunt communia, & priora personalibus. Idem est dicendum de hoc prædicato esse communicabilem: Nàm (vt statim dicemus) Essētia diuina nō est communicabilis in potentia, sed summa cum actualitate, & in ea idem est esse communicabilem, & esse actu communicatam.

Ex hoc sequitur defecisse Suarez lib. 4. de Trinitate Cap. 8. num. 3. vbi asserit, quod licèt naturam esse communicatam sit prædicatum notionale, esse tamèn communicabilem est prædicatum essentiale: Nàm (vt statim dicemus) Esse cōmunicabilem includit relationes in actu, & per consequens est notionale, & licèt conueniat Deo ratione infinitatis, conuenit illi ratione infinitatis radicalitèr sicut ratione eiusdem conueniunt ei cætere relationes, non tamen conuenit ratione infinitatis formalitèr, & ideò non oportet esse essentialem.

Dico secundò. Essentiale est Deitati, esse actu communicatam tribus Personis.

PRobatur Essentiale est illi esse fęcundam, & communicabilem ad intra pertinet enim ad rationem infiniti Boni, vt sit summo bono communicabile, Ergò etiam est esentiale Deitati ese actu communicatam, Probo Consequentiam: quia in Deo ad intrà nulla potest dari potentialitas, & omnis perfectio eius summa cum actualitate cōuenit ei, qua ratione, non datur in Deo potentia intellectiua, & volitiua, quæ formalitèr non sit actualis intellectio, & volitio, Ergò idem erit de fæcunditate, & communicabilitate.

Secundò, Deitas, vt præintellecta actuali communicationi trium Personarum, non habet omnem actualitatem, & complementum debitum suæ naturæ, & rationi esentiali, Ergò in sua essentiali ratione

com-

completa includit esse actu communicatam. Consequentia patet: quia in sua essentia claudit quicquid pertinet ad complementum suæ perfectionis, & actualitatis. Antecedens verò probatur: Quia essentia, vt præintellecta actuali communicationi non intelligitur, vt summè actualis, sed vt in potentia determinabilis per relationes. De ratione autèm essentiali, & completa eius, est esse actum purum nihil potentialitatis habentem.

Tertiò. Nàm D. Thom. Quæst. præced. Art. 2. ad 3. ait in ipsa perfectione esse diuini continetur, & Verbum intelligibilitèr procedens, & principium Verbi, sicut, & quælibet, quæ ad eius perfectionem pertinent, sed non continentur in perfectione esse diuini quatenus est cōmunicabile, Sed vt est actu communicatum ipsi Verbo. Imò verò Verbum contineri in ipso esse diuino, supponit actualem communicationem eius factam Verbo, Ergò in ipsa perfectione essentiali, esse diuini continetur esse actu communicatum.

Confirmatur: quia si esse actu communicatam est extra essentiam Deitatis, intelligeretur hoc conuenire illi per accidens: Per accidens enim intelliguntur conuenire alicui, quæ competunt ei iam constituto in sua essentia: Deo autem (quia est sua essentia) & esse abstractum formalissimè nihil potest competere, quod sit extra eius essentiam, vt ostendit D. Thom. supra Quæst. 3. Art. 3. videte ibi.

Vltimo quicquid conuenit alicui per eius essentiam teste D. Th. in eadem Quæst. 3. Art. 4. causatur, vel ex principijs essentiæ, vel ab aliquo extrinseco, Sed Deum esse terminum, vel actu communicatum tribus Personis non est aliquo modo causatum, Ergò est de essentia Dei, modo, quo explicabitur Conclusione 4.

Dico tertiò. Essentia diuina in sua formali, & essentiali ratione secundum se, & vt à nobis concipitur conceptu perfecto, qualis per Theologiam, vel Fidem, potest haberi de Deo in ista vita includit relationes diuinas.

PRima pars huius Conclusionis sequitur ex duabus pręcedentibus: Nàm essentiale est Deitati, esse actu communicatam tribus Personis, & non potest hoc esse illi essentiale, nisi essentialitèr includat relationes, Ergò. Sed præterea eamdem partem nostræ Conclusionis tenet Caiet. Quæst. præcedenti Art. 2. in fine vbi ait, quod si essentia diuina secundum se, diffiniretur, si sic licèt loqui, in sua diffinitione includeret

cluderet

cluderet relationes. Idem habet infra Quæst.39.Art.1.vbi ait,quod ratio formalis essentiæ diuinæ,includit essentiam, & relationem.

Probatur Primò, Nàm D.Thom.in loco citato Quæst.præcedentis ait. In ipsa perfectione diuini esse,continetur Verbum intelligibilitèr procedens, & principium Verbi, Sed Verbum, & principium eiusdem Verbi sunt relationes, Ergò illæ continentur in ipsa essentiali perfectione diuini esse. Item Quæst.39.Art.6.ad 2. ait,Istam propositionem Deus est Pater,esse per se sicut istam,Pater est Deus,Sed ista, Pater est Deus,ità est per se, quod Deitas clauditur in essentia Patris, Ergò, & altera,scilicèt Deus est Pater. Ita est per se, quod Pater non tantum identicè,vt ibi voluit Cai., sed etiam formalitèr clauditur in essentia Deitatis.

Confirmatur: Quia hoc docent Sancti Patres. Etenim Athan. in Oratione cõtra Gregales Sabelij ait Vniuersa plenitudo,& integritas Deitatis est Pater,vt Pater Filius,vt Filius &c. Sed integritas,& plenitudo Deitatis clauditur in eius essentia: quia est ens infinitè perfectum,Ergò. Similitèr Dionisius lib.de Diuinis nominibus Cap.2.p.1.ait Diuina omnia iuxta exactissimam rationem toti diuinitati insunt. Alia littera habet; Secundum perfectum Dei, Verbum insunt, & sumitur Verbum pro ratione significata Verbo mentali, & significat Dioni.omnia,quę in sunt Deo,inesse illi secundum rationem eius perfectissimam ideft esse de eius perfectissima ratione, sed relationes diuinæ insunt illi, Ergò.

Secundò probatur, Relationes diuinæ non distinguuntur formalitèr ab essentia,vt diximus dub. præceden. Ergò clauduntur in eius ratione;Probo Consequentiam: Quia formalitèr distinguuntur ea,quorum vnum est extra rationem formalem,& conceptum alterius.

Ad hoc Respõdet Molina(vbi supra) satis esse virtualem earum distinctionem.

Sed contra hoc est: quia aut ratio formalis actualis essentiæ includit simul absoluta,& relationes, vel non. Si primum, Ergò licet virtualitèr distinguantur in ordine ad nostros cõceptus, Relatio actualitèr claudetur in ratione essentiæ, siquidem eius ratio actu claudit absoluta,& relatiua,& vtraq; sunt de eius ratione per modum omnimodæ simplicitatis, & non per modum compositionis. Si verò dicas secundũ sequitur illam rationem esse magis limitatam,quam sit res cui correspondet, & non esse adæquatam illi:Nàm res illa,scilicèt Essentia simul includit absoluta,& relatiua,vt dictum est,quæ non includit eius ratio.

Confirmatur hoc: quia, si relationes insunt essentiæ, & non sunt de eius essentia, conuenient illi per accidens, quod non est dicendum.

Tertiò Arguitur. Quia essentia diuina est infinita in ratione entitatis includit relationes in sua realitate, Ergò: quia est infinita in sua ratione formali, includit in ea ipsas relationes, aliàs eius ratio esset minus infinita, quam eius entitas, & non esset adæquata eius simplicissimæ entitati, quod esse falsum patet: Nàm illa exprimitur per vnicum Verbum adæquatum sibi, & realitati Deitatis, scilicèt Verbum diuinum.

Confirmatur duplicitèr. Primò Ratio formalis essentiæ, nó est minus simplex, quam eius realitas, sed eius realitas omninò simplicissima secundum se totam est relatiua, & absoluta in ratione superiori, Ergò similitèr ratio eius formalis, nó est secundum vnam partem absoluta, & secundum aliam relatiua, sed secundum se totam per modū simplicitatis, & eminentiæ in ratione superiori includit vtramq; rationem, & ita includet essentialitèr relationes, aliàs sicut concedimus Personam diuinam constare, & quasi resultare ex essentia, & relatione, & has nostro modo intelligendi esse priores Personis, vt potè constitutiuas illarum, Ità dicēdum esset essentiam diuinam, quoad suam rationem formalem constare, & veluti resultare ex essentia, & relatione, veluti ex prioribus eius nostro modo intelligendi.

Confirmatur secundò: quia aliàs per Dei omnipotentiam, posset essentia in se videri sine relatione: Nàm relatio non est de eius essētia, & quælibet res potest videri in se, sine eo, quod est extra essētiam eius: huius enim nulla videtur implicatio v. g. Color potest intuitiuè cognosci per intellectum perfectè sine similitudine identificata cum illo: quia est extra eius essentiam. Consequens autem non admittitur in via D. Thom. Ergò.

Vltimò probatur Conclusio. Si relationes non clauduntur in formali ratione essentiæ, sequitur illas superuenire essentiæ iam constitutæ in sua ratione essentiali, & formali, & in suo vltimo complemento, & actualitate; Consequens est impossibile, Ergò. Sequella probatur, Quod aduenit alicui habēti suam perfectam, & completam essentiā, & non clauditur in ea, superuenit illi, Ergò cum relationes ueniant essentiæ completæ, & perfectæ in sua vltima actualitate, si nó clauduntur in eius essentia, superuenient illi. Min. verò probatur: quia ex duabus rationibus earum, scilicèt essentiæ, & relationis, non poterit fieri vnum per se: nisi essentia se habeat, vt potentia: Relatio enim: quia est determinatio naturæ, non potest habere rationem potentiæ.

Dei-

Deitas autem, cum sit ipsa actualitas, nequit habere aliquam rationem potentialitatis.

Secunda pars Conclusionis probatur. Nam Athan. Dion. D. Thom. & Cai. & alij, docent, Relationes claudi in ipsa ratione essentiæ, Ergò concipi potest essentia in hac via, tamquam includens illas.

Probatur Consequentia: Nam nisi prædicti DD. conciperent illam vt in sua ratione claudentem absoluta, & relatiua non possent docere, quod clauderet illa: nequeunt enim asserere, quod non concipiunt.

Secundò, Nos concipimus rationem essentiæ, vt simplicitèr infinitam in omni genere Entis, Ergò cõcipimus illam, vt per modum simplicitatis includentem simul absoluta, & relatiua: aliàs, si non conciperemus illam, vt includentem relationes, conciperemus illam, vt limitatam ad absoluta, & ita, vt non infinitam in omni genere, & simplicitèr.

Tertiò, Nos docemus Deum, & Beatos, vnico simplici conceptu concipere essentiam, vt absolutam, & relatiuam, & verè ità concipere, Ergò nos etiam, nostro modo concipiendi, concipimus illam claudere rationem absolutam, & relatiuam.

Confirmatur: quia aliàs nostro modo cõcipiendi, Relationes superuenirent essentiæ iam constitutæ, & per accidens intelligerentur se habere ad ipsam rationem formalem essentiæ. Consequens derogat perfectioni essentiæ diuinæ, Ergò. Sequella patet: Nam, quod nostro modo concipiendi, est extra rationem formalem alicuius, & conuenit illi iam perfectè nostro etiam modo intelligendi concipitur, vt superueniens illi, & per accidens conueniens, idest extra eius essentiam. Min. verò probatur: Quia nos concipimus rationem formalem Deitatis, vt includentem absoluta, & relatiua, & vt esse abstractum, cui nihil per accidens potest conuenire, Ergò. Alia his similia dicemus infra Quæst. 40. Art. 2. dub. 2. Conclusione 3. Videte ibi.

Dico 4. Essentia non claudit relationes in sua ratione formali, vt prædicata, & perfectiones essentiales, sed vt modos, & determinationes ipsius essentiæ.

PRo huius declaratione supponendum est, multos Thomistarum asserẽtium natuiam Gabrielis v. g. etiam per Dei omnipotentiã, non posse nõ multiplicari sentire indiuiduationem illius, esse essentiã naturæ illius, non, vt prædicatũ essentiale, sed vt modũ, & determina

tionem eius, essentiale quidem: quia prouenit ab eius essentia se ipsa hoc formalitèr tribuente, & essentialitèr dicitur conuenire, quod cóuenit formalitèr per ipsam essentiam secundum se ipsam sine alia media forma. Vt modum verò: quia indiuiduatio naturæ, non constituit, sed supponit naturam constitutam, & determinat eam. Si hæc sententia vera esset, Ad eũdem modum nobis est sentiendum de Deo videlicèt, quod essentia diuina maiori, cum vnitate, & simplicitate, imò cum summa actualitate formali, includit prædicata essentialia, & relationes, illa vt constitutiua naturæ, istas, vt determinationes illius.

Ex his sequuntur tria.

Primum est, Quod non oportet omnes relationes conuenire cuilibet Personæ, cui conuenit essentia: quia cui conuenit essentia, debet conuenire omne prædicatum essentiale illius, non verò omnis modus, & determinatio eius, sicut Petro conuenit omne prædicatum essentiale Hominis non omnis modus eius, v. g. non conuenit ei Personalitas Pauli.

Secundum est. Relationes, licèt essentialitèr conueniant essentiæ, non tamen esse perfectiones essentiales eius: quia hoc termino, perfectio essentialis significatur perfectio currens ad Constitutionem, & integritatem actualitatis diuinæ, Relationes verò nõ pertinent ad constitutionem illius, sed Personæ, sicut in prædicta opinione indiuiduatio Angeli, licèt proueniat ex essentia illius, non est perfectio essentialis eius.

Tertium est. Quod si essentia consideretur (præcisis relationibus) per abstractionem negatiuam, continebit quidem omnem perfectionem essentialem: non tamen erit concedendum, id, quod remanet esse Deum.

Prima pars huius Corolarij patet. Nàm continet omnia, quæ pertinent ad constitutionem essentiæ: Relationes enim solum pertinent ad constitutionem Personæ.

Secunda verò pars probatur: Nàm infinita ratio formalis Deitatis, non tantùm importat infinitatem in perfectionibus essentialibus, sed etiam in determinatione, & vltimo complemento proueniente à relationibus: Deitas enim significat naturam perfectissimam intèr omnes excogitabiles; perfectior autem saltem modalitèr est, quæ includit istas relationes, tamquam terminationes illam complentes, quàm quæ illas non includit. Vndè essentia Dei non esset Deus, si non esset in tribus Personis, terminata tribus relationibus proptèr, quod sicut Bernar. dixit lib. 5. de Consideratione, se non credere in Deum, qui

qui esset quaternitas, ità nobis nō erit adorāda, nec credēda Deitas, quæ non sit Trinitas, simulque terminata tribus relationibus Personalibus: quia aliàs non erit vera Deitas.

Dico quintò. Essentia diuina includitur in ratione formali, & conceptu perfecto relationum.

ITa D. Thom. infrà Quæst. 33. Art. 3. ad 2. vbi habet, quod communia absoluta clauduntur in conceptu propriorum, vt Deus in conceptu Patris. Idem habet Ricar. de Victore primo de Trinit. Cap. 1. & lib. 5. in principio.

Secundò, Deitas est de essentia Patris, Ergò etiam de essentia Paternitatis. Antecedens patet: Nàm Pater est essentialitèr Deus, & Consequentia probatur: quia in diuinis, idem prorsus sunt abstractū, & concretum, & nihil includit vnum, quod non includat alterum. Quia solum differunt ex nostro modo significandi.

Confirmatur Infrà Quæst. 40. Art. 1. Conclusione 3. vbi ostendetur ex D. Thom. & Cai. Personas, & relationes esse idem prorsus, Ergò, si Deitas est de ratione Patris, est etiam de ratione Paternitatis.

Tertiò Paternitas essentialitèr includit diuinum esse absolutum, vt dicetur dub. sequenti, Ergò essentialitèr includit essentiam: quia illa est ipsum esse Dei.

Confirmatur; Paternitas essentialitèr est Deus, Ergò in suo conceptu essentiali, includit Deitatem. Consequentia patet: Nàm, quod essentialitèr est tale, in suo conceptu essentiali includit formam, qua est tale. Antecedens autem probatur. Nàm Paternitas est in Deo, & non est Creatura, Ergò est Deus: est enim Deus quicquid est in Deo, & non est Creatura, Ergò essentialitèr est Deus: nihil enim est Deus accidentalitèr, sed cuicumque conuenit esse Deum, necessariò, & essentialitèr est Deus.

Quartò. Nos cōcipimus relationem sub ratione Entis, & non Entis creati, Ergò quandò concipimus illam distinctè eo modo, quo in via possumus illam percipere per fidem, aut Theologiam, concipimus illam sub ratione Entis increati, Ergò sub conceptu Deitatis.

Dices. Nego Consequentiam: quia satis est, illam concipi sub ratione entis infiniti relatiui, quæ ratione distinguitur ab essentia.

Sed Cōtra hoc est: quia, si concipitur distinctè quicquid includi-

tur in illa entitate relatiuè infinita necessariò debet concipi essentia: Nam illa debet concipi, si distinctè concipitur, vt ens non ab alio, & vt ens, cuius esse sit perfectissimum, scilicèt intelligere. Imò, quod sit suum esse, & suum intelligere, & per Consequens necessariò debet intelligi essentia, cuius ratio formalis est esse ens non ab alio, & esse suum esse, & suum intelligere.

Ad primum, Ergò Respondeo Aug. & Boecium solùm intendere, quod relationes non dicuntur de Deo essentialitèr, quasi dicant aliquam perfectionem, vel prædicatum essentiale illius: non tamen negare illas dici essentialitèr tamquam modos essentiæ, cui est essentiale quicquid ei competit. D. Thom. autem in duobus primis locis hāc statuit differentiam, quod essentia est de conceptu essentialitèr relationis: quia dicit prædicatum essentiale illius, sicut ens est essentiale homini: Relatio verò, licèt dicat aliquid essentiale essentiæ tamquam modum, & determinationem illius: non tamen dicit aliquam perfectionem, & prędicatum essentiale illius.

Ad tertium, verò testimonium ex Quæst.8. de Potentia. Idem D. Thom. hic Quæst.39. Art.6. ad 2. docet illam propositionem esse per se. Quæ duo loca videntur contraria; Reconciliatquè Caiet. dicens illam propositionem non esse per se formalitèr esse verò per se identicè. Sed iuxtà nostram doctrinam, dicendum est illam propositionem non esse per se eo modo, quo est per se propositio, in qua de subiecto prædicatur aliqua perfectio essentialis pertinens ad eius constitutionem, & essentiam, & constituens illam esse, tamen per se eo modo, quo est per se propositio, in qua dè subiecto prædicatur aliquis modus inclusus in ipsa essentia subiecti, & tales sunt relationes respectu essentiæ, vt dictum est.

Ad primam confirmationem nego Consequentiam. Ad probationem Respondeo ex dictis, quod sapientia, vel magnitudo Dei, sunt de essentia illius, vt perfectiones essentiales eius, & ideò eodem Deus est Deus, & est sapiens, vel magnus; Paternitas verò clauditur in Deitate, vt modus de determinatione eius, & quia Deus est Deus per Deitatem, & nō per modum Deitatis, vel determinationem eius, ideò nō eodem formalitèr, quo est Pater, est Deus. Vel Respondeo secundò Distinguo Antecedens: Quia pertinent ad naturam, vt perfectiones essentiales eius; Concedo Antecedens. Quia pertinent ad naturam, vt determinationes illius, nego Antecedēs: Relationes verò pertinent ad naturam Dei, vt eius determinationes, & ideò est dispar ratio.

Ad secundam Confirmationem (admissis, quæ dicūt Concilia.) Ad

primum Arg. distinguo Consequens eodem modo. Relatio non pertinet ad naturam, vt eius determinatio. Nego Consequentiam, vt perfectio essentialis. Concedo Consequentiam: Pater autem communicabit Filio totum id, quo est Deus, & quod pertinet ad essentiã, vt perfectio essentialis, & hoc intendit Concilium: non tamèn communicabit omne, id, quod pertinet ad essentiam tamquam modus, & determinatio eius. Vel dicatur secundò. Quod communicat totam entitatem, quam habet, (vt est absoluta,) non vt est relatiua. Vel tertio dicatur, quod communicabit totam entitatem essentiæ: non tamẽ omnem modum illius, & ideò: quia essentia est eadem entitas relationis, & solum differt ratione ab ea, vt à modo suæ essentiæ, licèt communicet Filio totam illam entitatem suæ naturæ, non cõmunicat omnem rationem modi, quam habet, vt est relatio.

Ad secundam. Nego Min. dictum enim est, Perfectiones essentiales non vocari ea, quæ clauduntur in essentia, vt determinationes illius, sed ea, quæ dicunt aliquod prædicatum essentiale, & commune omnibus participantibus illam naturam.

Ad tertiam. Nego Min. Ad probationem distinguo Antecedens. Quòd includit Paternitatem, tamquam formam adæquatè constitutiuam sui in esse suppositi, concedo Antecedens. Quod includit illam tamquam determinationem naturæ, vel tamquam terminum suæ relationis constitutiuę. Nego Antecedens. Nàm Filius, (vt infrà patebit) includit in se Paternitatem, tamquam terminum Filiationis cõstitutiuę sui, & tamen non generat, & ità natura, licèt includat Paternitatem, & Filiationem, vt determinationes, & modos sui, non generat, nec generatur: quia manet communis omnibus Personis, & inter generans, & genitum, requiritur distinctio Realis.

Ad tertiam Confirmationem Respondeo eodem modo Scilicèt in diuinis illud esse distinctum realitèr, quod includit relationem, vt formam constitutiuam sui in esse suppositi, quo modò includit illam Personam: non verò debet distingui realitèr, quod includit illam, vt determinationem ipsius naturæ quomodò includit eam essentia.

Ad secũdum principale distinguo eodem modo Mai. Quicquid est de essentia Deitatis, vt perfectio essentialis eius. Concedo Mai. vt modus, & determinatio eius. Nego Mai. Relatio autèm est de essentia essentiæ, vt determinatio eius, & ideò non est de essentia omnium, quibus essentia competit per se. Exemplum huius potest afferri supposita illa sententia Caiet. quod ratio analoga entis v. g. in suo conceptu, & ratione formali non abstrahit ab inferioribus, sed in-

cludit illa V.g. ratio entis includit esse per se,& esse in alio,nõ,vt perfectiones, & prædicata esentialia, & communia, sed vt determinationes,& modos rationis formalis ipsius entis,& tamèn isti modi non insunt omnibus Entibus: Nam esse per se non conuenit accidenti. Eodem Ergò modo posumus hic phylosophari. Ratio huius est. Quia quod est de esentia Deitatis, tamquam perfectio esentialis illius,cõuenit ei sub quacumque consideratione sumatur, siuè vt est in personis, siuè vt prior illis &c. quia Perfectiones esentiales,cum constituãt esentiam, debent commitari illam sub quacumque consideratione concipiatur essentia, Quæ verò sunt de essentia esentiæ, vt determinationes eius,non cõueniunt ei sub quacumquè consideratione, sed vt differt ratione à suppositis (vt patet in exemplo de modis entis) & quia relationes,sunt de esentia esentiæ, vt determinationes illius, & conueniunt ei, vt est determinabilis ad diuersa supposita. Ideò non opportet illas conuenire simul omnibus Personis. Ad probationes Mai. patet ex dictis: Nàm ad primam dicitur,Illam regulam tenere in his, quæ per se conueniunt alicui, vt perfectiones essentiales, non vt eius determinationes.

Ad secundam verò nego vltimam Consequentiam: quia vt res perfectè participet aliquam naturam,satis est,si habeat omnia, quæ sunt de eius essentia, tamquam perfectiones esentiales, licèt non participet, quæ sunt de eius esentia, vt determinationes,quo modo relationes sunt de esentia esentiæ.

Ad primam Confirmationem. Nego seq. Ad probationem Respondeo eodem modo, scilicèt nullam rem posse distinctè, & perfectè concipi sine eo, quod est de esentia eius, vt prædicatum, & perfectio essentialis, Posse tamèn illam concipi conceptu imperfecto, & cõfuso sine eo, quod est de eius esentia expresè cognito, maximè si sit de eius esentia, vt modus, & quia relatio est de esentia Deitatis, vt modus, potest Deitas conceptu imperfecto concipi sine illa, Secus verò, quandò illa concipitur perfectè, vel in Patria, vel perfectione posibili in via quantum fides, vel Theologia ostendit de illa per diuesos conceptus, quibus concipimus illam, vt dicit Ad. & vt includit In. & formalitèr identificatur cum esentia.

Ad secundam Respondeo Per generationem nihil produci in Deo esentiale,tamquam perfectionem esentialem. Benè autèm produci aliquid esentiale tamquam modum, & ideò ante generationem intelligitur Pater habens perfectam esentiam Deitatis quoad omnes suas perfectiones esentiales: Deitas tamen in illo priori non intelli-

gitur

gitur habere omne, quod est de eius esentia tamquam modus, licèt omnes tales modi insint ipsi à parte rei (vt dictum est.)

Ad tertiam Confirmationem, nego Consequentiam: Nàm teste, Nazian. ad Ebragium, Relationes, licèt opponãtur inter se, tamen formalitèr identificantur esentiæ, & sunt de ratione eius, & ideò non faciunt compositionem, cum illa: quia non componunt eam tamquã perfectiones essentiales eius, sed solùm determinant eã, vt modi eius identificati formalitèr cum ea, & eadem ratione 3. relationes non faciunt vnum per accidens: quia ad hoc requirebatur, quod ex eis resultaret essentia, quæ non identificaretur illis realitèr, & formalitèr, quod non contingit: quia identificantur realitèr, & formalitèr cum essentia, in qua vniuntur: In nulla autèm persona adunantur tamquam constitutiuę illius, sed potius quælibet relatio in Persona opponitur alteri, & ideò nequè in Persona faciunt vnum per accidens.

Ad tertium principale, Nego Antecedens pro prima parte. Nàm: quia esentia est communicabilis cum summa actualitate, idest actu communicata, & relationes sunt de esentia Deitatis, vt actu communicatæ: ideò etiam sunt de esentia Deitatis, vt est communicabilis modo prædicto. Ad probationem contra hoc, distinguo Mai. Quod est de esentia Deitatis communicabilis, vt constituens eam communicabilem, Concedo Mai. Quod est de esentia Deitatis communicabilis, vt modus determinans eam ad Personam incommunicabilem. Nego Mai. Nàm si eset communicabile, non determinaret eam ad Personam incommunicabilem; Relationes autem (vt dictum est) sunt de esentia Deitatis tãquam modi determinantes eam ad Personas incommunicabiles. Potest etiam negari Antecedens pro secunda parte, Nàm ad bonum sensum, potest concedi, Paternitatem ese de esentia Deitatis, vt est in Patre, tamquam modum, & terminum illius. Ad probationem contra hoc nego sequellam: Nàm, licèt esentia, quæ in diuersis suppositis dicit diuersas perfectiones personales, sit formalitèr diuersa: non tamèn quandò in diuersis suppositis includit diuersos modos, & determinationes inadæquatas sibi. Relationes autem includuntur ab esentia, vt modi illius, & Paternitas V. g. est modus inadæquatus eius, & propterea esentia in Patre, potest includere Paternitatem, vt modum, & determinationem suam, & non includere eam in Filio sine aliqua distinctione ipsius esentiæ quoad perfectiones esentiales eius.

Ad primam confirmationem, Nego Consequentiam. Ad probationem distin. Antecedens. Quando id, quod pertinet ad esentiam

alicuius,

alicuius, est perfectio essentialis eius constituens eius essentiam Concedo Antecedens. Si pertineat, vt modus determinans essentiam. Nego Antecedens. Nam: quia modus determinat essentiam communicabilem, ipse erit incommunicabilis essentia remanente communicabili, neq; ex hoc sequitur, eidem secundum eamdem rationem conuenire contradictoria, vt explicuimus dub. præced. ad 2.

Ad secundum confirmationem. Nego sequel. Nàm licèt relatiuè concipiatur id, de cuius essentia est relatio, vt perfectio essentialis cóstituens illam: non tamen relatiuè concipitur id, quod in sua essentia includit relationes tamquam modos, quo pacto includit illas Deitas, & ideò secundum modum nostrum imperfectum concipiendi essentia prius concipitur, vt absoluta.

Ad quartũ Arg. distinguo Antecedẽs eodẽ modo. Non est de essentia Deitatis, vt perfectio, & prædicatum essentiale Concedo Antecedens. Vt modus illius, nego Antecedens: dictum autem est non prædicari de qualibet persona diuina, quod est de essentia Deitatis, vt modus.

Ad Confirmationem distinguo consequens. Eodem modo non pertinent ad essentiam Deitatis, vt perfectiones essentiales, concedo consequens, vt determinationes eius, Nego Consequentiam Nàm: quia in Deo nihil est, quod non claudatur in eius essentia, & istæ relationes sunt in Deo, vt determinantes naturam, & constituentes Personas necessariò clauduntur in eius essentia modo prædicto.

Ad quintum distinguo Mai. secundum totum, quod habet, vt dicit Ad. concedo Mai. secundum totum, quod habet, vt dicit IN. nego Mai. Nàm, vt dicit IN. dicit existentiam absolutam Dei communem toti Trinitati, & ideò Paternitas, vt dicit IN. non est propria Patri sicut non est propria illi essentia inclusa in ipsa.

Ad primam probationem Contra hoc. Distinguo Antecedens eodem modo Aliquid Paternitatis, vt dicit IN. esset in Filio, & communicabile, transeat Antecedens, vt dicit Ad. nego Antecedens: Ad secundam probationem, Nego Min. ad istam enim resolutionem, satis est conceptus imperfectos, & inadæquatos essentiæ, & relationis distingui ratione, & vt sic, vnum explicare, quod alter non exprimit, licèt implicite includat de quo dicemus Quæst. 40. Art. 1. ad 4. Exemplum huius reperitur in Ente. Nàm Relatio resoluitur in Ad. & IN. & Actio resoluitur in AB. & IN. & tamèn, AD, & AB. intrinsicè includunt rationem entis, & IN. & nostro modo concipiendi opponuntur ex illis.

Ad primam Confirmationem patet ex his: Nàm: quia relatio in ſuo conceptu imperfecto, non includit eſſentiam; Ideò ſecundum illum conſtituit Perſonam, vt pars.

Ad ſecundam, Nego Min. Ad probationem diſtin. Min. Quandò contrahibile dicit rationē determinatā nō formalitèr incluſam in determinante; concedo Min. & id probant exempla ibi adducta. Quandò verò determinabile dicit rationē inbibitam in determinãte Nego Min. Ens enim (hac ratione) prædicatur de modis contrahentibus ipſum, & quia eſſentia propter ſui infinitatem, & formalem identitatem, quam habet cum omnibus, quæ ſunt in Deo, inbibita in proprijs rationibus eorum ideò poteſt formalitèr prædicari de illis.

Ad tertiam, Nego Min. Nàm D. Thom. ſolum negat illam propoſitionem eſſe per ſe, ſi faciat ſenſum formalem, quem in rigore faciat nomen abſtractum particulare prædicatum de altero abſtracto: Nàm ſenſus illius eſt, Id, quo Filius eſt Filius, eſt id, quo eſſentia eſt eſſentia, & hoc eſt falſum propter virtualem diſtinctionem eorum.

Circa ſecundam Concluſionem.

DVBITATVR III.

An relationes diuinæ, habeant exiſtentias relatiuas ratione diſtinctas ab exiſtentia abſoluta eſſentiæ.



IDETVR, quod ſic. Primò diuinæ relationes ſunt tres res actuales relatiuæ, vt ſuppono de fide, Ergò habent tres exiſtentias relatiuas. Probatur Conſequentia: quia exiſtentia, ita eſt de conceptu realitatis actualis, vt nequeat intelligi actualis ſine exiſtentia: quia exiſtentia eſt ipſa actualitas rei, qua efficitur actualis, Ergò vbi ſunt tres actuales, debent eſſe tres actualitates, quibus efficiantur in actu.

Confirmatur ſi exiſtentia eſſet de ratione materiæ, & formæ Petri, illæ non poſſent exiſtere eadem exiſtentia, Ergò neq; tres relationes

de quarum essentia est existentia, possunt existere eadem existentia singulari, Sed singulæ habent suas existentias relatiuas. Consequentia patet ex paritate rationis, & Antecedens probatur: quia partes habent diuersas essentias partiales, Ergò si existentia est de essentia earum in distinctis essentijs erunt distinctæ existentiæ, licèt omnes tales existentiæ partiales actuentur, & vniantur in vna totali existentia, sicut de facto contingit in sententia eorum, qui dicunt quodlibet suppositum substantiale, habere tot existentias partiales, quot partes actuatas, tamèn vna existentia totali.

Secundò Arguitur. Existentia proportionatur rei, cuius est existentia, sed relationes non sunt absolutæ, Sed relatiuæ, Ergò existentiæ earum debent esse relatiuæ: Mai. patet: Nàm quia 9.meth.tex.13.dicitur Actum, & Potētiam esse eiusdem generis, Sed existentia relationum est vltima actualitas earum, Ergò debet esse relatiua sicut illa.

Tertiò. Relatio creata, habet existentiam propriam distinctam ab existentia Subiecti, vel Fundamenti, quæ est absoluta, Ergò idem erit in Diuinis. Antecedens probatur duplicitèr. Primò: Quia identitas specifica. V.G. cū sit Accidens, non existit per existentiam substantialem duorum Hominū V.G. qui sunt substantia talium relationum, aliàs vnirentur illi substantialitèr: quia teste D. Thom. 3.p. Quæst.2.Art.6.ad 2. substantialitèr, & in persona vniuntur ea, quæ adueniunt enti perfecto, & subsistenti, si trahatur ad existendum eadem existētia substantiali, vt patet in Humanitate Christi, Istę autem relationes, non vniuntur Homnibus substantialitèr, & in persona, Ergò.

Secundò probatur idem Antecedens Relatione creata deperdita, desinit esse in subiecto aliquod esse reale actuale, & illud aduenit adueniente relatione, Ergò ipsa relatio habet existentiam propriam. Probo Consequentiam: quia esse, quod perditur, vel aduenit cum illa, non est esse obiectiuum, & potentiale essentiæ, sed actuale, quod est esse existentiæ.

Confirmatur. Ratio communis clausa in aliquo inferiori, & determinata per illud, non est alterius rationis ab ipso inferiori, vt ratio Animalis clausa, & determinata in Homine, nó pertinet, nisi ad speciem Hominis, Ergò IN. vel existentia clausa in relatione, debet esse relatiua, & pertinens ad illius speciem, & distingui saltim ratione, ab omni IN. vel existentia absoluta.

Quartò. Relationes, vt ratione distinctę ab essentia, constituunt personas (vt dicemus Quæst.40.Art.2.dub.2.) Ergò habent ex istam

ratio-

ratione distinctam ab existentia essentiæ. Probo Consequentiam: quia vt constituant Personas, debent tribuere illis existentiam per se, & incommunicabilitatem: quia hæc duo sunt de ratione Personæ, Ergò, vt tribuant existentiam per se, quatenus ratione distinguuntur ab essentia, debent habere propriam existentiam relatiuam ratione distinctam ab existentia absoluta Dei.

Quinto. In Deo sunt tres subsistentiæ relatiuæ (vt patebit Quæst. seq. Art. 2. dub. 2. Conclusione 1.) Ergò, & tres existentiæ relatiuæ. Probo Consequentiam: quia teste Caiet. infrà Quæst. 54. Art. 1. ad 4. dubium; Idem sunt existentia, & subsistentia; Nàm subsistere est existere sine aliqua dependentia à sustētante; Hoc autem est existere substantialitèr.

Confirmatur duplicitèr. Primò: quia subsistentia, si non identificatur cum existētia, saltem includit illam, & principalitèr significat eam: Nàm subsistentia, est existentia per se sine dependentia ab aliquo sustentante propter; quod Deo, vt præintellecto tribus Personis tribuimus subsistētiam (vt patebit loco citato Conclusione 2.) Ergò si in Deo dantur 3. subsistentiæ relatiuæ, dantur in eo 3. existentiæ relatiuæ. Probo Consequentiam: Quia nomen substantiuum, non multiplicatur in Deo: nisi multiplicata forma, quam principalitèr significat: quia enim tantum est vna Deitas, tantum est vnus Deus, & non tres, Ergò si est triplex subsistentia relatiua, & subsistentia principalitèr significat existentiam; erunt tres existentiæ relatiuæ.

Secundò. In Deo sunt tres Personæ, Ergò tres existentiæ. Probo Consequentiam: quia vt ex Ricar. admittit D. Thom. seq. Art. 3. ad 4. persona in diuinis est diuinæ naturæ incommunicabilis existentia, Ergò, si sunt tres Personæ diuinæ sunt tres naturæ diuinæ incommunicabilis existentiæ.

9 Sed contra est secunda Conclusio Articuli.

In hoc dubio sunt tres sententiæ.

PRima est. In Deo nō esse existētiā absolutam, sed tantum 3. relatiuas, quibus Deitas existit, sicut enim Humanitas in Christo existit existentia Verbi, & nō propria, ita Deitas nō existit aliqua existentia propria, & absoluta, sed existentia relatiua Personarū. Ita quidā relati à Suarez 1. tom. 3. primis disp. 11. sect. 1, & illam insinuat Fonseca 5. meth. Cap. 8. Quæst. 5. sect. 9. Secun-

Secunda eſt. Relationes exiſtere quidem exiſtentia abſoluta, quā habet eſſentia, & nihilominùs illas exiſtere exiſtentijs relatiuis, & ſibi proprijs: quia enim ſunt vna res abſoluta actualis, ſcilicèt eſſentia, & tres res actuales relatiuæ, ſcilicèt Perſonæ, & exiſtentia nihil aliud eſt, quam entitas actualis rei, Ideò habent vnam exiſtentiam abſolutam, & 3. relatiuas. Ità Scot. in 1. diſt. 11. Quæſt. 2. ad 1. & Suar. vbi ſuprà ſectione 2. & in eamdem ſententiam inclināt Medi. 3. p. Qu. 3. Art. 2. & alij Thomiſtæ hic: Quia enim exiſtimant idem eſſe exiſtētiam, & ſubſiſtentiam, & ideò ponunt in Deo 3. exiſtentias relatiuas ſicut ponunt. 3. ſubſiſtentias, relatiuas.

Tertia eſt. In Deo tantum reperiri vnam exiſtentiam abſolutam, per quam exiſtunt omnia, quæ ſunt in Deo abſoluta, & relatiua, & prætèr illam, nullam dari exiſtētiam relatiuam ratione diſtinctam ab abſoluta. Ità Dur. in 3. diſt. 1. Quæſt. 2. Capræol. in 1. diſt. 26. Qu. 1. ad 4. Aureoli contra 3. & diſt. 33. Quæſt. 1. ad 5. & in 3. d. 1. Quæſt. 1. ad 2. Cōtra 2. & d. 5. Quæſt. 1. ad 5. Caiet. hic, Bānes in fine Quæſt. 40. Art. 4. Dub. 2. & alij.

Sed pro explicatione.

Dico primò. In Deo datur exiſtentia abſoluta præintellecta Perſonis, & relationibus.

HAec Concluſio eſt adeò certa, vt oppoſitum non ſolum ſit Temerarium, ſed Error in fide. Probatur. Quia Hier. Epiſtola 57. de Natura diuina ait, quod ipſa ſola eſt, quæ verè eſt, Quod enim ſubſiſtit, non habet aliundè, ſed à ſe, Ergò exiſtere ſubſtantialitèr nō habet à Perſonis. Alia multa teſtimonia Sanctorum pro hac veritate congerit Suarez in ſect. 1. citata, quæ omnia reducuntur ad hoc, quod Exodi 3. dicitur de Deo nomen eius propriū eſſe. QVI EST. Quē locum explicans D. Thom. 1. p. Quæſt. 13. Art. 11. ait, hoc nomē ideò eſſe maximè proprium Dei: quia maximè indicat eius eſſentiam, Sed antequam intelligantur Perſonę intelligitur Deus, habere ſuam eſſentiam perfectam, Ergò & habere exiſtentiam; quæ eſt eius eſſentia.

Confirmatur. Eſſe eſt abſolutum, & perfectio ſimplicitèr, vt patebit Concluſione ſeq. Ergò conuenit Deo, vt præintellecto Perſonis, aliàs Deus, vt præintellectus Perſonis non intelligeretur perfectus, ſed imperfectus, & veluti in potentia eſſentiali ad exiſtentiam.

Secundò

Secundò Deus ante Personas præintelligitur, vt immutabilis, & æternus, Ergò, & existens. Antecedens patet. Quia illa prædicata sunt essentialia, & absoluta, & per Consequens ratione priora personalibus. Consequentia verò probatur. Quia immutabilitas est ratio, & principium æternitatis, æternitas autem: quia dicit durationem Dei, & duratio est ipsum esse, vel supponit esse, etiam æternitas supponit esse Dei.

Ex his sequitur, Essentiam Dei existere, vel esse absolutum, non accipere esse à Personis. Ita D.Thom. de Potentia Quæst. 2. Art. 1. vbi id probat: quia non accipit à Personis suam essentiam: Deitas enim, (vt præintellecta Personis) est perfectum, sed essentia Dei est suum esse, Ergò.

Dico secundò. Personæ diuinæ, & earum relationes tantùm existunt per esse absolutum, & commune Dei, & non per aliquam existentiam relatiuam sibi propriam.

HAec Conclusio est indubitata sententia D. Thom. docet illam in hoc Ar. vbi ait; Relatio in Deo existens, habet esse diuinæ essentiæ, & iterum. Patet Ergò, quod in Deo non est aliud esse relationis, & esse essentiæ, sed vnum, & idem, & Quęst. 40. Art. 2. ad 2. ait, quod Personæ diuinæ non distinguuntur in esse, in quo subsistunt, neq; in aliquo absoluto, sed solum secũdum id, quod dicunt Ad Aliquid. & 3. p. Quæst. 17. Art. 2. ad 3. ait, quod in diuinis Personis non est aliud esse Personæ, præter esse naturæ, & ideo 3. Personæ non habent nisi vnũ esse, & de Potentia Quæst. 9. Art. 5. ad 19. ait Nullo modo concedendum est in diuinis esse, nisi vnum esse, cum esse Dei pertineat ad eius essentiam: quia est eius essentia. Relationes autem, quæ distinguunt supposita in diuinis, non addunt aliud esse, & Quæst. 2. Art. 6. ait, Non est concedendum, quod aliquid absolutum in diuinis multiplicetur sicut quidam dicunt, quod in diuinis est duplex esse Essentiale, & Personale. Omne enim esse in diuinis, est essentiale; nec persona est nisi per esse essentiæ, & in Quæst. 8. Art. 1. ad 11. ait. In diuinis nullo modo est esse: nisi essentiæ, sicut neque intelligere, nisi intellectus, & propter hoc sicut in Deo est tantum vnum intelligere, ità etiam vnum esse, & ideò nullo modo concedendum est, quod aliud sit esse relationis, aliud essentiæ in diuinis, & de Veritate Quæst. 1. Art. 5. ad 18. ait

Quamuis

Quamuis in diuinis ponantur plures Personæ, vel proprietates: non tamèn ibi ponitur nisi vnum esse: quia esse in diuinis non dicitur nisi essentialitèr. Idem habet Quodlib. 12. Art. 1. & in secundo, distin. 1. Quæst. 1. Art. 2. & in 1. dist. 33. Quæst. 1. Art. 1. ad 1. & ad Anibal. ibidem ad 2. & in Art. 1. huius Quæstionis, & infrà Quæst. 39. Art. 3. & Quæst. 89. Art. 4. Quibus omnibus in locis docet existentiam dici de Deo absolutè, & pertinere ad eius essentiam, & ideò non multiplicari in Personis diuinis.

Ex his sequitur glosam Fran. Suarez, vbi supra, dicentis D. Thom. solum velle, quod esse essentiale, sit vnum in Deo, & non negare triplex esse personale, vel relatiuum expressè contradicere D. Thom. neganti in locis adductis, in Deo dari aliquod esse personale distinctũ ab esse essentiæ: quia esse nunquam est relatiuum.

Confirmatur. Nã idem docent expressè Aug. & alij, Etenim Aug. 5. de Trinitate Cap. 9. & 10. & lib. 6. Cap. 10. ait, Esse Verbi esse prædicatum essentiale sicut videre, vel intelligere, quod etiam habet D. Thom. locis citatis, sed in Deo solùm ponimus vnum viuere, vel intelligere essentiale, & absolutum, & non triplex relatiuum, Ergò nec triplex esse: Nam esse Dei (cum sit omnium perfectissimum) est ipsum intelligere. Item Idem Aug. 7. de Trin. Cap. 4. ait Omnis res ad se ipsam subsistit, Quãtò magis Deus, & Cap. 5. & 6. expressè docet esse, quod vocat subsistere, in Deo esse absolutum, & non relatiuũ, quod etiam admittit Hieron. vbi suprà. Sed in Deo sola relatiua multiplicantur, & non absoluta, Ergò non multiplicatur esse.

Secundò probatur. Existentia relationum diuinarum non dicit respectum ad correlatiuum, sed tantum respicit suum subiectum, Ergò est absoluta, & non multiplicatur. Consequentia patet: Quia solum multiplicantur relatiuã, & non est relatiuum, quod non respicit alterum correlatiuum Antecedens verò est D. Thom. hic, & in 1. dist. 33. vbi suprà, & ad Anibal. ibidem, vbi ait, quod quandò in diffinitone relationis dicitur cuius esse est ad alterum, id non intelligitur de esse existentiæ, sed essentiæ: Nàm existentia relationis, sicut cęterorum accidentium respicit subiectum, & non difinitur per terminum, vel correlatiuum aut per eius existentiam, sed tãtum per subiectum, aliàs, si ratione existentiæ respiceret correlatiuum omnibus modis esset assistens, & nullo modo relatio esset intrinsecus affixa: quia nec ratione IN. nec ratione AD. respiceret subiectum, sed terminum, & ita nihil poneret in subiecto, vt hic deducit D. Thom.

Tertiò, Existentia absoluta Dei habet se veluti suprema actualitas

omnium, quæ sunt in Deo, sed non sic se potest habere respectu existẽtiarũ, relatiuarum, quę tribuuntur Personis, Ergò illæ non sunt ponendę. Mai patet. Quia existentia absoluta, vt sic, est cõmunis omnibus perfectionibus, & relationibus Dei, sicut cętera absoluta; Eius autèm ratio est, esse supræmam actualitatem, nihil includẽtem de potentialitate, & tribuere existere ei, cui conuenit: hoc enim est, veluti effectus formalis primarius eius: Existentia autèm, est suprema, & vltima actualitatis rei, sine qua, non intelligitur esse in actu, sed in potentia; Ergò. Min. verò probatur: Quia existentia relatiua etiam, intelligetur, vt suprema actualitas: Quia hoc est de ratione cuiuslibet existẽtiæ, Nihil autèm potest esse actualitas, nisi respectu eius, quod habet aliquam potentialitatem, Ergò, si existentia relatiua, est vltima actualitas, nihil includens de potentialitate; nõ poterit actuari per absolutam.

Confirmatur duplicitèr. Primò: Quia fieri nequit, vt aliqua res habeat duas vltimas actualitates, & duos vltimos terminos sicut neque, quod habeat duas vltimas differentias, aut duas personalitates. Hoc autem contingeret, si Personæ diuinæ, haberent existentias relatiuas: Nàm prætèr illas, haberent etiam absolutam, & vtraquè esset vltima actualitas, Ergò.

Secundò: quia aliàs, Persona diuina, constans ex essentia, & relatione, non esset vnum per se: Nàm ex duobus omninò actualibus, & in actu, nequit constitui vnum per se, Si autèm relatio habet propriã existentiam, cum illam etiam habeat essentia, & Persona constet ex essentia, & relatione, constituetur ex duobus entibus actualibus, & in actu, quod non est admittendum.

Quartò, Vnica existentia, existũt in Homine Anima, Corpus Personalitas, & si qui sunt alij modi substantiales in eo, vt suppono ex doctrina D. Thom. Ergò per eamdem existentiam, existet Deitas, & relationes, quæ sunt modi, & determinationes substantiales illius.

Confirmatur: quia aliàs, esset ponenda in Deo vna absoluta Bonitas, Immutabilitas, Aeternitas, Infinitas, & pura Actualitas, & 3. relatiuæ. Consequens est contra Aug. qui 5. de Trin. Cap. 10. connumemerat ista prædicata intèr absoluta, quę non multiplicantur in Deo, Ergò. Sequella patet: Nàm istę perfectiones, sequuntur existentiam, Ergò multiplicata existentia relatiua; ipsæ multiplicabuntur, & ità erit triplex relatiua Bonitas, Infinitas, vel pura Actualitas &c. Nàm etiam existentia relatiua, habet suam Bonitatem Aeternitatem, & puram Actualitatem, cum nõn sit actualitas recepta: quia hoc dicit

imperfectionem repugnantem Deo.

Quintò. Ratio formalis Deitatis, extēditur, & includit relationes: quia est infinita omnibus modis, vt diximus dub. præced. Ergò existentia eius, quæ nec ratione ratiocinata distinguitur ab illa, extendetur etiam ad relationes, vt possit existere per eam, aliàs, in ratione existentiæ, esset determinata ad absoluta, & non infinita omnibus modis, sicut ipsa essentia.

Confirmatur: quia aliàs, relationes facerent compositionem, cum essentia, quod repugnat eius simplicitati. Sequella patet: Nàm forma (quæ super addit nouum esse) facit compositionem, cum præexistenti, Ergò si relatio super addit Deitati nouum esse, facit compositionem cum illa.

Confirmatur secundò. Nàm in Deo, teste D. Thom. suprà Quæst. 3. Art. 5. & infrà Quæst. 30. Art. 4. ad 3. non datur aliquod prædicatum, quod sit genus, species, vel vniuersale: quia omne vniuersale prædicatur de pluribus habentibus diuersas existentias, & in Deo tantùm est vna, Ergò relationes, & Personæ, non habent diuersas existentias, aliàs, posset in Deo reperiri Vniuersale, quod sit Genus, vel species.

Ad primum ergò. Nego Consequentiam. Ad probationem nego etiam Consequentiam: quia vt sint 3. res actuales, sufficit vna actualitas existentiæ, intrinsecè imbibita in illis, sicut de conceptu sapientis, vel rei extensæ, est sapientia aut quantitas, & tamèn (licèt in diuinis sint 3. Personæ sapientes) non est ibi triplex sapientia, sed vna, qua omnes sunt sapientes, & licèt in Pomo sint 3. res extensæ actualitèr, scilicèt substantia, color, & sapor, non sunt ibi 3. quantitates, Sed vna sufficit pro extensione omnium. Ità Ergò dicendum est in præsenti.

Ad Confirmationem Nego Consequentiam. Differentia est: quia, si existentia, esset de propria ratione materiæ, & formæ, cum habeant diuersas rationes, deberent habere distinctas existentias proprias, cōuenientes sibi secundum suas proprias essentias, in quibus distinguuntur, & ità non haberent aliquam singularem communem existentiam sibi, in qua conuenirēt; Perfectiones autèm absolutè, & relationes Dei includunt quidèm existentiam non propriam singulis, sed absolutam, & communem omnibus, vndè si considerarentur, vt includentes essētiam, cui est propria talis existentia, non intelligerentur vt actuales, sed vt potentiales, & sine existentia, & ideò, modò possunt existere eadem existentia communi, & absoluta.

Ad secundum Nego Consequentiam: Nàm proportio requisita

inter

inter formam, quæ dicit naturam ſpecificam, & eius exiſtentiam, non eſt, quod habeant eamdem naturam, & idem ſpecificatiuum: Nam Theologia, v. g. ſpecificatur ab obiecto, ſcilicèt Deo: Eius verò exiſtentia, non eſt habitus ſpecificatus à Deo: quia, vt ſic, ſolùm reſpicit ſubiectum, cui inhæret. Conſiſtit Ergò proportio inter formam, & eius exiſtentiam, quod vtraque debet eſſe ſubſtantialis, vel accidentalis, corruptibilis, vel incorruptibilis, & ſpiritualis, vel materialis, & quod exiſtentia recipitur in eodem ſubiecto, in quo recipitur forma, licèt recipiatur in illo, mediante ipſa forma, & quod dependet conſeruatur, vel corrũpitur ab eiſdem cauſis, à quibus forma, & eſt actualitas illius, & hac ratione, reducitur ad ſpeciem, vel Prædicamentum formæ. Ità Cai. Cap. 5. de Ente, & Eſsentia Quæſt. 10. ad 8.

Secundo Reſpondeo Diſtinguẽdo Mai. Exiſtentia debet proportionari ei, cuius eſt per ſe primò, & ei cuius eſt, ſi dicat formam ſpecificã completam in ſua ſpecie, & ratione, tranſeat Mai. Si verò non per ſe primò competat illi, & illa dicat modum naturę ſpecificæ, & non quidditatem completam, nego Mai. & quia Relationes diuinæ, nõ per ſe dicunt naturam completam, ſed determinationem eſsentię, cui per ſe primò conuenit exiſtentia, Ideò non debent habere exiſtentiam ſibi propriam, & relatiuam tantùm, ſed tam exiſtenti, Deitatis, quæ præhabet eminentèr, omnem rationem exiſtentiæ, ſicut ipſa eſsentia præhabet omnem rationem entis.

Ad tertium Nego Conſequentiam. Differentia eſt triplex.

Prima: quia exiſtentia relationis creatæ, eſt abſoluta, vt diximus ex D. Thom. quia, vt ſic, reſpicit ſubiectum, & quia in Creaturis poteſt multiplicari abſoluta, & non in Deo, & exiſtentia, vt ſic, ſit abſoluta: quia, vt ſic, reſpicit ſubiectum, & non correlatiuum, ideò in Creaturis poterunt multiplicari exiſtentiæ formarum, & non in Deo, exiſtentiæ relationum.

Secunda eſt: quia relatio creata, eſt accidens, faciens compoſitionem cum ſubiecto, & ideò, poteſt illi ſuperaddere nouam exiſtentiam ſuperuenientem rei exiſtenti in actu: Relatio autèm diuina, non eſt accidens, nec facit compoſitionem cum eſſentia, & ideò non poteſt illi ſuperaddere nouam exiſtentiam.

Tertia eſt: Quia exiſtentia abſoluta creaturæ, eſt finita, & ità determinata ad formam, à qua oritur, quod per eam nequeant exiſtere alia, quæ ſint, diſtincti generis: Exiſtentia autèm diuina, eſt ſimplicitèr infinita in omni genere, & ideò, ſicut eſſentia (vt eſſentia) includit abſoluta, & relatiua, ità eſſentia (vt eſt exiſtentia) tribuit exiſtere abſolutis, & relatiuis.

Ad Confirmationem Distinguo Antecedens. Si illa ratio est communis, vt vniuersale, trãseat Antecedens. Id enim probat Argumentum. Si verò sit cõmunis: non quia est vniuersalis, sed: quia est omninò singularis, formalitèr identificata cum eis, quibus conuenit. Nego Antecedens v.g. Intelligere Dei, est commune essentiæ, & Personis, & in Personis, non determinatur ad esse relatiuum: quia non est commune, vt vniuersale, Sed per formalem identitatem. Eodem Ergò modo: quia existentia, vel IN. relationum, non est illis commune, vt vniuersale, sed per formalem identitatem, non determinatur ad esse relatiuum in relationibus, sed manet absolutum.

Ad quartum distinguo Antecedens. Relationes, vt ratione distinctæ ab essentia, constituunt Personas, quantum ad omnia requisita, scilicèt, quantum ad existentiam. Nego Antecedens quantum ad aliqua, scilicèt, incommunicabilitatem, & distinctionem. Concedo Antecedens: Nàm ideò, (vt dicemus ibi Conclusione 5.) Relatio, vt dicit IN. non constituit perfectè Personam: quia, vt sic, non dicit aliquid relatiuum, & incommunicabile, sed constituit Personam, quantum ad hanc imperfectam rationem personæ scilicèt, vt dicit existentiam, quatenus est idem cum essentia, & dicit existentiam absolutam, De quo ibi latius.

Ad Quintum distinguo Antecedens. Tres subsistentiæ, vt subsistentia significat existentiã, Nego Antecedens, vt significat Personam, vel Personalitatem eo modo, quo dicemus Quæst. sequenti Art. 2. dub. 2. Conclusione 1. Concedo Antecedens, & nego Consequentiam: Nàm existentia distinguitur à subsistentia isto modo sumpta in Deo secundum rationem: in Creaturis verò, realitèr: quia subsistentia dicit personalitatem, quæ est realitèr distincta ab existentia Creaturæ, & ideò licèt in Deo, dentur tres subsistentiæ relatiuę, idest tres Personalitates, vel personæ non debent dari tres existentiæ, sicut nec tres essentiæ, vel tres intellectiones; Caiet. verò, loquitur de subsistentia, primo modo sumpta.

Ad primam Confirmationem Dictum est, subsistentiam, quæ multiplicatur, in Deo, non esse existentiam, sed Personalitatem, & ideò, ex triplici subsistentia, quam ponimus in Deo, non sequitur, in illo esse tres existentias.

Ad secundam Confirmationem, Nego Consequentiam. Ad probationem Respondeo. Ricardum, sumere abstractum pro concreto, scilicèt existentiã pro Persona existenti incommunicabilitèr quo modo sumpsit etiam Ioannes Latinus in Concil. Floren. sect. 19. & idem

Ricar. ibidem Cap. 18., & 19. expresſè ſumit exiſtentiam in abſtracto pro Perſona exiſtente in Concreto.

Secundo Reſpondeo, Ex Alenſi 1. p. Quæſt. 44. in Corpore, & ad 5. Ricardum non ſumere exiſtentiam, ſicut nos pro actu exiſtendi, vt patet apud ipſum lib. 4. de Trin. à Cap. 12. vſq; ad 20. ſed ſumit exiſtentiam pro proprietatibus, quæ ſunt ex alio, vel ex qua ſunt aliæ, & ideò multiplicatis Perſonis, multiplicantur quidem exiſtentes in natura diuina, vel proprietates, quæ ſunt ex alijs, vel ex qua ſunt aliæ, non tamen multiplicantur exiſtentiæ: quia omnes illæ exiſtunt vna ſingulari, & abſoluta, Sed communicabili exiſtentiæ.

Circa tertiam Concluſionem.

DVBITATVR IV.

An relationes diuinæ, vt ſic, vt ratione ſunt diſtinctæ ab eſſentia, dicant aliquam perfectionem in Deo.



IDETVR, quod non. Primò: Quia aliàs eſſent in Deo tres Perfectiones tres Bonitates, & tres Magnitudines. Conſequens eſt falſum, Ergò. Sequella patet quia Bonitas, & Perfectio ſunt idē, & Magnitudo (virtutis etiam) eſt idem, quod perfectio, Ergò ſi quælibet relatio, vt ratione diſtincta ab eſſentia, dicit perfectionem, ſicut ſunt tres relationes, & tres res, Erunt tres perfectiones, bonitates, & magnitudines. Min. verò probatur dupliciter. Primò: quia Perfectio, Bonitas, & Magnitudo ſunt prædicata abſoluta: dicuntur enim in ordine ad obiectum, & non in ordine ad correlatiuum, Ergò non debent multiplicari in Deo. Secundò eadem Min. patet: Quia D. Aug. 6. de Trinit. Cap. 2. 3. 5. & 7. & lib. 7. Cap. 1. & 2. & lib. 8. Cap. 1. & 2. & in alijs multis locis, docet Magnitudinem Dei, eſſe prædicatum abſolutum, Ergò non debet in Deo multiplicari.

Secundò Arguitur. Quia aliàs, aliqua perfectio eſſet in Filio v. g.

quæ non esset in Patre; Consequens non debet admitti, Ergò. Sequella patet: Nàm filiatio esset perfectio, & est in Filio, & non in Patre, Ergò Min. verò probatur: Nàm aliàs Pater non esset simplicitèr, & infinitè perfectus: deesset enim ei perfectio Filiationis, quę est apta esse in persona diuina, scilicèt Filio, & hoc sufficit non solum, vt non sit infinitè perfectus, sed etiam, vt sit priuatè imperfectus. Nàm teste D. Thom. infra Quæst.33. Art.4. ad 3. Pater dicitur ingenitus priuatiuè: quia deest illi ratio geniti, quæ est apta esse in alia persona diuina, scilicèt Filio, Ergò. Similitèr Pater dicetur imperfectus priuatiuè: quia deest illi perfectio Filiationis, quæ est apta esse in Filio.

Confirmatur triplicitèr. Primò: Quia aliàs Pater, & Filius, essent perfectiores Spiritu Sancto. Consequens est contra fidem, Ergò. Sequella patet: Nàm Pater, & Filius, habent plures relationes, & per consequens plures perfectiones, quàm Spiritus Sanctus: Est autem perfectius id, quod habet plures perfectiones, quarum singulæ sunt æquales perfectioni alterius. Min. verò patet ex Aug. 6. de Trin. Cap. 8. & 10. & lib. 8. Cap. 1. & lib. 3. contra Maxim. Cap. 10. & Ser. 38. de Tempore, & ex Ansel. Monologion Cap. 53. & Prosologion Cap. 23. vbi probant omnes personas esse æquales inter se, & cum qualibet seorsum sumpta: quia omnium est vna essentia.

Secundò: Quia aliàs, ipsæ relationes essent inæquales in perfectione, & consequenter ipsæ personæ non essent æquales inter se. Consequens est contrá fidem, vt dictum est, Ergò. sequella patet. Illę relationes sunt perfectiones, & differunt quasi specie, Ergò sunt inæquales in perfectione. Probo Consequẽtiã: quia inæqualitas perfectionis fundatur in diuersa Quãtitate perfectionis, Ergò si in qualibet relatione est perfectio, quæ est Quantitas perfectionis, vel virtutis, cum illæ sint quasi specie diuersæ, erit inæqualitas inter eas.

Tertiò. Relationes diuinæ non sunt perfectiones simplicitèr, nec secundum quid, Ergò nullo modo sunt perfectiones. Consequentia patet: quia omnis perfectio, est perfectio simplicitèr, vel secũdũ quid. Antecedens verò pro prima parte probatur: quia perfectio simplicitèr est illa, quæ in vnoquoq; indiuiduo entis, melior est ipsa, quàm non ipsa, Sed Paternitas v.g. non est melior Filio, quam Filiatio, quæ est non ipsa Paternitas, Ergò.

Pro secũda parte etiam patet idem Antecedens: Nàm perfectio secundum Quid inuoluit aliquam imperfectionem, & limitationem, & ideò non potest esse in Deo.

Tertiò Arguitur. Relationes, vt distinctæ ab essentia, nec sunt perfectio-

fectiones finitæ, neq; infinitæ, Ergò nullo modo. Consequentia patet: & Antecedens pro prima parte probatur dupliciter. Primò: quia in Deo nihil est, quod sit formalitèr finitum: Nàm quicquid est in Deo est Deus, & per consequens, aliquid finitum esset Deus, & ita Paternitas esset perfectio finita, cum formalitèr sit in Deo, erit formalitèr Deus, & ita aliquid finitum, esset formalitèr Deus.

Secundò: quia omnis perfectio finita est participata, & non per essentiam: Nàm perfectio per essentiam nõ est limitata, Sed omnis perfectio participata, est Creatura, & nõ Deus, Ergò si persona constituitur in Deo per relationem, quæ sit perfectio finita, constituetur in esse personæ diuinæ per formam creatam.

Pro secunda etiam parte, probatur idem Antecedens triplicitèr. Primò: Quia aliàs in Deo darentur tria infinita simplicitèr, vel tres infinitates simplicitèr realitèr distinctæ, scilicèt tres relationes, quarum quælibet est perfectio simplicitèr infinita, & realitèr distincta ab alia. Consequens implicat: quia vnum simplicitèr infinitum includit intrinsecè totam perfectionem Entis, & ita non remanet per quod distinguatur ab alio simplicitèr infinito, Ergò.

Secundò: quia aliàs darentur tres essentiæ diuinæ, quod est contra fidem. Sequella patet Perfectio simplicitèr infinita in genere Entis essentialitèr est essentia diuina, Ergò, si sunt tres perfectiones simplicitèr infinitæ in genere entis erunt tres essentiæ diuinæ.

Tertiò Nulla ratio in sua ratione formali includit aliam, vt pertinẽtem ad suam essentiam, Ergò non solùm non est perfectio simplicitèr infinita in toto Genere Entis, sed neq; infinita in genere relationis. Antecedens supponitur: quia Vna relatio opponitur alteri, & per consequens non includit illam, & Consequentia probatur: quia non est perfectio simplicitèr infinita, vel infinita in aliquo genere illa, cui de est alia perfectio simplicitèr, vel eiusdem generis.

Cõfirmatur. Perfectio Paternitatis comparata ad perfectionem essentiæ, vel est æqualis illi, vel minor, si æqualis, Ergò est simplicitèr infinita in omni genere, sicut essentia, & ità cum sint tres relationes quarum quælibet, est simplicitèr infinita in omni genere. dabuntur tres perfectiones simplicitèr infinitæ in omni genere, & ita dabuntur tres essentiæ diuinæ. Si verò est Min. Ergò perfectio earum, est limitata, & finita, & per consequens creata.

Confirmatur secundò. Perfectio relatiua, est perfectio in genere Entis, Ergò est finita, vel infinita in genere Entis, & quolibet eorum dato, sequuntur inconuenientia adducta in Cõfirmatione præcedenti.

Antecedens patet. Entitas relatiua, est entitas realis in genere Entis, Ergò perfectio relatiua, est perfectio realis in genere Entis, & ità, si esc infinita in genere Relatiuo, erit infinita in genere Entis.

Quartò Arguitur. Paternitas, vt ratione distincta ab esentia, non dicit relationem absolutam, nec relatiuam, Ergò nullam. Antecedens patet pro prima parte: quia omnis perfectio absoluta, est perfectio esentiæ, Ergò non conuenit relationi, vt distinctæ ab essentia, aliàs non esset perfectio solius esentiæ, si conueniret relationibus, vt distinctis ratione ab illa. Pro secunda etiam parte probatur idem Antecedens: Nàm Paternitas diuina, vt dicit Ad. non dicit perfectionem subiecti: quia, vt sic, non respicit subiectum: solùm enim respicit illud, vt dicit IN. nequè est perfectio correlatiui: quia, vt sic, non inest illi, Ergò nullo modo est perfectio omnis enim perfectio, inest alicui perfectibili, quod perficit.

Quintò. Quia aliàs, Deus, vt præintellectus personis, & relationibus, non esset Deus perfectus: cũ non intelligeretur, vt habens omnem perfectionem, scilicèt relationem. Consequens est contra fidem: Nam præintelligitur illis, vt ens simpliciter infinitum, Ergò.

Sed contra est.

QVia Damas. lib. 1. de fide Cap. 11. distinguit perfectionem diuinarum, sed ista relatio, Ergò.

In hoc dubio sunt quinque sententiæ.

PRima est. Relationes diuinas, vt ratione distinctas ab essentia, nullam dicere perfectionem, nec imperfectionem. Ità Scotus in 1. dist. 8. Quæst. 4. & in 3. dist. 1. Quæst. 2. & 4. & quodlib. 5. Art. 1. & 2. Duran. in 3. dist. 1. Quæst. 3. nu. 13. Capræol. in 1. dist. 7. Quæst. 1. ad 3. contra primum. Ricar. dist. 24. Art. 1. Quæst. 3. Caiet. in Opusc. de Ente, & essentia Cap. 2. & hic circa solutionem ad 3. & Quæst. seq. Art. 3. Ferrar. 2. contra Gentiles Cap. 9. & lib. 4. Cap. 14. & Moli. Infrà Quæst. 42. Art. 3.

Secunda est. Relationes diuinas non dicere perfectionem formalem, sed transcendentalem, ità Fonseca 4. Meth. Cap. 2. Quęst. 7. Cõclusione 7. Explicat autèm hoc: quia perfectio formalis, dicit aliquid pertinens ad esentiam, & attributa Dei: perfectio verò transcendẽ-

talis

talis, est negatio defectus alicuius conditionis debitæ rei, & quia relationes non dicunt aliquid pertinens ad essentiam, vel attributa Dei, eis tamèn, non deficit aliqua conditio sibi debita, ideò non inducunt perfectionem formalem, sed transcendentalem.

Tertia est. Relationem, vt dicit Ad, & vt est ratione distincta ab essentia, dicere veram, & realem perfectionem, sed relatiuam, & incommunicabilem, & ità in Deo esse 3. perfectiones relatiuas. Ità tenent Clitoueus super 1.lib. Damasceni de fide Cap.11. Herueus lib.1. Sententiarũ dist.2. Quæst.4. Gabri. in 1. dist.7. quęst.3. & ibidem Ocam, & Aureolus, vt refert Capræol. in eadem d.91. Arg.3. contra 1. Valentia lib.2. de Trinitate Cap.12. & Suarez lib.3. de Trinitate Cap.9. & 10. & lib.5. Cap.2.

Quarta est. Relationes diuinas, quia sunt idem, cum essentia, & necessariò includunt illam, dicere perfectionem, eam tamèn, quam dicit essentia, ex quo infert ista sententia; Paternitatem in Patre, esse eamdem non perfectionem, quam Filiatio dicit in Filio, & ità nullam perfectionem esse in vno, quæ non sit in alio: quia omnis perfectio relationis est perfectio essentiæ, & essentia æqualitèr est in omnibus personis, ità tenent Torres hic disput.3. p.2. & Maior in 1. dist. 53. ad 2. Arg.

Quinta est. Gabrielis Vazq. hic disp.122. Cap.6. pro cuius declaratione dicit duo.

Primum est. Relationes pertinere ad perfectionem Dei.

Secundum verò est. Relationes tres diuinas, non esse in Deo tres perfectiones reales, sed secundum rem esse vnam perfectionem, & & ideò non sequi aliquam perfectionem secundum rem esse in vna Persona, quæ non sit in alia, licèt id admittatur de perfectione secundum rationem.

Vt autem explicet suum 2. dictum supponit Tria.

Primum est. Perfectionem sumi duplicitèr. Primò pro integritate cuiuslibet rei. Secundò pro eo, quod quomodolibet pertinet ad integritatem rei, & est consonum, vel conueniens illi.

Secundum est. Esse differentiam inter has duas perfectiones, quod perfectio primo modo, non debet distingui ex natura rei, ab eo, cuius est perfectio, & integritas realis, Perfectio verò secũdo modo sumpta, vt sit realis perfectio alicuius, debet distingui ab illo ex natura rei: quia nihil realitèr perficit se ipsum, sed id quod ex natura rei, est diuersum, & ideò si aliquid perficit id, quod solum est diuersum ex nostro modo intelligendi, non erit perfectio realis illius, sed perfectio secundum rationem.

Ter-

Tertium est: Perfectionem cuiuslibet rei sumptam primo modo solùm esse vnam, licèt integretur ex pluribus partibus: quia sicut ex pluribus fit vnum totum, & integrum, ità ibi tantùm est vna integritas.

Quibus suppositis Vazq. Probat primam partem sui secundi dicti: Nàm omnes perfectiones absolutè, & relationes veluti integrant vnā essentiam Dei: sinè illis enim, non esset integra, & omninò perfecta, neq; haberet totum, quod pertinet ad eius infinitatem, Ergò omnes illæ solùm, sunt vna perfectio Dei primo modo.

Secundam verò partem probat: quia, licèt in Deo reperiantur 3. relationes reales; tamèn illæ non sunt 3. perfectiones reales: quia neq; ab essentia, neque à persona realitèr distinguuntur, vel ex natura rei: quia verò distinguuntur, & perficiunt illas solùm secundum rationē, ideò solùm secundum rationem sunt 3. perfectiones, & ità licèt Paternitas sit realitèr in Patre, & non in Filio, non indè sequitur, in Patre esse aliquam perfectionem realem, quæ non sit in Filio, sed solùm sequitur, esse in Patre aliquam perfectionem secundum rationem, quæ non sit in Filio: quia Paternitas, (cum sola ratione distinguatur à Patre) solùm est perfectio illius secundum rationem.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Absolutè concedendum est, Relationes diuinas dicere increatam, & infinitam perfectionem.

HAec Conclusio est omninò certa, & videtur diffinita in 6. Synodo Generali Sessione 18. vbi dicitur. Credimus vnam substantiam in tribus subsistentijs vnitatem proptèr vnionem, Trinitatem proptèr subsistentiarum perfectionem, sed subsistentiæ sunt ipsæ relationes, vt dicemus Quæst. sequenti Art. 2. Ergò. Eamdem Conclusionem docet D. Thom. supra Quæst. præcedenti Art. 2. ad 3. dicens, In perfectione esse diuini, continetur Verbum, & principium eius, & quæcumquè pertinent ad perfectionem eius, quo insinuat Relationem Verbi, & Patris pertinere ad perfectionem Dei.

Confirmatur. Nàm in præfatione Myssæ Trinitatis dicitur, Relationes, vel proprietates esse adorandas, & Teste D. Tho. hic in Arg. Sed contra, non debēt adorari dulia, vel iperdulia, sed latria, Ergò dicunt

cunt infinitam perfectionem: solùm enim adoratur latria id, quod est in finitum bonum, & ipsę Deus.

Secundò. Relationes diuinę includunt intrinsecè essentiam diuinam, sed illa est infinita perfectio, Ergò relatio diuina includit intrinsecè infinitam perfectionem. Mai. patet ex dub. 2. huius Art.

Confirmatur. Relationes diuinæ sunt volitæ à Deo, Ergò dicunt bonitatem, & perfectionem, Imò: quia necessariò sunt volitę debent dicere infinitam perfectionem. Consequentia patet: quia sola infinita bonitas necessitat volũtatem Dei ad eius volitionem. Antecedẽs autem patebit Quæst. 41. Art. 2. vbi ostendemus Deum necessariò velle generationem Filij, & processionem Spiritus Sancti. Isti autèm actus notionales, vt sic, includunt relationem diuinam.

Tertiò, Relationes diuinæ possunt terminare, & suppositare naturas creatas etiam infinitas, Ergò dicunt infinitam perfectionem. Antecedens, Quod possunt terminare aliquam naturam creatam; patet ex Incarnatione Verbi, cuius personalitas, scilicèt, Filiatio immediatè suppositat Humanitatem. Quod verò possit terminare infinitas, ostendit Caiet. 3. p. Quæst. 3. Art. 1. Consequentia verò probatur: quia teste D.Thom. ibidem; Terminare naturam alienam requirit infinitam perfectionem in terminante, & ideò potest competere Deo, & manifestum etiam est, quod posse terminare infinitas naturas arguit infinitatem in terminante.

Quartò. Cognoscibilitas relationis diuinæ, & infinita, & incompræhẽsibilis intellectu creato est, Ergò dicit infinitam perfectionem. Antecedens patet ex illo Isaiæ 53. Generationem eius, quis ennarrabit. Generatio autèm Dei, teste D.Thom. infra Quæst. 41. Art. 1. ad 3. dicit relationem, & ratio est: quia illa cognoscibilitas non est finita nec compræhensibilis intellectu creato, & est, Ergò est infinita, & incompræhensibilis. Valet enim Consequentia à negatiua ad affirmatiuam variato prædicato per ès finitum, & infinitum, & posita constantia. Consequentia verò patet: quia sola infinita perfectio, est incompræhensibilis creaturæ.

Quintò. Illa est perfectio simplicitèr, & in Deo, est perfectio infinita, quæ in quolibet Ente, est melior ipsa, quàm non ipsa, sed melius est Deo habere istas relationes, quàm non habere illas, Ergò illæ sunt perfectiones simplicitèr, & in Deo dicent perfectionem infinitam. Mai. est manifesta ex diffinitione perfectionis simplicitèr, quæ omnes in Deo sunt infinitæ.

Min. probatur: quia, si Deo esset melius non terminare istis relationibus,

tionibus,quàm eis terminari,cum Deus actu terminetur illis,non esset Deus: quia Deus est id, quo nihil maius,vel melius potest excogitari, Excogitaretur autem melior Deus,cuius natura talibus relationibus non terminatur.

Confirmatur. Istæ relationes absolutè sunt Deus, Ergò absolutè dicunt perfectionem infinitam. Antecedens patet ex supra dictis.

Dico secundò. Relationes diuinæ, dicunt perfectionem etiam, si considerentur, vt sunt ratione distinctæ ab essentia, non verò, vt sunt præcisè ab essentia.

PRo Explicatione primæ partis supponendum est, quod, vt relatio ratione differat ab essentia,non est necesse, vt non includat essentiam,Sed satis est,quod licèt includat eam, tamen in formali conceptu relationis,vt sic, explicetur respectus, & AD. quod non explicatur in formali conceptu essentiæ,vt sic, sicut ratione distinguuntur Entitas,& Veritas, Essentia,& Idea: quia,licèt veritas intrinsicè includat entitatem,tamèn explicat ordinem ad intellectum,quem non expressè significat Entitas,& licèt idea hominis v.g. includat essentiam diuinam,tamèn ratione distinguitur ab illa: quia explicat respectum rationis ad Hominem,quatenus scilicèt est imitabilis ab Homine, quem respectum non explicat essentia. Ità similitèr,licèt Relatio diuina in sua formali ratione,includat essentiam,distinguitur tamèn ratione ab illa: quia explicat respectum, & AD. quem non explicat essentia.

Hoc supposito. Prima pars Conclusionis probatur. Relatio diuina, etiam,vt ratione distincta ab essentia,includit intrinsicè illam, Ergò, vt sic, dicit perfectione Probo Consequentiam: quia id, quod includit essentiam diuinam, necessariò importat infinitam perfectionem.

Secunda verò pars Conclusionis, patet ex Conclusione 5. dubij secundi: Nàm si ratio Deitatis, & essentiæ,essentialitèr clauditur in ratione propria relationis, veluti ratio communis, & transcendentalis ad eam,Implicat conceptum relationis præcindi ab essentia.

Confirmatur: quia si posset præcindi, & non includere essentiam non diceret aliquam perfectionem,cuius contrarium ostendimur Cóclusione 1. quia (vt dicetur Cóclusione 5.)Relatio diuina solùm importat perfectionem essentię,& nullam aliam etiam ratione distinctā. De hac secunda parte Conclusionis vide Suarez tom. 1. 3. partis disp. 11. sect.

11.sect.2.& Henricum quodlib.1. Quæst.1.

Dices. Paternitas v.g. potest concipi, vt secundum se totam incommunicabilis, Ergò potest concipi, vt ratione præcisa ab essentia. Antecedens patet:quia potest concipi,vt secundum se totam,est proprietas constitutiua, & distinctiua Patris, quod non habet: nisi vt secundum se totam,est incommunicabilis.

Consequentia verò, probatur: Quia si vt sic,intelligeretur claudere essentiam;non intelligeretur,vt tota incommunicabilis:quia intelligeretur, vt communicabilis,secundum rationem essentiæ, quam includit.

Sed Respondeo,distinguẽdo Antecedens. Secundũ se totam chategorematicè,idest,secundum completam,& integram rationem suam, & secundum omnia,quæ includit, vt simul sumpta, veluti integrant vnam rationem relationis diuinæ. Concedo Antecedens. Secundum se totam Sinchathegorematicè,idest,secundum quamlibet rationem, quam includit;Nego Antecedens. Vt autèm constituat,& distinguat Personas incommunicabiles,satis est, vt sit incommunicabilis primo modo,licèt non secundò,quod requirebatur, vt posset præcindi ab essentia. Exemplum huius est;Pater diuinus, qui secundum se totum Chategorematicè,est incommunicabilis,& tamèn non potest præcindi ab essentia: quia non est incommunicabilis Sinchathegorematicè, idest secundum quamlibet rationem, quam includit.

Ex hoc sequitur;Theologos,qui loquuntur de AD. relationis diuinæ, vt præcisæ ab essentia,non intendere illud AD. ità præcindere ab ipsa essentia, vt non includat eam, Sed loqui de AD.illius secundum eam rationem,quam explicat præter IN essentię diuinę,& ità Nos locuti sumus de illo Art.1.huius Quæst.Conclusione 2.

Dico tertio. Relationes diuinæ, ratione ipsius AD, & vt secundum illud ratione distinguuntur ab essentia non dicunt aliquam perfectionem relatiuam.

PRobatur. Ratio perfectionis est absoluta, Ergò non conuenit relationi ratione ipsius AD. & vt ratione illius distinguitur ab essentia. Consequentia patet:quia in Diuinis,distinguuntur absoluta, & relatiua,& ideò; Ea, quæ sunt de genere absolutorum, vt sic, nõ cõueniunt relatiuis, vt sic, ratione ipsius AD. quod superaddunt essentiæ;

tiæ: Ratio enim vnius membri condistincti contra alterum eiusdem diuisionis, non conuenit alteri secundum eam rationem, qua distinguitur ab illo: Antecedens autem patet Nàm Aug. 6. de Trin. Cap. 2. & 5. & lib. 7. Cap. 1. ait. Magnitudinem Dei, dici absolutè, & non relatiuè, & ideò, esse communem tribus Personis. Magnitudo autẽ Dei. teste D. Thom. infra Quæst. 42. Art. 1. ad primum, est perfectio ipsa Dei.

Confirmatur. Ea, quæ sunt communia Personis secundum vnitatem, sunt absoluta, vt suppono ex fide, & Aug. 7. de Trin. Cap. 1. & 2. Sed esse magnum, quod est esse perfectum secundum vnitatem conuenit Personis diuinis, vt habet Idem Aug. ibidem Cap. 2. & lib. 6. Cap. 3. & 7. Ergò.

Secundò Nàm D. Thom. infra Quæst. 42. Art. 4. Ideò probat filiũ esse æqualem Patri in perfectione, & magnitudine: quia habet perfectionem eiusdem naturæ, & tamèn si daretur alia perfectio relatiua propria ipsi relationi, vt sic, licèt Filius esset æqualis Patri in natura, non sequeretur illum esse simplicitèr ęqualem ei: quia præterea esset probandum, eos esse æquales in perfectione relatiua, Ergò.

Confirmatur quatruplicitèr. Primò, Nàm idem D. Thom. ibi ad 2. ait, Patrem, & Filium, esse æquales in perfectione, non obstante distinctione relationum: quia perfectio Dei, pertinet ad essentiam, & ambo habent eamdem essentiam, Ista verò ratio esset insufficiens, si præter perfectionem essentiæ, daretur perfectio relationum.

Secundò: quia ibidem ait D. Thom. quod quia dignitas est absoluta, & pertinet ad essentiam; ideò sicut eadem essentia in Patre est Paternitas, & in Filio est Filiatio, ità eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio est Filiatio. Dignitas autèm ibi, significat perfectionem.

Tertiò. Nàm ibidem subdit D. Thom. hanc Consequentiam non esse bonam, scilicèt, Quicquid dignitatis habet Pater, habet Filius, sed Pater habet Paternitatem, Ergò Filius habet Paternitatem: quia, inquit, mutatur Quid, in ad Aliquid idest: quia à termino relatiuo argumentamur ad absolutum, vel è contra; Ergò dignitas, & perfectio dicit aliquid absolutum, & non relatiuum.

Quarto, Nàm alias, Personæ diuinæ, essent æquales, vel inæquales secundum relationem. Consequens negat D. Thom. ibidem: quia æqualitas, vel inæqualitas, attenditur secundum magnitudinem, & hæc in diuinis conuenit ratione essentiæ, Ergò. Sequella patet. Inter duas res quantitatas quantitate virtutis etiam si quantitas earum sit

diuersæ

diuersæ speciei necessariò debet esse æqualitas, vel inæqualitas. Istæ enim sunt passiones quantitatis virtutis, idest, perfectionis, propter quod etiam in Angelis, qui sunt diuersarum specierum, & inter virtutes morales, vel intellectuales, quæ sunt diuersarum specierum, ponimus æqualitatem, vel inæqualitatem, Ergò, si relationes diuinæ secundum id, ratione cuius distinguuntur ab essentia, dicunt perfectionem, etiam si illud sit distinctarum specierum, dicet magnitudinem virtutis, & secundum illud, necessariò erunt æquales, vel inæquales, quod negat D. Thom.

Tertiò Arguitur. Esse actum purum, æternum, immutabilem, omninò simplicem, & incompræhensibilem, sunt prædicata, quæ conueniunt omni entitati diuinæ absolutè, & relatiuè, sicut esse perfectionem, sed hoc non obstante in Deo, non ponimus tres relatiuas, actualitates puras æternitates, immutabilitates, simplicitates, & in compræhensibilitates, Ergò, nec tres perfectiones relatiuas.

Confirmatur. Vnitas, Veritas Vita, & ratio vltimi finis, sunt prædicata, quæ conueniunt omni entitati absolutè, & relatiuè Deo, & tamē ista non multiplicantur in diuinis, nec proptèr quatuor relationes damus in Deo, quatuor veritates, vel vitas &c. Ergò nec propter quatuor relationes, debemus ibi ponere quatuor perfectiones. Mai. patet: Nàm certum est, quamlibet prædictarum rationum esse vnam, & veram, sed in transcendentalibus, abstracta prædicantur de concretis, Ergò etiam quælibet earum erit vnitas, & veritas. Similitèr quælibet relatio, est vita, quod patet. Primò: Nàm Filius dixit de se. Ego sum veritas, & vita, & ratio est: Nàm quælibet ratio entitatis diuinæ, est omninò perfectissima, Ergò viuens. Viuentia enim, sunt perfectiora non viuentibus, Ergò quælibet earum est vita. Probo Consequentiam: quia in diuinis (proptèr omnimodam eorum simplicitatem) abstracta prædicantur de concretis, vt Deitas de Deo, & Veritas de Vero, Tādem; Quælibet ratio existens in Deo, amatur à Deo proptèr se ipsam, & non propter aliud, Ergò amatur, vt vltimus finis. Min. verò probatur: Nàm in Deo tantùm, est vna intellectio, Ergò tantùm est vna veritas, & vita, & tantùm est vna Deitas, & vnum obiectum beatificum, Ergò tantùm est vna ratio numerica vltimi finis, Hæc enim conuenit Deitati, & obiecto beatifico.

Ad hæc Argumenta Suarez 1. Tom. 3. p. disp. 11. sect. 2. Negat Cōsequentiam duplici ratione. Prima est. Quia hæc prædicata conueniunt ratione essentiæ, quæ tantùm est vna. Secunda est: quia aliqua eorum, important infinitatem simplicitèr in genere Entis, vt ratio

actus puri, vel vltimi finis, & hæc infinitas tantùm potest esse vna.

Sed contra primam solutionem facit; primò: quia licèt istæ rationes conueniant relationibus radicalitèr proptèr essentiam; tamèn formalitèr conueniunt illis proptèr suum AD. vt sic, v.g. AD. Patris, vt AD. est actus non permixtus potentiæ: quia hoc est imperfectio, Ergò est actus purus. Similitèr idem Ad, (vt AD.) non est mutabile, neq; compositum, nec Creatura, quæ possit compræhendi intellectu creato; nec potest amari, vt medium, Ergò vt sic formalitèr, est æternum, immutabile, simplex, incompræhensibile, & vltimus finis &c. & per Consequens, si in Deo dantur distinctæ relationes reales, dabuntur etiam diuersi actus puri, & vltimi fines &c. realitèr distincti.

Cõfirmatur. Ratio perfectionis, etiã conuenit relationibus radicalitèr ratione essentiæ, Ergò illa non debet multiplicari, sicut relationes, neque conuenire illis ratione suorum AD. Antecedens patet: Nã ratio perfectionis, sumitur in ordine ad subiectum, quod perficit, Relatio autèm, (vt dicit AD.) ratione distinctum ab essentia, ratione illius non respicit subiectum, sed correlatiuum, Subiectum verò, respicit ratione IN. & existẽtiæ propriè essentiæ diuinæ, vt diximus dub. 3. Ergò ratio perfectionis, etiam conuenit illis ratione essentiæ.

Explicatur hoc ampliùs, Licèt ratio perfectionis sit trãscendens, nõ ideò debet competere relationi diuinæ ratione sui AD. sed satis est, si absolutè competat illi, Ergò nõ est necesse asserere, Relationem ratione sui AD. esse perfectionem: quia ratio perfectionis, est transcendẽs. Antecedens est D. Thom. suprà Quæst. 5. Art. 3. ad 4., vbi docet, Non esse inconueniens, quod in aliquo Ente secundum aliquam rationem non sit ratio boni: quia ratio entis, est prior ratione boni, & ità Ens, vt ens, non est bonum, nec res, vt vera est bona: quia vt vera, dicit ordinem ad intellectum, vt bona verò, ad voluntatem, & vt dicit ordinem ad intellectum, non dicit ordinem ad voluntatem, & ideò si Verum, & Bonum distinguuntur ratione, res vt vera (formalissimè loquẽdo) non est bona, Ergò similitèr, licèt ratio perfectionis in diuinis sit transcendens, nõ ideò conueniet relationi ratione sui AD. & vt respicit correlatiuum, sed satis est, si conueniat illi ratione essentiæ, cui formalitèr identificatur, & vt dicit IN. secundum, quod respicit subiectum, & idem est in cęteris prædicatis prædictis: Quia enim illa cõueniunt relationibus ratione essentiæ, ideò non est cur potius multiplicetur ratio perfectionis proptèr relationes, quàm ratio actus puri, vel vltimi finis &c.

Secundam etiam solutionem facit: quia aliqua istorum prædicatorum

rum

rum importare rationem, quæ requirat infinitatem simplicitèr in genere entis, non tollit ea verè, & simplicitèr prædicari de AD. relationum diuinarum, licèt ipsum AD., ratione sui, non sit formalitèr infinitum simplicitèr in genere entis, sed tantùm in genere relationis, Ergò similitèr, nō tollit quominùs multiplicatis relationibus multiplicentur etiam ipsa. Antecedens patet: Nàm Paternitas, ratione sui, AD. est actus, non habens potentialitatem, Ergò est actus purus. Consequentia verò probatur: quia in Deo, ratio actus puri, est transcendens sicut ratio perfectionis: quia omnis perfectio Dei, est actus purus, Ergò si relatio, ratione sui AD. dicit perfectionem, in Deo etiam dicet rationem actus puri.

Quartò probatur Conclusio: quia aliàs, aliqua perfectio formalitèr esset in Patre, quæ non esset in Filio. Consequens non debet admitti, Ergò. Sequella probatur. Ideò in sententia D. Thom. ista Consequentia, Filiatio est in Filio, non in Patre, & Filiatio est perfectio, Ergò aliqua perfectio est in Filio, quæ non est in Patre. Ideò, inquàm, ista Consequentia non est bona: quia vt diximus ex D. Thom. mutatur Ad aliquid, in quid id est: quia ex negatione alicuius relationis in Patre, negamus in illo, aliquid absolutum, scilicèt perfectionem, sed si perfectio est transcendens, & significat actualitatem relatiuam, iste defectus non committeretur in tali Consequentia, sed illa esset bona: quia in consequenti etiam, negaretur de Patre, non aliquid absolutum, sed relationem, qua negabatur in Antecedenti, Ergò sicut Antecedens erat, verum etiam erit verum Consequens, quod aliqua perfectio, quæ est in Filio, nō est in Patre; Min. verò probatur: quia aliàs, Pater diuinus, non esset perfectus omninò deesset enim illi prædicta perfectio Filiationis, quam deberet habere, vt esset omninò perfectus: Nàm teste Arist. 3. phys. Cap. 3. & 5. metaph. Cap. 16. perfectum est, cui nihil deest in suo genere sicut gratia Christi non esset perfecta in suo genere, si nō haberet omnem perfectionem possibilem in genere gratiæ.

Ad hoc Respondet Suarez, vbi suprà, solùm sequi deesset Patri aliqua perfectio relatiua, quod inquit non esset inconueniens: quia talis perfectio relatiua, non est perfectio simplicitèr: quia non est melior ipsa, quàm non ipsa Paternitas enim non est melior Filiatione, quæ est non ipsa, & tantùm est inconueniens de esse Patri, aliquam perfectionem simplicitèr.

Secundò Respondet. Negando Consequentiam: quia Filiatio eminentèr est in Patre: quia est in essentia, quæ eminentèr, est omnis per-

fectio relatiua, & radix illius, & essentia est in Patre.

Sed contra primam solutionem facit primò, quod absolutè concedimus, in diuinis esse tres res, & aliquam rem esse in Filio, quæ non sit Patre: quia teste D. Thom. infrà Quæst. 39. Art. 3. ad 3. res est transcendens, & non oportet addere tres res relatiuas, Ergò, si perfectio est res transcendens, poterit absolutè dici tres relationes esse tres perfectiones, etiam si non addatur esse tres perfectiones relatiuas, & sicut eadem ratione dicimus aliquam rem diuinam nō esse Patrem, scilicèt Filiationem, ità absolutè poterit concedi, aliquam perfectionem Diuinam non esse Patrem, nequè esse in Patre: quia id verificaretur in Filiatione.

Secundò Paternitas melior est in Deo, quàm non ipsa, vt probauimus Conclusione 1. Arg. 5. Ergò est perfectio simplicitèr, & ità aliqua perfectio simplicitèr deesset Patri.

Contra secundam etiam solutionem Arguitur: quia licèt essentia habeat formalitèr perfectionem essentiæ, nō esset simplicitèr infinita, & perfecta, si non haberet formalitèr relationes diuinas, licèt illæ eminentèr, & radicalitèr continerentur in ipsa essentia, de quo diximus dub. 3. Conclusione 2. & 3. Ergò, vt Pater sit simplicitèr, & absolutè perfectus non sufficit habere eminentèr, & radicalitèr perfectionem propriam Filiationis, sic Filiatio, vt sic, dicat aliquam propriam rationem perfectionis.

Explicatur hoc: Nàm, licèt essentia, vt sic, eminentèr, & radicalitèr contineat rationē iustitiæ, & misericordiæ, Deus non esset infinitè perfectus, si formalitèr non haberet perfect. iustitiæ, & misericordiæ, quia istæ sunt perfectiones simplicitèr, Ergò, licèt Pater habeat essentiam, in qua eminentèr, & radicalitèr contineatur perfectio relationum, cum illæ, vt probatum est, formalitèr sint perfectiones simplicitèr, Pater erit formalitèr imperfectus, si formalitèr non habeat omnes relationes.

Confirmatur, licèt essentia diuina, vt communis tribus Personis contineat Filiationem: non tamèn eminentèr, & radicalitèr continet illam, vt est in Patre: quia, vt est in Patre, non potest explicare formalem relationem Filiationis, Ergò ex eo, quod in Patre sit essentia, non sequitur quod in eo sit perfectio Filiationis: quia hæc non continetur radicalitèr in essentia, vt est in illo.

Confirmatur secundò. Nàm solùm perfectiones secundum quid sunt, quæ eminentèr, & radicalitèr continentur in habente perfectionem formalitèr infinitam, sed Filiatio est perfectio simplicitèr, & non

secundum quid, Ergò debet repetiri in Patre non tantùm eminentèr, & radicalitèr, sed formalitèr, cùm ille sit infinitè perfectus.

Sed Arguit Suarez contra hanc Conclusionem primò: quia relationes diuinæ, vt sic, sunt essentia diuina, Ergò, vt sic, sunt bonæ, & per Consequens, vt sic, dicunt perfectionem.

Secundò: quia aliàs, Mysterium Trinitatis, vt sic, nullam importaret perfectionem, siquidem relationes, ex quibus constat Trinitas secundum rationem relationis, nullam important perfectionem.

Tertiò: quia Paternitas diuina, esset omninò imperfecta, siquidem, vt sic, nullam haberet perfectionem, & summè imperfectum est, id cui nulla debetur perfectio.

Confirmatur Paternitas, vt sic, est amabilis à Deo, etiam reduplicatiue, scilicèt ratione sui ipsius, Ergò, vt sic, dicit perfectionem.

Quartò, Essentiam esse communicabilem tribus Personis est maxima illius perfectio, & ad eius perfectionem pertinet habere supposita, quibus communicetur, vt diximus dubit. 2. Ergò supposita, quibus communicatur, vt sic, dicunt perfectionem: Nàm, non esset perfectio naturæ communicari Personis, vt sic, nullam importantibus perfectionem.

Quintò. Quia maximum bonum Humanitatis, est vniri personalitèr Verbo, & ideò non desiderat propriam personalitatem: quia personalitas Verbi est maius bonum, quàm propria personalitas, sed personalitas Verbi est relatio diuina, Ergò.

Sed ad hæc facilè Respondeo. Ad primum diximus relationes diuinas absolutè esse bonas, & dicere perfectionem, non tamen oportet, vt ratione ipsius AD. reduplicatiuè, dicant perfectionem: quia vt diximus ex D. Thom. suprà Quæst. 5. Art. 3. ad 4. licèt bonitas, & perfectio transcendentalis, consequatur omne ens, satis est, quod conueniat illi absolutè sumpto, & non requiritur, quod conueniat secundum quamlibet rationem.

Ad secundum. Nego Consequentiam: Nam tales relationes important perfectionem eamdem, quam essentia, & non distinctam, & Mysterium Trinitatis, sicut non importat aliam magnitudinem, vel aliud prædicatum absolutum pretèr, id quod importat essentia, ità non debet importare aliam perfectionem præter eam, quam importat essentia: quia perfectio est magnitudo, & prædicatum absolutum, & essentiale.

Ad tertiū. Nego seq. Nàm Paternitati, vt sic, debetur & conuenit infinita perfectio essentiæ, & licèt sit imperfectum id, cui nullo modo

conuenit aliqua perfectio non tamèn est imperfecta ratio, quæ essentialitèr habet inbibitam infinitam perfectionem, etiamsi secundum aliquam rationem reduplicatiuè non explicet, vel non importet illã, & ita contingit hic: Nàm Paternitas (etiã ratione ipsius AD.) quatenus includit essentiam diuinam, habet perfectionem infinitam, & tamèn ratione AD. secundum conceptum, quẽ dicit in ordine ad terminum, non explicat, nequè importat illam.

Ad Confirmationem. Nego Antecedẽs. Sed satis est, quod sit amabilis specificatiuè, ratione essentiæ inclusę: quia aliàs, si reduplicatiuè, & vt distincta ab essentia, esset amabilis amaretur, vt vltimus finis, & iuxtà numerum trium relationum, darentur tres rationes vltimi finis.

Ad quartũ. Patet ex dictis, quod ad perfectionem diuinæ communicabilitatis, satis est, quod Personæ, quibus natura diuina communicatur, sint perfectæ ratione ipsius essentiæ, non verò requiritur, quod sint perfectæ ratione suarum relationum, vt dicunt AD. reduplicatiuè.

Ad quintũ Respondeo, quod solùm probat Personalitatem Verbi dicere perfectionem, quod concedimus, non tamèn est necessarium, quod ratione ipsius AD. reduplicatiuè dicat perfectionem.

Dico quarto. Non ideò relationes diuinæ dicunt vnam perfectionem realem: quia pertineant ad integritatem essentialem Dei, nequè ideò non sunt tres perfectiones reales, vt perfectio dicit id, quod est consonum, & conueniens rei: quia non distinguuntur realitèr à Personis, vel essentia.

PRima pars Conclusionis patet; Primo: quia non pertinent ad integritatem essentialem Dei, Ergò, non ideò dicunt vnam perfectionem realem: quia pertineant ad illius integritatem. Probatur Antecedẽs; Ante Paternitatem supponitur vnus, & perfectus, atquè integer Deus per se subsistens, & infinitus, vt insinuat Damasc. lib. 1. de fide Cap. 10. & Pater priùs Origine, quàm sit Filius, est verus, & perfectus Deus, habens integram Deitatem, & tamèn; si tres relationes pertinerent ad Dei integritatem, sine illis non intelligeretur integer, & perfectus

fectus Deus, Ergò. Vidè quæ dub. 2. diximus; quomodò relationes non pertineant ad essentialem Dei perfectionem &c.

Secundò, licèt Relationes pertinerent ad essentialem Dei integritatem; non tamèn integrarent eius essentiam, Ergò non ideò dicerent vnam Dei integritatem, & perfectionem. Antecedens est certum: Nàm Eminentia essentiæ diuinæ, non solum includit relationes, Sed etiam absoluta, vt diximus dub. 1. Vndè D.Thom. hic ad 3. ait; Essentiam diuinam forè imperfectam, si in eius perfectione, nihil aliud includeretur, quàm relatiuum, Ergò illæ non integrarent eius essentiã, quæ est perfectissima. Consequentia verò probatur: quia solùm, id dicit perfectionem (quæ est integritas rei) quod dicit totam rei integritatem, cętera verò, quæ conducunt ad integritatem, teste eodem Vazq. quẽ hic impugnamus, dicunt perfectionem, non, vt dicit integritatem, sed vt dicit id, quod est conueniens, & consonum rei.

Tertiò. Istę tres relationes non dicunt integritatem absolutam Dei, Ergò, vt sic ratione AD. non dicunt aliquam perfectionem Dei. Consequentia patet: quia, vt dictum est Conclusione 3. Ratio perfectionis in diuinis, dicit aliquid absolutum, & ideò Relatio ratione sui AD. quod est relatiuum, non dicit perfectionem. Probatur Antecedens: Nàm solùm dicerent integritatem sui ordinis, non enim absolutum potest integrari ex solis relationibus, aliàs, Relationes cõstituerent essentiam, vt est absoluta, quod est contra fidem: quia essentia, vt sic, supponitur relationibus.

Quartò: quia aliàs, singulę relationes, non dicerent perfectionem siquidem singulæ non integrant Dei naturam.

Confirmatur: quia aliàs, ex illis solùm consurgeret vna perfectio, nõ omninò simplex, sed per modum collectionis. Consequens est falsũ, Ergò. Sequella probatur: Nàm illæ sunt tres res omninò in actu, & realitèr distinctæ, quæ constituunt numerum transcendentalem, scilicèt ternarium, Ex num. autèm rerũ distinctarum, vt sic, & quæ omninò sunt in actu, non fit vnum omninò simplex, sed vnum per modum collectionis, compositionis, vel per accidens. Vndè Damas. vbi suprà Cap. 11. docet ex Personis diuinis, quia sunt perfectæ; non posse vnam perfectionem consurgere, sine compositione. Min. autèm probatur: Nàm Deo debemus tribuere id, quod perfectius est, Perfectius autèm est eius integritatem, & perfectionem esse omninò simplicem, quàm esse per modum collectionis, vel compositionis.

Quinto, Diuinæ Relationes, sunt tres integritates diuinarum Personarum, Ergò etiam, si sumatur perfectio pro integritate rei, tres

relationes non erunt vna realis perfectio, sed tres perfectiones reales, quod negat Vazq. Antecedens patet: Nàm, vt ostendemus infrà Quæst. 40. Art. 1. & ipse docet infrà disp. 158. Cap. 2. Personæ diuinę constituuntur ipsis relationibus, vt formis totalibus, ità quod singulis earum, integratur ratio Personæ diuinæ: quia relatio constituit Personam, inquantum est ipsa Persona subsistens sicut Paternitas est Pater vt docet D. Thom. ibi Art. 2. Consequentia verò probatur: quia, si ratio perfectionis realis consistit in hoc, quod sit integritas rei, & tres Relationes, sunt tres integritates, erunt tres perfectiones reales.

Secunda verò pars Conclusionis probatur. Primò: Quia aliàs, in Deo nulla dabitur perfectio realis, sumendo perfectionē pro eo, quod est consonū, & cōueniēs rei, & ità neq; misericordia erit perfectio realis Dei, neque aliquid aliud attributum Consequens est falsum, Ergò, Sequella probatur: quia ista non distinguuntur realitèr à Deo, cuius sunt perfectiones. Min. verò probatur: quia, licèt relatio conuenientiæ, quàm habet misericordia respectu Dei, sit rationis: quia ejusdē ad se ipsum: tamèn misericordia supponit in re ipsa esse formam, & virtutem conuenientem Deo, & perfectionem simplicitèr simplicem, & realem: Nàm est bonitas realis Dei, & non rationis, Ergò perfectio realis, & non rationis.

Confirmatur, licèt Relatio diuina, secundum rationem tantùm, cōstituat Personam, vt vult Vazq. loco modo citato; tamèn hoc non tollit, quomodò proprietas constitutiua Personæ, sit realis, Ergò licèt perfectio tantùm ratione distinguatur, à perfectibili, & relatio conuenientiæ, sit tantum rationis, hoc non tollet quominus dicatur perfectio realis.

Secundò Istæ perfectiones, & relationes diuinæ, sunt Entia realia, & realitèr meliora ipsa, quàm non ipsa, Ergò sunt perfectiones reales simplicitèr simplices. Tenet Consequentia à diffinitione ad diffinitū cum eodem addito.

Confirmatur. Istæ perfectiones sunt perfectiones rationis, Ergò sunt Entia rationis tenet Consequentia ab inferiori ad suum superius, cum eodem addito.

Tertiò non requiritur maior distinctio inter perfectionem realem; & id, cuius est perfectio, quàm inter habens, & formam habitam, includens, & inclusum, integrans, & integratū, sed licèt; Istæ perfectiones non distinguantur realitèr ab essentia, dicitur, quod essentia realitèr habet, & includit illas, & integratur ex illis, vt concedit ipse Vazq. Ergò etiam erit verum, quod sunt reales perfectiones ipsius.

Confir-

Confirmatur. Non requiritur minor distinctio inter terminum, & terminabile, quàm inter perfectionem, & perfectibile, sed relationes, licèt tantùm ratione distinguantur ab essentia, sunt reales eius terminationes, & realitèr terminant illam; Ergò etiam perfectiones, quæ tantùm ratione distinguuntur ab illa, poterunt esse perfectiones reales ipsius, & ratio horum omnium est eadem: quia, videlicèt, sicut datur realis inclusio plurium formarum, & perfectionum, seclusis imperfectionibus, & per modum simplicitatis, & omnimodę vnitatis sine distinctione reali includentis, & inclusi, ità dari poterit realis perfectio per modum identitatis omnimodę, & simplicitatis sine distinctione reali perfectionis à perfectibili.

Quartò. Quia Beatitudo, & actus, sunt maxima perfectio vndè quælibet res est perfecta, inquantum est in actu, sed Deus, habet realem Beatitudinem, & est in actu reali, Ergò habet realem perfectionem, & tandèm: quia malè audit dicere, perfectiones diuinas, & infinitas, esse perfectiones rationis: Nàm sunt perfectiones substantiales, Ergò reales: quia esse reale est superiùs ad esse substantiale.

Dicò quintò. Diuinæ relationes, dicunt vnam, eandemque numero perfectionem absolutam, quam dicit essentia, & ratione AD. vt distinguũtur ab essentia nequæ dicunt perfectionẽ, nequè imperfectionẽ.

PRima pars: Conclusionis videtur esse expræssa D. Th. de Potentia Quęst. 2. Art. 5. in Corpore, & habetur expressè infrà Quæst. 30. Art. 2. ad 4. vbi docet, quod vna, & eadẽ bonitas est Patris, & Spiritus Sancti, & nõ distinguitur nisi per relationes, vndè bonitas cõuenit Spiritui Sancto, vt habita ab alio, Patri autèm sicut aquo cõmunicatur, si autèm relationes dicerent diuersas perfectiones relatiuas, Pater, & Spiritus Sanctus, licèt non distinguuntur, nisi per diuersas relationes, possent habere diuersas perfectiones, & Quæst. 42. Art. 4. ad 2. docet dignitatem, scilicèt perfectionẽ, quã dicit relatio Paternitatis, esse absolutam, & pertinere ad essentiam, vt latè ostendimus Conclusione 3. etiàm ex Aug. hæc sequitur expræmissis: Nàm Paternitas dicit perfectionẽ, vt dictũ est, Cõclusione 1. & 2. & nõ dicit perfectionẽ relatiuam, vt dictum est, Conclusione 3. Ergò dicent perfectionem absolutam, sed in diuinis nulla est perfectio absoluta, quæ non sit perfectio essentiæ; Ergò est indiuisa, & in multiplicata.

Secunda verò pars explicatur à Caiet. hic circa solutionem ad 3. & per se est euidens: Nàm secundùm AD, quà ratione formalitèr relationes distinguuntur ab essentiâ, non respiciunt essentiam, sed correlatiua, Ergò, vt sic, non dicunt perfectionem, aut imperfectionem cùm vtraquè, dicatur per ordinem ad subiectum, & de imperfectione magis patet: quia relatio ponitur formaliter in Deo, vbi nulla potest imperfectio admitti.

Ad primum Arg. Respondeo negando seq. & ad probationem cum D. Tho. locis modò citatis: Nego Consequentiã: quia mutatur ad aliquid in quid, & ex multiplicatione relationum, infertur multitudo absolutorũ: perfectio enim, magnitudo, & bonitas, sunt absoluta, & sicut non valet. Sunt tres relationes, quarum quælibet est Essentia, & intellectus Dei, sed dantur tres relationes, Ergò dantur tres essentiæ, & tres intellectus Dei: quia mutatur ad aliquid, in quid, qui est defectus Consequentiæ, ita non valet. Relatio est perfectio, sunt tres relationes in Deo, Ergò tres perfectiones; quia Relatio diuina non dicit aliam perfectionem. Nisi perfectionem essentiæ, quam includit, & illa est vna, vel dicatur, quod variatur veluti numeratio, quæ est veluti defectus appellationis: Nã in Antecedẽti numerus appellat super respectum ad naturam, In Consequenti verò super respectum ad terminos correlatiuos, vel econtra, & non valet Consequentia, vbi ex multiplicatione in ordine ad tales terminos volumus inferre multiplicationem in ordine ad naturam; Ratio autem, quare res, & ens, sunt tran scendentia, communia absolutis, & respectiuis, non verò perfectio ea est. Quia res, & ens, non determinant ordinem ad correlatiuum, vel ad subiectum, & ideò abstrahunt ab absoluto, & relatiuo: perfectio verò, dicitur in ordine ad subiectum, & non ad correlatiuum, & ideò significat determinatè aliquid absolutum, non verò aliquid commune ad absolutum, & relatiuum.

Ad secundum nego Consequentiam. Ad probationem nego Consequentiam: quia, (vt diximus ex D. Thom.) in illa consequentia mutatur ad aliquid, in quid, & ex negatione relationis in Patre, infertur negatio absoluti, qui defectus reducitur ad variationem appellationis, & sicut non valet. Filiatio est essentia, & Filiatio non est in Patre, Ergò essentia non est in Patre: quia eadem essentia est Paternitas, quæ est in Patre. Ità non valet prædicta Consequentia: quia etiam perfectio, & quid absolutum, & eadem numero perfectio, quæ est Filiatio in Filio, est Paternitas in Patre.

Secundò Respondeo Nego sequellam. Ad probationem distin.

Min.

Min. Filiatio non est in Patre in ratione relationis, & constitutiuè cōcedo Min. Nàm sic solum est in Filio: quia solum constituit Filium. Non est in Patre terminatiuè, & in ratione perfectionis, & entitatis absolutæ, vel ratione essentiæ. Nego Min. quia est in Patre terminando relationem Paternitatis, & vt terminus suæ actionis immanentis, & in ratione perfectionis, & ratione essentiæ, & hoc sufficit, vt Pater sit simpliciter perfectus, habens omnem perfectionem diuinam.

Declarantur singula. Relatio Filiationis, vt habet completam rationem Filiationis, habet rationem relationis: quia Filius constituitur in esse relatiuè opposito Patri, & realitèr distincto ab illo, & ità solùm est in Filio relatiuè, & constitutiuè. Cæterum: quia eadem relatione, vt habet rationem termini relationis oppositæ, quæ reductiuè pertinet ad rationem relationis: quia est imperfecta in illo genere, & terminus relationis est secundum intellectum in altero correlatiuo, Ideò Filiatio, vt terminus Paternitatis, est in Patre secundum intellectum. Rursus: quia Filius est terminus Actionis immanentis Patris, & terminus Actionis immanentis, manet in ipso agente ideò Filius, & Filiatio est in Patre terminatiuè idest, vt terminus suæ immanentis generationis, Præterea, cum Filius, sit sua essentia, & essentia Filij sit in Patre, Filius, & Filiatio in ratione essentiæ, & entitatis absolutè, est in Patre per identitatem essentiæ. Hæc omnia docet, & probat D. Thom. infrà Quæst. 42. Art. 5. de quibus ibi latiùs.

Ex hoc vltimo patet quomodò etiam Filiatio, sit in Patre ratione perfectionis, Nàm Filiatio ea ratione, qua est idem formalissimè cum essentia, quæ est in Patre, est eadem perfectio, quæ est in Patre: Nàm diximus, esse perfectionem, vt includit essentiam, & per consequens, si est eadem numero essentia, qua est in Patre, etiam in Filio, eadem numero perfectio erit in vtroq;: quia perfectio sicut essentia est aliquid absolutum.

Ex His sequitur. Quomodo Pater, non sit imperfectus: Nàm, licèt ad eius perfectionem, requireretur habere Filiationem, iam habet illam omnibus modis, quibus potest habere, cum habeat eamdem numero perfectionem, quam importat Filiatio, siquidem sicut Filiatio importat eamdem numero essentiam, quam importat Paternitas, ità importat eamdem numero perfectionem, Eademq; numero perfectio, quam dicit Filiatio, vt relatiuè constitutiua Filij eadem numero importatur, vt terminatiuè, & entitatiuè est in Patre, & ità nullo modo est aliqua perfectio, vel aliquis modus perfectionis in vna Persona, quæ non sit in alia: quia, licèt, in vna sit aliquis modus notionalis, vel rela-

relatiuus, qui non sit in alia, vt in Patre non est esse à principio, & in Spiritu Sancto non est voluntas cum spiratiua virtute, tamen isti modi dicunt eamdem num. perfectionē, & eundem modum perfectionis: quia, & perfectio, & modus perfectionis, dicunt aliquid absolutum, quod non multiplicatur in diuinis.

Ad primam Confirmationem. Nego Consequentiam. Ad probationem. Nego Antecedens: Nàm sicut omnes relationes diuinę sunt vna essentia, & vna intellectio, ità sunt vna non perfectio, vndè sicut in Patre, & Filio, simul non sunt plures essentiæ, aut plures intellectiones, quam in Spiritu Sancto, ità non sunt in illis plures perfectiones.

Ad secundam Confirmationem, Nego Consequentiam. Ad probationem, Nego Antecedens, & quod in eo supponitur, scilicèt, quòd illæ relationes sint plures perfectiones, & quod sint differentes specie: Nàm, cùm perfectio sit quid absolutum, licèt multiplicentur relationes, non multiplicatur perfectio, sed omnes illæ relationes sunt, vna perfectio sicut, vna essentia.

Ad tertiam Cõfirmationem, Dicunt Aliqui, relationes diuinas, vt ratione ab essentia distinctas, nequè esse perfectiones simplicitèr, nec secundùm quid finitas, nequè infinitas, sed abstrahentes ab vtraq; ratione. Ita Vazq. hic disp. 119. c. 3. & disp. 121. c. 3., & 122. c. 7. nu. 28.

Sed contra hoc est: quia omne, quod est in Deo, licèt ratione distinguatur ab illo, simplicitèr est Deus, Ergò simplicitèr dicit perfectionem simplicitèr, & infinitam.

Secundò: quia, licèt aliqua ratio communis, possit abstrahere à rationibus, quibus diuiditur tamèn nihil singulare inferius, quidditatiuè ad illa potest dari, quòd determinatè non participet aliquibus rationibus diuidentium, & ità vt relationes diuinæ dicant perfectionē singularem quidditatiuè inferiorem ad rationem perfectionis, debent esse determinatę, vel perfectiones simplicitèr, vel secundum quid, finitæ, vel infinitæ, & ità. Nego Antecedens pro 1. parte.

Ad probationem Nego Min. Pro cuius declaratione nota 2.

Primum est, quòd licèt in Trinitate, sint tres Personæ, vel tria supposita naturæ diuinæ, non tamèn est, nisi vnum indiuiduum Deitatis, scilicèt hic Deus.

Secundùm est, quòd, cum in diffinitione perfectionis simplicitèr dicitur, quòd in vnoquoque est melior ipsa, quàm non ipsa, intelligitur non de quolibet supposito cuiuslibet naturæ, sed de proprio indiuiduo ipsius, & ità, licèt Paternitas, non sit maior Filio, qui est suppositum

cum diuinæ naturæ, quam non ipsa, scilicèt, quam filiatio esse o p posita; Est tamē melior indiuiduo naturæ diuinæ, scilicèt huic Deo, quam quælibet incompossibilis, cum illa in eodem indiuiduo entis, & quia aliæ relationes diuinæ etiam ei relatiuè, oppositæ scilicèt, filiatio, & processio, sunt composibiles in eodem indiuiduo Deitatis, & repetiuntur simul in hoc Deo, ideò non oportet, quòd sit melior illis, & potest esse perfectio simplicitèr.

Secundò Respondeo, quod, licèt, vt sit perfectio simplicitèr requireretur, quod in vnoquoq; etiam supposito, & Persona naturæ diuinæ esset melior, quàm relatio incomposibilis cum illa, non indè sequeretur Paternitatem esse meliorem cęteris relationibus diuinis: Nàm, vt diximus in solutione ad 2. Cæteræ relationes sunt composibiles, cum illa in eadem Persona, vel ratione termini, vel ratione perfectionis, & ratione essentiæ, & entitatis absolutè, & sufficit isto modo esse compossibiles relationes in eodem, vt, licèt quælibet dicatur melior esse qualibet sibi non compossibili, nulla earum dicatur melior altera.

Ad tertiam. Nego Antecedens pro secunda parte: Nàm in solutione ad 3. Confirmationem secundi, diximus esse perfectionem infinitā. Ad 1. probationem in cōtrarium, Aliqui cōcedunt tres infinitates relatiuas in Deo. Ità Suar. lib. 3. de Trin. Cap. 12. nu. 7. quia enim putat relationes diuinas ratione AD. dicere perfectionem, cum illa non debeat esse finita, vt potè, quæ est Deus, consequentèr dicit esse infinitam, & ità cum sint tres, Relationes cum tribus Ad dicens tres perfectiones infinitas, non quidem in genere Entis, cum, vt sic, non includāt absoluta, sed in genere Relationis, illas verò in genere relationis, esse infinitas probat: quia Verbum Diuinum procedit, vt adæquatus terminus generationis, quæ est infinita intellectio, Ergò Verbum, vt sic, ratione suæ Relationis debet habere infinitatem.

Sed hoc Argumentum, vel conuincit Verbū Ratione relationis habere infinitatem simplicitèr in ratione Entis, vt ratione illius proportionetur intellectioni diuinæ, qua procedit: quia illa est simplicitèr infinita in genere Entis, vel non probat, quod ratione relationis debeat habere infinitatem, sed solùm ratione essentiæ: Nàm ad infinitatem Verbi, satis est, naturam, quā includit, esse infinitam, & vt sit proportio inter processionem, & terminum, non requiritur, quod Relatio sit infinita: quia Relatio non est terminus. Qui cum, teste D. Thom. hic Art. 3. ad 3. Relatio non oriatur aut procedat, sed Persona, vndè sufficit, quod Persona, qui est terminus Qui, sit infinita, quam infinitatem habet ratione essentiæ: quia, licèt intellectio, qua procedit Ver-

bum ratione absoluti, quod includit sit infinita, non tamèn habet rationem productionis, nisi vt includit relationem.

Pro cuius Ergò, difficultatis explicatione.

Quælibet relatio diuina, ratione essentiæ, quam includit, est perfectio simplicitèr infinita, sed ratione ipsius AD. dicit infinitatem non tantùm in specie, sed etiam in genere relationis, non tamèn in genere perfectionis.

PRima pars patet ex 1. & 2. Conclusione. Secunda verò pars patet: Nàm, vt dictũ est, Quælibet Relatio diuina, includit omnes aliàs eo modo; quo in solutione ad confirmationem secundi explicuimus, Relationes verò Creatas includit eminentèr, Ergò est infinita in genere Relationis, & non tantùm in sua particulari specie.

Tertia verò pars patet: Nàm, vt Relatio, non dicit perfectionem, vt dictum est, Ergò non dicit infinitatem perfectionis, Sed infinitatem relationis, quæ non necessariò debet esse infinitas perfectionis: quia non est infinitas formæ, vt perficientis subiectum, sed vt respicientis correlatiuum.

Dico secundo. Licèt quælibet diuinarum relationum sit infinita in esse relationis, & relationes sint tres, non debent admitti tres infinitates relatiuæ.

PRobatur: quia nihil includit vna Relatio infinita, quod non includat alia, Ergò non multiplicantur infinitates relatiuæ, Antecedens patet: quia quælibet Relatio, formalitèr includit omnes relationes diuinas, & eminentèr omnes creatas, vt suprà explicuimus. Consequentia verò probatur: quia ideò non possunt dari plura infinita in genere Entis: quia quodlibet Ens infinitum, includit omnia, quæ includerent alia, & ità nõ esset per, quod possent distingui, Ergò similitèr, non poterunt dari plures infinitates relatiuæ: quia Quicquid in ratione infinitatis includit vna, etiam altera, & ità non erit per quid distinguantur.

Dices. Distinguentur infinitates istæ penès diuersum modum inclusionis

clusionis omnium Relationum: Nàm Paternitas v.g. per se primò dicit ordinem ad Filium; Filiationem verò includit, vt terminum, & ratione essentiæ, & sic de alijs. Filiatio verò per se primò dicit ordinem ad Paternitatem: Paternitatem verò includit, vt terminum, & ratione essentiæ, qui diuersus modus sufficit distinguere has infinitates, sicut sufficit distinguere ipsas relationes.

Sed Respondeo nō esse eamdem rationem de singulis relationibus, & de infinitate: Nàm: quia ratio relationis sumitur ex termino, vbi est distinctus terminus per se primus, ibi necessariò est distincta Relatio, infinitas autèm Relationum, non sumitur aliundè, quàm ex formali inclusione omnium Relationum diuinarum, & ex eminenti inclusione relationum omnium Creatarum: Hæ autem omnes, non minus includuntur, si includatur Filiatio. v.g. vt terminus, quàm si includatur Paternitas, vt terminus, cum tamèn omnes includantur.

Declaratur hoc exemplo: quia Trinitas non per se primò specificatur ab aliquo termino, sed per se primò dicit tres Personas diuinas, eadem Trinitas omninò est, siuè consideretur Pater, vt Persona producēs Filium, & Spiritus Sanctum, & relatus ad illos, siuè consideretur, vt terminus eorum: quia, vt Trinitas, non dicit nisi numerum ternarium Personarum quomodocumq; illæ considerentur, vt distinctæ. Eodem modo infinitas in relatione, nihil aliud dicit, nisi inclusionem prædictam omnium relationum, quouis modo includantur, & ideò tantùm est vna infinitas.

His suppositis. Ad Argumentum nego Antecedens pro secunda parte. Ad 1. probationem nego Consequentiam: Nàm, quia, vt relationes sunt, non dicunt singulæ proprias perfectiones infinitas, sed solùm dicunt eamdem perfectionem infinitam essentiæ, quæ tantùm est vna, licèt sint tres relationes habentes perfectionem infinitā, non tamèn habent tres perfectiones infinitas, & ideò, non erunt tres infinitates perfectionum, Similitèr: quia infinitas in genere relationis est eadem in omnibus illis, licèt dentur tres relationes, vel Personæ infinitæ, non dabuntur tres infinitates, sed tria infinita, vna eademquè infinitate.

Dices. Illa infinitas non est absoluta: quia constituitur ex solis relatiuis, sed relatiua: Relatiua autèm multiplicantur in diuinis iuxtà numerum relationum, Ergò etiam illa infinitas multiplicabitur.

Respondeo Distin. Mai. Est relatiua diuisiua. Nego Mai. Est relatiua veluti collectiua omnium relationum concedo Mai. Nàm ideò est

infinitas;

infinitas: quia includit omnes relationes: Relatiua autèm veluti collectiua, non multiplicantur, vt ideò non multiplicatur Trinitas.

Ad secundam probationem nego etiam seq. Nàm non damus tres perfectiones simplicitèr in genere Entis, in tribus relationibus, sed tantùm damus in illis, vnam perfectionem ipsius essentiæ diuinæ, vt dictum est.


Ad tertiam probationem. Distinguo Antecedens, vt pertinentem ad suam essentiam tamquàm genus, vel differentiam, vel alio modo intrinseco ipsi rationi specificè Concedo Antecedens: Extrinsecè tamquàm terminum. Nego Antecedens, & ad infinitatem cuiuslibet relationis in genere relationis, sufficit illi, vt includat cæteras tamquam terminos, vel ratione essentiæ mediatè, vt diximus in 3. confirmatione secundi.

Ad primam Confirmationem Respondeo, quod perfectio Paternitatis est eadem, cum perfectione essentiæ, & similitèr perfectio infinita Filiationis, est eadem, cum perfectione essentiæ, & non solùm æqualis, & ideò: quia omnes illæ relationes dicunt eamdem numero perfectionem essentiæ, non dabuntur tres perfectiones simplicitèr infinitæ in omni genere, sicut nec tres essentiæ.

Ad secundam Confirmationem. Respondeo, quod non datur perfectio relationis, quæ est absoluta, & simplicitèr infinita in genere Entis, quæ est eadem formalissimè, cum perfectione essentiæ, & ideò non sequitur aliquod inconueniens.

Ad quartum nego Antecedens pro prima parte. Ad probationem in secunda Conclusione concessum est, quod relatio distincta ab essentia includit essentiam, & ideò potest dicere eamdem perfectionem essentiæ, quæ est absoluta, nec inde sequitur, illam perfectionem non esse propriam essentiæ: quia licèt competat alijs ratione distinctis, ab essentia, tamen, non conuenit illis, nisi ratione essentiæ, quàm includunt etiam, qua ratione distinguuntur ab illa.

Ad quintũ. Nego seq. Nam, quia perfectio relationum est eadem, quæ est in essentia præintellecta relationibus, ideò Deus, vt præintellectus relationibus, habet omnem earum perfectionem.



ARTICV-

ARTICVLVS III.

An relationes, quæ sunt in Deo, ad inuicem distinguantur.

Conclusio.

In Deo est realis distinctio, non secundùm rem absolutam, sed secundùm relatiuam.

DVBITATVR.

Circa solutionem ad primum.

An D.Thom. rectè explicuerit illam propositionem. Quæcunquè sunt eadem vni tertiò, sunt eadem inter se, dicens illam verificari in his, quæ sunt eadem vni tertio rectè ratione, & non in alijs.



IDETVR, quod non. Primo: quia D.Th. suprà Quæst. 14. Art. 4. probat intelligere Dei, esse eius essentiam: quia intelligere Dei, est sua species intelligibilis, & species intelligibilis Dei, est idem, quod essentia Dei, & 2. contra Gentes Cap. 9. probat Potentiam, & actionem Dei, esse idem: quia sunt idem, cum essentia, & Arist. 4. Metha. tex. 4. probat ens, & vnum esse idem realitèr: quia identificantur realitèr cum Homine, & tamèn intelligere, & essentia ratione ratiocinata, & fundamentalitèr, distinguuntur à specie, & similitèr actio, & Potentia eodē modo distinguuntur ab essentia, vt suppono, & tandem ratione distinguuntur ens, & vnum ab Homine, Ergò, vt inferatur identificari inter se, quæ sunt eadem vni tertio, non requiritur, quod identificetur in illo re, & ratione, sed satis est, quod realitèr identificetur cum illo.

Secundò. Actio, & passio, non distinguuntur realitèr inter se, sed realiter

realitèr identificantur: quia sunt idem realitèr cum motu, & tamen nō sunt idem cum motu, re, & ratione, & solùm entitatiuè, Ergò, vt ea, quæ sunt eadem vni tertio, realiter sint idem inter se, non requiritur identificari cum illo, re, & ratione, sed satis est, vt realiter identificetur cum illo.

Tertiò: quia aliàs, istud principium solùm haberet verum in sinonomis, quæ non distinguuntur, re & ratione. Consequens est falsū: Nàm expositoriè probamus Animal, & risibile esse idem realiter: quia sunt realiter idem vni tertio, scilicet Petro, & tamen animal, & risibile non sunt synonoma Petro, & ratione distinguuntur ab illo. Ergo.

Quartò: Sicut Paternitas, & Filiatio differunt ratione ab essentia, ita iustitia, & misericordia: Nàm concipiuntur diuersis conceptibus, sed hoc non obstante: quia identificantur realitèr, cum essentia, identificantur realitèr inter se; Ergò eadem ratione, relationes, & essentia, possunt distingui ratione, & tamèn hinc, non sequetur, quod relationes inter se, realitèr distinguantur.

Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

IN hoc dubio. Supponendum est, Conclusionem Art. esse de fide diffinitam in Cap. firmitur de Sum. Tri. & fide. Cathol. & in Concilio Tolletano XI. in Confessione Fidei, & in Epist. Sopronij, quæ refertur in 6. Synodo generali act. 11. & approbatur act. 13. Quod verò attinet ad expositionem, quam D. Th. adhibet illi propositioni, Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Aureulus in 1. d. 2. Quæst. 3. Art. 3. Vazq. hic disp. 123. c. 1. Molin. disp. 2. Suarez 4. de Trin. Cap. 3. Val. 1. par. dist. 2. Quæst. 2. puncto 4. & alij propter Argumenta facta reijciunt illam.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Conueniens est expositio, quam hic habet D. Thomas, si rectè accipiatur.

PRobatur auctoritate illius, qui illam habet hic, & in primo ad Annibaldum dist. 2. Quæst. 2. Art. 1. ad 2.

Accipitur autèm in sensu Germano, si explicetur vno ex duobus modis.

modis. Primus est, quem sequitur Canariens. hic, & desumpsit illum ex D. Th. 1. 2. Quæst. Art. 5. ad 4. quod scilicèt habet verùm, quandò ipsæ res, quæ identificantur in tertio, non differunt ratione, ita quod vna excludat aliam, aut opponatur sibi; Nàm, si differunt talitèr ratione, quod vna excludat aliam ab eodem subiecto, & opponatur illi in eo; tunc licèt identificentur in tertio, non identificantur realitèr inter se.

Declaratur hoc exemplis positis in Argumentis: Nàm Potentia, & Actio, Species intelligibilis, & Intellectio, Ens, & Bonum, Iustitia & Misericordia, licèt differant ratione: tamen illorum rationes, non ità se habent, vt vna opponatur alteri, aut excludat illam ab eodem subiecto, & ideò quia identificantur in illo realitèr, realitèr etiàm identificantur inter se, At verò relationes diuinæ licèt realitèr identificentur, cum essentia, non realitèr identificantur inter se: quia differunt ab illa secundùm rationem taliter, quòd ratio vnius opponitur realitèr alteri, & excludit eam ab eo subiecto, cui tribuit suum veluti effectum formalem V.G. Paternitas excludit Filiationem in ratione relationis à Patre, què formalitèr constituit.

Secundus est, quæ habet Capræol. in 1. dist. 2. Quæst. 3. Conclusione 1. Quod illa propositio intelligitur tantùm habere per se veritatē in illis, quæ sunt idem tertio non solùm re, sed etiam ratione, saltem quod vtrumquè in ratione illius includatur, & ideò: quia diuersa attributa Dei, vt potentia, & actio, iustitia, & misericordia, ita sunt idē re, & ratione cum esentia, quod includuntur in ratione illius esentiali, sunt idem realitèr inter se. Similiter: quia Homo, & Animal, vnū & ens, ita realitèr identificantur cum Petro, quod licèt ratione distinguantur ab illò, tamen rationes eorum includuntur in ratione Petri, ideò oportet, vt sint idem realiter inter se, & idem contingit in actione, & passione, quæ sunt idem motui re, & ratione, ita, quod motus vtrumquè includit in sua ratione non enim potest intelligi ratio perfecta motus, nisi intelligamus illum procedere ab aliquo, & recipi in aliquo: in alijs verò, quæ non ita sunt re, & ratione idem poterit esse realis identitas propter identitatem in tertio finito, & limitato, quod ità est vna res, quod non multæ, vt in diuersis relationibus similitudinis, & dissimilitudinis, quæ si identificantur realitèr cum fundamento V.G. albedine, identificabuntur, etiàm realitèr, inter se, non tamen oportet, vt ex natura rei identificentur realitèr inter se, maximè, si illud tertium sit infinitum, quod ex sua infinitate, & eminentia, ita habet esse vnam rem, vt simul postulet esse tres, & hoc contingit in relationibus

tionibus diuinis, quæ quidem re, ità identificantur, cum essentia, vt tamèn distinguantur ab illa secundùm rationem, non tantùm: quia alius èst conceptus essentiæ, & alius relationis; Nàm id etiàm reperitur in essentia, & attributis, quæ inter se identificantur, propter identitatem cum essentia, sed quia, non includuntur in ratione essentiæ, scilicet essentiali, & tāquàm perfectiones illius, vt includuntur absoluta, sed tamquàm modi illius, supponentes eius rationem essentialem perfectam, & ideò, non oportet, quod inter se identificentur realitèr.

Ex his sequitur, falsam esse expositionem Aureoli, vbi suprà, quod hæc propositio sic intelligitur. Quod, quæ sunt eadem vni tertio, debent inter se habere eādem entitatem, quam habent in tertio. Impugnat hanc intelligentiam Capræol. vbi supra Art. 1. ad 1. Nàm relationes diuinæ, non identificantur realitèr inter se, licèt in tertio, scilicet essentia, realitèr identificentur, nequè oportet reperiri aliquod exemplum huius in Creaturis; Nàm, vt docet Hilar. 1. de Trin. Ansel. de Incarnatione Cap. 6. D. Th. in 1. dist. 33. Quæst. 1. Art. 1. ad 1. Hoc est singulare in Trinitate, propter eius infinitam perfectionem, quæ non reperitur in alia re creata.

Et si dicas D. Th. hic ad primum insinuare, quod idem contingit in Actione, & Passione, quod identificantur realitèr cū motu, & inter se realitèr distinguuntur. Respondeo, quod, licet id sentiant, esse de mente D. Th. aliqui eorum, qui dicunt actionem esse in Agente, & nihilòminus realitèr identificari cum motu, qui est in passo, & distingui realitèr ab ipsa passione, nihilòminus sensus D. Th. non est hic, sed quē intendit Arist. 3. Phys. tex. 21. Ad quem se refert D. Th. Arist. autèm solum intendit ibi, quod non oportet eadem verificari de his, quę realitèr sunt idem, & distinguūtur ratione, vt licèt Actio, & Passio, sint idem realitèr cum motu; non oportet, quod Actio, & Passio, habeant omninò eadem prædicata, nec quod agens patiatur, vel docēs addiscat. Et ex hoc infert D. Th. quod, cum non oporteat his, quæ sunt idē secundum rem, & ratione distincta, conuenire easdem conditiones, non oportet, quod illis, quæ sunt idem secundum rem, & ratione distinguuntur, conueniat vnitas inter se, sicut habent vnitatem in tertio.

Dicò

Dico secundo. Hæc propositio. Quæcunque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, habet alias legitimas expositiones.

PRima est, quam D.Th. de Potentia Quæst. 8., insinuat, Art. 2. ad 10. Quod, quæ sunt eadem vni tertio, sunt ità eadem inter se, vt vnũ eorũ realiter sit idẽ, quod alterùm, vel saltèm id, quod est idem vni eorum, est, & reliquum, & ità contingit hic; Nàm essentia, quæ est idem Filiationi, est, & Paternitas. Hanc expositionem admittit Capræol. vbi suprà.

Secunda est, quod quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; secundùm illam rationem, in qua identificantur cum tertio. Hanc expositionem habent D.Th. in 1. dist. 33. Quæst. 1. Art. 1. ad 2. & Caiet. hic. Ferrar. 2. contra Gentiles Cap. 9. Capræol. 5. Art. 1. in fine. Scotus in 1. dist. 2. Quæst. 4. Art. 2. ad 1.

Sed has expositiones reijciunt Vazq. Moli. & Suarez vbi suprà. Primò, quia inferre identitatem extremorum in tertio, vel tertij, cum aliquo extremorum, quia extrema identificantur in tertio, est petere principium, & idem probare per idem, Nàm quandò dicimus; Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se; virtualitèr facimus hanc Consequentiam. Hæc extrema sunt eadem vni tertio, Ergò sunt eadẽ inter se, quoniam ex identitate in medio, inferimus identitatem extremorum inter se, & ità, si in cõsequenti, nihil aliud inferimus, nisi quod extrema sunt idem, identitate medij, vel quod tertium est medium vni eorum, in consequenti infereretur idem, quod supponebatur in Antecedenti.

Secundò, quia illa propositio æquiualet vni negatiuę, scilicèt isti. Quæ ita sunt eadem vni tertio, vt ab eo realitèr non distinguantur, ità etiàm sunt inter se idem realitèr, vt inter se realitèr non distinguãtur: Hæc autem propositio nõ patitur prædictam expositionem: Nàm significat, quod non distinguantur realiter inter se, non quòd non distinguantur realitèr in tertio.

Respondeo tamèn Ad primum negando Antecedens. Ad probationẽ Respondeo, quòd aliud inferimus in consequẽti, quàm assumatùr in Antecedenti; Nàm in Antecedenti, non significamus aliquam identitatem extremorum inter se, quam tamèn cõcludimus in consequẽti; Nàm identitas extremorum inter se, ratione tertij, cum quo

identificantur, aliquid distinctum est ab idẽtitate eorum in tertio, Diuersa enim identitas, est, vbi sunt diuersa extrema identitatis; In antecedenti autem extrema identitatis erant ea, quæ identificabantur medio, & ipsum medium: in continenti verò; extrema identitatis, quæ inferũtur, sunt ipsæmet res, quæ in medio idẽtificantur, & ità medium non se habet, vt extremum identitatis, sed vt fundamentum illius, atquè adeò significatur diuersa identitas, similitèr. Ex identitate extremorum in tertio, inferre iuxta primam harum expositionẽ identitatem tertij, cum vno eorum, est inferre identitatem diuersam habentem diuersa extrema: Nàm prima erat identitas aliquorum in vno tertio. Secunda verò, quæ infertur in consequenti, est sola identitas tertij, cum vno extremorum tantum, & hoc non est petere principium.

Ad secundũ, Nego Min. Nàm etiàm illa negatiua admittit has expositiones: Nàm, quæ ità sunt realitèr eadem vni tertio, vt ab eo realitèr non distinguantur, non oportet, vt absolutè inter se non distinguantur realitèr, sed satis est, si inter se non distinguantur realitèr in illa ratione tertij, in qua realiter identificantur, vel ità non realiter distinguantur, vt ipsum tertium, quod est vni eorum idem, sit, & reliquum.

Tertia, Expositio est, quod hæc propositio est, vniuersalitèr vera quandò ea, quæ identificantur realiter alicui tertio, identificantur illi adæquatè, & conuertibiliter quo modo non identificantur essentia & relationes: Nàm licèt Paternitas sit essentia, non tamèn est adæquatè, & conuertibiliter idem cum essentia: Nàm essentia identificatur etiã cum Filio, cum quo non identificatur Paternitas, vel Pater: Ergò est essentia diuina, non tamen valet, est essentia diuina, Ergò est Pater: Nàm potest esse Filius.

Hanc expositionem habet Capræol. vbi supra in fin. Art. 2. ad 1. & habet fundamentum in D. Th. de Potentia Quæst. 2. Art. 5. Sequuntur què eam Egidius, & Argentina in 1. dist. 23. & Vazq. vbi supra Cap. 2. in fin. & licèt eam reijciat Suarez, vbi supra; quia in Creaturis nulla talis inadæquata identitas inuenitur, & ipsummèt principiũ videtur conuincere, quod nec pótest inueniri: tamèn hoc non tollit quominùs talis propositio, sit vera vbicumquè illa identitas adæquata inueniatur, non vbi inadæquata, eo vel maxime, quod simile huic, potest reperiri in Idea Platonis, cui identificabantur omnia indiuidua illius speciei, vt ipse existimabat, & tamen indiuidua ipsa, non ideò inter se realitèr identificabantur: quia nullum eorum ità adæquatè identificabatur

tur ideæ, vt illi cætera non identificarentur, & loquendo de aliquo tertio communi, adhibetur simile: Nàm, licèt Petrus, & Paulus, identificentur realitèr Homini, non tamèn inter se: quia nullum eorum idẽtificatur Homini adæquatè, & conuertibilitèr.

Quarta Expositio est. Illam perfectionem, debere intelligi de his, quæ identificantur realitèr eidem tertio, non tantùm singulari, sed omninò incommunicabili. Ità Capræol. vbi suprà, & Durandus in 1. dist. 33. Quæst. 1. & Molin. vbi suprà.

Sed hæc expositio coincidit, cum tertia; Nàm ea ratione, non verificatur propositio, quandò extrema non identificantur adęquatè cum tertio, quia illud tertium gerebat vicem cuiusdam rei communis multis, & oportebat tertium esse omninò incommunicabile rebus realitèr distinctis, vt ex identitate, cum illo identificarentur inter se extrema: Hoc autèm est illud esse adæquatè, & conuertibilitèr idem, cum quolibet eorum, quæ illi identificantur. Nequè ex hac intelligentia, sequitur infringi, vim inferendi Conclusionem in sylogismis habentibus medium commune: Nàm fundamentum inferendi ex illis, Conclusiones, non est eadem propositio. Quæcumquæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, sed perfecta medij distributio, cum cæteris conditionibus requisitis ad sylogismos, vel vt logici volunt, fundatur in illis principijs dici, de Omni, & Dici de Nullo, horum vim inferẽdi, non tollet hæc expositio, vel si fundatur in hac propositione, debet fũdari in illa sic intellecta, Quæ sunt eadem vni tertio, æquiualenti vni & omni, quandò identificantur, cum tertio omninò incommunicabili vel communicabili, & communi perfectè distributo, quo ad omnia sua supposita, ità, quod quicquid identificatur illi tertio, identificetur cuilibet supposito, cui tale tertium est commune, & ità, vt ex eo, quod Paternitas, & Filiatio identificantur cum essentia, identificarentur inter se, oportebat, vt ità identificarentur cum essentia, quod identificarentur ipsi, vt æquiualenti, vni & omni, scilicet cum omni re, quæ est essentia.

Ad Argumenta verò à principio. Patet ex dictis Conclusione 1.

ARTICVLVS IIII.

An in Deo sint tantùm quatuor relationes reales, scilicèt Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Processio.

Conclusio est affirmatiua.

DVBITATVR.

An hæc Conclusio sit vera.



VIDETVR, quod non. Primò quòd non sin quatuor relationes reales in Deo: quia aliàs, essent quatuor res: Nàm res est superior essentialitèr ad relationem realem, Ergò multiplicato inferiori, scilicèt, relatione reali, multiplicabitur res, & ità erunt quatuor res, si sint quatuor relationes Consequens tamèn, est falsum: Nàm aliàs, deberet admitti in diuinis, numerus quaternarius, contra ea, quæ dicta sunt Art. 1. Dubitatur primò.

Secundò spiratio est relatio conueniens Personis relatis, vt sic, Ergò non est realis, sed rationis. Antecedens patet: Nàm conuenit Patri, & Filio, qui constituuntur in esse Personale per formas relatiuas, & Consequentia probatur: quia ideò distinctio relationum realium (etiam diuinarum vt sic) non est relatio realis distincta, sed rationis: quia, vt ait D. Thom. infrà Quæst. 42. Art. 1. ad 4. si alia relatione distinguerentur esset processus in infinitum in relationibus, & ideò non debent distingui alia relatione, sed se ipsis, Ergò similitèr, vt Pater, & Filius distinguantur à Spiritu Sancto, quem realitèr producunt, cum sint Personæ relatæ, non indigent alia relatione reali distincta, sed rationis, & sic, suis relationibus Paternitate videlicèt, & Filiatione, distinguentur ab illo.

Tertiò probatur, quod sint plures: Nàm in diuinis, quælibet est realitèr in altera, Ergò ista relatio mutuæ præsentiæ, vel inexistentiæ

vnius

vnius in altera, cum habeat fundamenta distincta, & eiusdem ordinis, & ex natura sua sit talis habitudo, erit realis.

Sed contra est Conclusio Articuli.

QVę est cómunis Theologis, & probatur sufficiētèr ratione ipsius. Quo verò in sensu debeant admitti quatuor istæ relationes reales, & diuersitas opinionum, quæ versantur circa hoc, explicabuntur infrà Quæst.32.Art.2.

Pro cuius declaratione.

SVppono. Istas quatuor relationes non dici reales: quia sunt quatuor res distinctæ realitèr tamquam res, à re, vel formalitèr ex natura sua, ante omnem operationē intellectus: Nàm, licèt Paternitas, Filiatio, & processio, ità distinguantur, tamèn spiratio actiua, non distinguitur isto modo à Paternitate, & Filiatione, vt dicetur Quæst. 32. dicuntur, Ergò quatuor relationes reales: quia verè sunt respectus reales relati ex natura sua ad terminos reales, & eiusdem ordinis, licèt non omnes intèr se realitèr distinguantur.

Hoc supposito.

AD primum aliqui negant Consequentiam: quia inquiunt, variatur appellatio illius termini, Reales: Nā in consequenti appellat, vel applicat realitatem ad mutuam distinctionem realem, vel formalem relationum: in Antecedenti, autèm ad habitudinem, quàm istæ relationes dicunt ad terminos.

Alij verò negant Sequellam, & Ad probationem dicunt, rem non necessariò esse aliquid formalitèr superiùs ad relationes, sed sicut materiale illarum: quia eadem res est duplex relatio, sicut: quia idem motus est actio, & passio, motus non est formalitèr ad illas superior, vt sunt distincta prædicamēta, sed sicut materiale respectu illorum, ideò, non valet Actio, & passio sunt res, & motus realitèr, & sunt distincta prædicamenta, Ergò distinctæ res, vel distincti motus, ità hic, & similitèr, licèt similitudo, & dissimilitudo, sint duæ relationes reales, non tamèn sunt duæ res, sed vna, & eadem: quia res tantùm se habet materialitèr respectu illarum, vel quia variatur applicatione realitatis cū in antecedenti applicet, suprà rationem relationum: in Consequenti


verò supra mutuam distinctionem realem, tamquàm res à re.

Ad secundam Nego Consequentiam. Differentia est: quia distinctio relationum, est relatio fundata in ipsis relationibus, tamquàm in fundamento, & vna relatio, non potest esse fundamentum alterius relationis realis (vt docet D.Th. ibi.) at verò Spiratio, licèt, conueniat Personis relatis, & relationes sint veluti conditiones necessariæ ad cōstituendum subiectum relationis: tamèn huiusmodi relatio, non fundatur in ipsis relationibus, sed in spiratione actiua, quæ est actus notionalis, & ideò potest esse relatio realis distincta.

Ad tertiam Nego Consequentiam, proptèr rationem dictam: quia talis relatio fundatur in relationibus, in quibus non potest fundari relatio realis distincta, & ità illa relatio (si est realis) est eadem, quæ est Paternitas, & Filiatio: Nàm, licèt istæ relationes, in Humanis, non includant istam præsentiam, tamèn in diuinis includunt illam, tùm ratione essentiæ, tum etiam: quia fundantur in actionibus immanentibus, quarum termini, & principia, debent esse sibi inuicem coniuncta.

Dices. Ista relatio præsentiæ, vel inexistentiæ est æquiparantiæ, Relatio Paternitatis, & Filiationis desquiparantiæ, Ergò sunt distinctæ relationes.

Respondeo nego Consequentiam: quia eadem relatio, sub distinctis nominibus significata, habet rationem æquiparantiæ, & disquiparantiæ: Etenim distinctio realis inter Paternitatem, & Filiationem, est relatio realis æquiparantiæ, & eiusdem denominationis in vtroq; extremo, & tamèn eadem cum Paternitate, & Filiatione, quæ sunt relationes disquiparantiæ.



QVAE-

QVÆSTIO XXIX. DE PERSONIS DIVINIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

De diffinitione Personæ.

Conclusio.

Persona rectè diffinitur à Boetio, quod sit rationalis naturæ indiuidua substantia.



IN hoc Articulo circa istam diffinitionem Personæ, nota Primò, Quod nomine rationalis naturæ, intelligitur etiam intellectualis, vt comprehendit Diuinam, Angelicā, & Humanam: Nàm nomen rationalis (largè sumptum) significat id, quod est intellectuale, vt habet D. Th. 1. Sententiarum d. 25. Quæst. 1. Art. 1. ad 4. & 2. 2. Quæst. 83. Art. 10. ad 2. & ideò, licèt, ibi ostēdat Orationem esse actum rationalis Creaturæ proprium, non ideò non conuenit Angelis. Vndè Cicero de Natura Deorum dixit; in Deo, & Hominibus (& etiam Angelis) reperiri Personas, & Greg. Hom. 10. in die Epiphaniæ, Angelum vocat Animal rationale, vel dicatur cum Dionis. Cap. 15. Cælest. Gyerar. quod Angeli, & Deus, superiori, & eminētiori modo sunt rationales, vt potè eminentèr, & ideò conuenit eis, hæc diffinitio Personæ, in qua nomine RATIONALIS, intelligitur rationale formalitèr, vel eminentèr.

Ex hoc sequuntur duo. Primum est, Scotum 1. dist. 22. Quæst. 1. malè repræhendere hanc diffinitionem, quasi ratione illius particulæ Rationalis non conueniat Deo.

Secundum est; Personam significare specialem dignitatem, & excellentiam,

cellentiam, ex parte naturæ, in qua subsistit: quia solùm reperitur in natura intellectuali, cũ ratio suppositi reperiatur etiã, in inanimatis

Format hoc Cicero de Officijs dicens. Nobis imposuit Personam ipsa natura, magna cùm excellentia, præstantiaquè cæterorum animantium.

Nota Secundò. Quod licèt natura aliquandò sumatur pro substantia perfecta, quæ potest agere, & pati, vt quod, quæ prædicatur in recto de Persona, tamèn, quia sumitur etiam pro forma, vel essentia, quæ non est id, quod agit, hic non sumitur primo modo, aliàs, prædicaretur de Persona in recto, & non in obliquo, sed sumitur 2. modo, ità D. Thom. in prima dist. 25. Quæ. 1. Art. 1. ad 3. & ad Anibaldum ibidem Art. 1. ad primum.

Nota Tertiò. Quod illo nomine Indiuidua significatur res incommunicabilis, non naturæ, sed supposito. Explicatur hoc; Essentia diuina indiuidua, & singularis, est idem, quę reperitur in spiratione actiua, in Humanitate Christi, in Anima rationali separata. Cæterum non sunt Personæ; quia communicãtur suppositis, nempè Essentia tribus Personis diuinis, Spiratio, Patri, & Filio. Similitèr Humanitas Verbo diuino, ac tandem Anima ex eo, quód sua parte, natura est vnibilis materiæ, ex qũa vnione resultat, & natura, & suppositum, est cõmunicabilis supposito, Idem dicendum est de partibus Hominis v.g. manu, pede &c. non tantùm, quandò sunt coniunctæ Homini: quia tunc communicantur supposito, sed etiam quandò sunt separatæ Hoc negat Vazq. hic: quia, inquit, ità per se sunt hæ partes separatæ, vt sua parte natura sub ea forma, & esse, quod habent, non possint communicari alteri supposito, Ergò licèt, nõ sint Personæ, sunt supposita partes Hominis separatæ.

Sed contra hoc est, quod illæ etiam separatæ retinent eamdem formam, quam habebant in cadauere, Ergò, vt sic, possunt tali supposito communicari; Ergò de se non sunt supposita: maximè, quia quemadmodum viuæ partes istæ, ex natura sua sunt partes viuentis, ità mortuæ ex natura sua, sũt partes cadaueris. Dixi nõ naturæ, sed supposito: quia Persona potest communicari multis naturis, vt Verbum diuinũ, non tantũ subsistit in natura diuina, sed etiam in Humana, & eadem ratione, posset subsistere in infinitis, de quo videmus, est D. Th. 3. ad Anibal. d. 5. Quæst. vnica Art. 4., vbi docet, quod contrariũ Personæ est communicabilitas passiua, quæ cõmunicatur alteri transiẽs ad eius Personalitatẽ, nõ actiua, qua manẽs in ratione Personæ cõmunicat se alicui naturæ, vel cõmunicabilitas adunationis, qua multa vniuntur in eadẽ Persona.

Nota

Nota Quartò. Illo nomine Substantia significari substantiam cōpletam propter, quod etiam si anima rationalis, & Personales separatæ, non essent communicabiles supposito, non essent Personę, quia non sunt substantiæ completæ, significat etiam substantiam per se subsistentem, vt quod, & vt suppositum non secundùm, quod est idem cū essentia: Nàm ista substantia, quæ est persona, significat relationem, vt dicetur Art. 4. & multiplicatur in diuinis, vt dicetur Quæst. 30. Art. 1. non verò substantia, vt significat essentiam, de quo dicetur Art. seq., significat tandèm substantiam abstrahentem Art. 1. & 2. & per differentiam illam, scilicèt indiuidua contrahitur ad rationem suppositi, Ità D. Th. in 1. dist. 25. Quæst. 1. Art. 1. ad 7. & de potentia. Quæst. 2. Art. 7. Ex eo autem, quod persona diffinitur per substantiam sequitur primò: Quod errauit Laurentius Valla lib. 6. elegantiarum Cap. 34. vbi contendit infirmare hanc diffinitionem; quia Persona significat qualitatem non substantiam: Nàm vna eademqua substantia, potest gerere diuersas personas, & ita concedit in diuinis non significare substantiam, sed qualitates, sed licèt communitèr apud latinos, & aliquādò in scripturis accipiatur Persona pro qualitate Personæ, V. G. si est diues, vel pauper, nobilis, vel ignobilis, Nàm ideò dicitur in scriptura, non esse accipiendam Personam diuitum scilicèt, eorum qualitatem, tamen etiàm accipitur pro ipsis hominibus, & in scripturis, vt patet. Secundæ Corinth. 1. Vt ex multorū personis gratiæ agantur, Et in profanis auctoribus, vt apud Cicero. in oratore, vbi dixit innumerabiles esse hominum personas. Sequitur secundò Errasse Henricum, quodl. b. 5. Quæst. 6. dicentem, Personam significare rem secundæ intentionis, quod probabat.

Primò, quia opponitur secundæ intentioni scilicèt, vniuersali, & contraria sub eodem genere collocantur,

Secundò, quia plurificatur in diuinis, vbi vnum reale plurificatur.

Tertiò, quia aliàs, essēt genus, vel species: Nàm est aliquid cōmune pluribus, & prędicatur de illis in quid, si enim quæratur, quid est Pater, optimè Respondeo, quod est Persona, idem dixerunt alij, quos refert Palud. in 1. dist. 23. & Duran. ibidem Quæst. 1. nu. 5. & 24. Sed rationum corollarium est D. Th. hic ad 3. & Quęst. 34. Art. 4. & 1. dist. 23. Quæst. 1. Art. 3. in corpore, & Dist. 35. Quęst. 1. Art. 1. ad 8. & de Potentia Quæst. 9. Art. 2. ad 2. & 5. & patet: Nàm ideò diffinitur per substantiam, quę est aliquid reale.

Secundò, quia dicit perfectionem, & excellentiam in natura rationali: Secunda autem intentio, non est perfectio.

Ter-

Tertiò, quia secũda intẽtio non potest prædicari in quid de aliquo ente reali, sic autẽ prædicatur Persona de Patre, vt habet August. 7. de Trin. Cap. 10.

Quarto, qui a Persona dicitur creata, vel increata, quæ denominationes, secundæ intentioni nõ competũt, & particula, INDIVIDVA non significat in diffinitione Personæ, Secundam intentionem singularis, sed reale fundamentum illius, scilicèt, incommunicabilitatem; qui est modus quidam essendi peculiariter per se ipsum, independentèr ab omni subiecto, vel (vt ait D. Tho. hic ad 3.) per hanc particulã SECVNDE INTENTIONIS, ex defectu nominũ, circũloquimur modum istum particularem, quem addit Persona suprà naturam.

Nec Argumenta Henrici aliquid probant.

Ad primum Respondeo, negando, quod Persona opponatur formalitèr vniuersali, sed opponitur alicui reali innominato, scilicèt, subsistenti in natura non intellectuali, sub quo continentur Bruta, & multa alia, vel non subsistenti, vt quod, sub quo continentur partes substãtiales, & vniuersales, etiam, naturæ.

Ad secundum verò, negatur Antecedens: Nàm res relatiuæ multiplicantur in diuinis, & Persona significat relationem, vt dicetur Art. 4.

Ad tertium, negatur Sequella duplici de causa. Primò, quia Genus vel Species, significant naturam absolutè sumptam, sine aliqua limitatione, aut conditione peculiari: Nàm ideò aliquis Homo, non est vniuersale; quia significat naturam, cum particulari modo essendi, & similitèr Persona, significat hunc peculiarem modum essendi, quẽ addit suprà naturam, & ideò non est vniuersale.

Secundò; quia ad rationem vniuersalis, requiritur, vt eius esse, multiplicetur in inferioribus; Personæ autèm diuinæ, habent vnum, & idẽ esse vt ex D. Th. ostendimus Quæst. 28. Art. 2. dub. 3. & ideò, nullum vniuersale, dictum de diuinis Personis, habet rationem Generis, vel Speciei.

Ex omnibus istis; patet, hanc diffinitionem Personæ, quam tradit Boecius, sic explicatam, coincidere cum diffinitione, quam adhibet Ricardus, de Santo Victore 4. de Trin. c. 23. qui sic ait. Persona est intellectualis naturę, incommunicabilis existentia, scilicèt res per se, & substantialiter existens incommunicabilitèr in natura intellectuali.

ARTICV-

ARTICVLVS II.

An Persona sit idem, quod hypostasis, subsistentia, & essentia.

Conclusio.

Persona significat in genere rationalium substantiarum, quod hæc tria nomina subsistentia, res naturæ, substantia, vel Hypostasis.

DVBITATVR PRIMO.

An hæc Conclusio sit vera.



IDETVR quod non. Primò, quia aliàs deberemus concedere in Deo, tres Hypostases, sicut concedimus tres Personas. Consequens est contra Sanctos Patres Hyero. Epistola 57. ad Damas. Nazian. in Oratione de laudibus Athanasij, Athan. in Epist. ad Episcopos in Aphrica. Cõcil. Sardiense in Epistola ad Episcopos, vt refert Niceforus lib. 9. Cap. 12. negantes dari in diuinis tres Hypostases: quia aliàs, darentur tres Essentię, cum idem significent Hypostasis, & Essentia.

Secundò, quia si substantia sumatur pro supposito, deberemus concedere in Deo tres substantias, cum sint in illo. Tria supposita. Consequens tamen est falsum: Nàm Concilium Toletanum vi. Cap. 1. & 11. in Confessione fidei; diffinit in Deo, vnam tantùm esse substantiã. Et Aug. 5. de Trin. Cap. 6. & lib. 6. Cap. 4. Negat, in Diuinis esse admittendas tres substantias: quia aliàs, admitterentur tres Essentiæ. Cõfirmatur: Nàm Deus non supponitur accidentibus, Ergò non debet dici Hypostasis, vel substantia: docet enim D. Th. in hoc Art. Personã vocari Hypostasim, secundùm quod supponitur accidentibus, & de-

poten-

potentia Quæst.9.Art.2.ad 4.ait,quod id,quod per se existit, & non substat Accidentibus potest dici subsistētia, non tamèn substantia propter,quod. Aug.7.de Trinitate Cap.5.ait, Deum abusiuè vocari substantiam:quia aliàs esset compositus,cum compositum sit, quod substat Accidentibus, & tamē Deus est Persona, Ergò non sunt idem.

Tertiò D.Th. docet, quod Persona dicitur subsistentia quatènus per se existit in se,& non in alio.

Contra hoc sic Arguitur. Si hoc esset verum, quod subsistentia significaret existentiā per se, non deberemus concedere in diuinis tres subsistentias. Consequens est contra Concilium Constantonopolit. Primum,& Edictum Iustiniani Imperatoris, vbi dicitur Anathema ei,qui non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentijs, & contra Concil.Constantino 5.Art.11.vbi dicitur; Trinitatem esse numerabilem Personalibus subsistentijs, Ergò.Sequella patet: Nàm Quæst. 28.Art.2.dub.3.ostensum est in diuinis Personis tantùm,dari vnam existentiam,& non tres;cùm autem subsistentia sit substantiuum, si darentur tres subsistentiæ,deberent dari tres existentiæ: quia nomina numeralia (vt dicetur infrà,) adiuncta substantiuis, numerant, & multiplicant formas per se primò significatas per illa, & non tantùm supposita.

Vltimò Arguitur,quia D.Th.in Art.ait;suppositum significare secundam intentionem; hoc autèm contra dicit suprà dictis: Nàm Persona significat primam intentionem, suppositum autèm est superius ad Personam; Ergò significat primam,& non secundam intentionem.

Sed contra est auctoritàs D.Th.

CVius veritas,explicabitur in solutionibus Argumentorum.

Ad primum Ergò,quidam,quos refert D.Th.3. par. Quæst.2. Art.3.& 3.contra Gentiles Cap.38.distinguebant hypostasim à Persona,& ideò dicebant,in Christo esse vnam Personam, & duas hypostases;quia dicebant hypostasem nihil aliud esse, nisi substantiam indiuiduam,& in Christo, est duplex substantia indiuidualis, scilicèt Humanitas,& Diuinitas.Alij verò sentiebant, hypostasem solùm,significare essentiā,vt referunt Nazian.orat.21.& 32.& Aug.5. de Trinitate Cap.8.& 9.& patet ex illo Hæbreorum primo. Figura substantię eius.Græcè habetur Hypostas.& significat naturā,vt habēt Athan. Epistola ad Episcopos Aphricæ, Epiph. de Hæresibus, hæres. 69., & alij ibi,licèt aliqui explicent de Persona, vt Basilius Epist. 41.& 43.

Belarm.

Bellarm. 2. de Christo Cap. 4. Genebrardus 2. de Trin. Cap. 4. & Caiet. ibi, Sed postea cognitum fuit, significationem huius nominis, esse æqui uocam, & posse sumi, non tantùm pro essentia, sed etiàm pro supposito, vt explicant Basilius Epist. 41. & 95. Cyril. 1. in Ioan. Cap. 2. Dionis. de diuinis Nominibus Cap. 1. & ratio est: quia Filius illius, est figura, & imago, cuius est Filius, & à quo distinguitur, est autem Filius Patris, & distinguitur ab illo non ab essentia; Communitèr tamèn Concilia, & Sancti Patres, nomine hypostasis, vtuntur ad significandũ suppositum, Imo verò iam abijt in disuetudinem, vt hypostasis accipiatur per essentia, & ideò concedendum est absolutè, tres personas diuinas esse tres hypostases, & negandum est, illas esse vnam hypostasim.

Ad primum Ergò. Respondeo, illa testimonia procedere de hypostasi, vt significabat essentiam, non de hypostasi, vt modò sumitur pro supposito.

Ad secundum Basi. vbi suprà, & Hylar. de Synodis, Anselmus, de Incarnatione Cap. 8. Ioan. Episc. in lib. de duabus naturis contra Euticetẽ docent, substantiam debere accipi pro supposito, & ideò concedendas esse tres substantias in diuinis, Imò Basilius, negat in diuinis esse vnam substantiam: quia substantia significat suppositum, & non est ibi vnum suppositum, sed tria. Et ratio huius est. Primò: quia plures Personæ diuinæ, sunt plures res, & non plura Accidentia, Ergò plures substantiæ.

Secundò: quia Persona est prima substantia, sunt plures Personæ, Ergò plures primæ substantiæ, & per Consequens plures substantiæ, vnde Aug. docet, ità posse concedi, vbi non fuerit scandalum. ità habet 4. de Trinitate Cap. 9. & lib. 7. Cap. 4. 5. & 6. Idem docet Ioan. Latinus dist. 19. Concilij Florentini: quia, inquit, substantia significat suppositum, & essentiam, & quandò dicimus, esse tres substantias significamus tria supposita. Cæterum: quia nomen SVBSTANTIA est absolutum significans id, quod per se existit, & in Deo tantùm damus vnam existentiam substantialem communem tribus Personis, & nulla relatiua, Ideo iam nomen Substantiæ, absolutè sumptum, in diuinis non sumitur pro suppositis, sed pro essentia, vndè quemadmodum, licèt admittamus in diuinis, tres res, non debent concedi, tria Entia: quia ens dicitur ab esse, quod in Deo, non est nisi vnum, ità ad vitandum errorem, non debemus dicere in diuinis tres substantias, sed vnam, quæ significet essentiam, ità D. Th. de Potentia Quæst. 9. Art. 2. ad 8. & in ista acceptione, procedunt testimonia adducta in secundo

Argu-

Argumento negantium, tres substantias.

Ad Confirmationem, Respondeo cum D. Tho. Art. 3. ad tres, quod nomen SVBSTANTIA, non conuenit Deo, quantum ad, à quo nomen imponitur: quia non substentat accidentia, sed quantum ad id, quod nomen significat, scilicèt, quatenùs importat rem per se, & non in alio existentem, & Aug. & D. Th. negantes substantiam dici de Deo propriè quantum ad id, loquuntur à quo nomen imponitur.

Ad tertium Respondeo; subsistentiam propriè sumptam significare modum quédam realem superadditum naturæ constituentem illam in esse suppositi, & proximi, immediatèq; susceptiui, vt quod existentiæ, & operationum, & determinantem illam ad esse omninò incommunicabilem. De quo dicemus dubio sequēti, & quia est ratio constitutiua suppositi, ideò Concilia vsurparunt istud nomen ad significandas ipsas met Personas cōstitutas tali modo, & proprietate, vt patet in Concilio Calcedo. In fine actionis. quintæ, & in edicto fidei, quod Iustinianus Imperator transmisit ad Ioannem Pontificem secūdum, & habetur in 2. Volumine Conciliorum, & ex Concillio Tolletano XI. & 5. Synodo Constātinopoli Cap. 1. vbi diffinitur; Trinitatem esse in tribus subsistentijs, & ità communitèr loquūtur Concilia, quorum multa refert Molina hic disput. 3. Cap. 1. §. In hac acceptione.

Ex hoc patet, subsistentiam non significare formalitèr idem, quod existentia, sed D. Tho. loquutum fuisse in sensu causali: quia enim subsistentias est ratio constitutiua proprij, & immediati subiecti existentiæ, vel est ipsum subiectum existentiæ, quandò dixit, quod subsistentia dicitur secundum, quod per se exisit, intelligitur causalitèr, scilicèt quod causat proprium susceptiuum existentiæ, vel quod est proprium susceptiuum existentiæ. Vel dicatur secundò, quod ratio Personæ, vel suppositi, consistit non tantùm in hoc, quod per se existat, sed quod nullo modo possit esse in alio supposito, vt explicat D. Th. 3. p. Quæst. 2. Art. 2. ad 3. Et ibi Caiet. & ideò quandò dixit D. Th. quod subsistentia vocatur secundum quod, existit per se, & non in alio circumloquitur rationem suppositi non per hoc, quod est existère per se: hoc enim conuenit omni substantiæ etiam partiali, sed per hoc, quod est esse talem rem, vt in nullo alio possit esse tamquam in aliquo perfectiori, per hoc enim excludantur partes, & Humanitas Christi, quæ, licèt per se existant non tamèn sunt tales res, quibus debeatur existere separatim, & non possint esse in alio perfectiori cum partes sint in toto, & Humanitas Christi in supposito diuino, & hoc non est idem, quod existere per se, quod est proprium substantiæ, sed est habere mo-

dum

dum quemdam realem incommunicabilem, & perſonalem, qui poteſt in diuinis multiplicari.

Ad tertium, Ergò iuxta hanc doctrinam nego ſeq. Ad probationem nego Min. quòd ſi dantur tres ſubſiſtentiæ dentur tres exiſtentiæ: dictū eſt enim, quod ſubſiſtentia hic non ſignificat exiſtentiam, ſed rationē exiſtendi, vel id, quod exiſtit in alio, ſed per ſe ſeparatim, Hæc autèm ratio, quæ eſt ſuppoſitalitas, vel ſuppoſitum, dicit aliquid diſtinctum ab exiſtentia, & ideò poteſt multiplicari in diuinis, non multiplicata exiſtentia.

Ad quartum D. Th. primo ad Anib. diſt. 25. Quæſt. 1. Art. 1. videtur docere, quod hoc nomen Perſona, & Hypoſtaſis, ſignificat rem cū ſecunda intentione: quia ſignificat primam ſubſtantiam, & hic videtur docere ſuppoſitum tantùm, includere ſecundam intentionem, & hoc nomen eſſe ſecundæ intentionis, ſed quia in locis citatis Art. 1. contrarium docuerat, ideò ſciendum eſt, quod hoc nomen indiuiduū ſumitur dupliciter, vno modo inquantum eſt correlatiuum ſpeciei, & eſt ſubiectum incommunicabile prædicationis, & iſto modo ſumitur ſecundò intētionalitèr, & ſi in diffinitione Perſonæ, ſumeretur iſto modo illa particula INDIVIDVA, includeret ſecūdā intētionē. Et poſſe accipi iſto modo videtur ſignificare D. Th. in 3. p. Quæſt. 2. Art. 1. ad 2. vbi ait, ſubſtātiam dici incommunicabilem, quòd eſt eſſe indiuiduam, inquātum non poteſt de pluribus ſuppoſitis prædicari, vbi patet ſumere ſecundò intentionalitèr rationem indiuidui, & incommunicabilis, & iſto modo etiam, poteſt ſumi ratio ſuppoſiti: quia poteſt ſignificare id, quod in propoſitione primò ſubijcitur prædicatis, & loquendo de Perſona, vt indiuidua eſt, iſto modo, & de ſuppoſito, vt ſic, ſupponitur prædicationi, certum eſt, ſignificare rem, cum ſecunda intentione, vel ipſam ſecundam intentionem.

Secundò ſumitur indiuiduum, & ſuppoſitum, vt eſt res ſingularis in genere ſubſtantiæ, & primò ſuſtentat realitèr accidentia qualitèr eſt fundamentum ratione cuius conuenit ei intētio primi ſubiecti prędicationis, & loquendo de illo iſto modo, Perſona, & ſuppoſitum non includit aliquid pertinens ad 2. intentionem, ſed dicit aliquid reale, & vtroquè modo ſuppoſitum eſt ſuperius ad Perſonam ſi ſumatur ſecundæ intentionalitèr eſt ſuperius ad Perſonam, vt in eius diffinitione indiuiduum ſumitur ſecundæ intentionalitèr, vt verò ſumitur primò intentionalitèr, eſt ſuperius ad Perſonam, vt in eius diffinitione indiuiduum ſumitur primò intentionalitèr.

DVBITATVR II.

An Deus, vt præintellectus Personis includat aliquam subsistentiam absolutam, & communem, & loquimur de subsistentia pro vt significat non idem, quod Persona, sed illum modum realem superadditum naturæ constituentem illam capacem existentiæ, & operationum.



IDETVR, quod non. Primò: quia Concilia negant vnam talem subsistentiam cōmunem. Docent enim, vt diximus dub. præcedenti, Personam, & subsistentiam esse idem, vt docuit Ioann. Maxentius in sua confessione fidei, quæ habetur tomo 5. Bibliothecæ Sanctorum Patrum, sed docent non dari vnam Hypostasim, vel Personam absolutam, Ergò neque vnam subsistentiam.

Confirmatur: Nàm Iustinianus Imperator in confessione fidei missa ad Ioan. Pontificem, quæ habetur in tomo Conciliorum post Concilium Tolletanum 2. ait in diuinis substantiam, vel formam esse cōmunem, subsistētiam verò esse specialem, & propriam. Et Theodoretus, vt refertur in 2. tomo Conciliorum post Synodum quintam generalem, ait regulam fidei esse, vt credantur 3. subsistentiæ non vna subsistentia Trinitatis, & iterum infrà Ecclesia decernit vnam esse Trinitatis naturam, non vnam subsistentiam. similitèr Athana. in Dialogo de Trinitate ait essentiam, non nisi in Indiuiduis, hoc est, Hypostasibus subsistere, Ergò Deus, vt præintellectus Personis non habet per se subsistentiam.

Dices: testimonia hæc loquuntur de subsistentia in concreto cum sumitur pro Persona, & in significatione ista non dari aliquam subsistentiam communem, & absolutam, sed solùm illam debere concedi sumendo subsistentiam pro quadam ratione abstracta perfectæ, & per se existendi.

Sed contra hoc est: Nàm: quia vsus Ecclesiæ, & Conciliorum sumit subsi-

ſubſiſtentiam pro Perſona etiã in concreto ſubſiſtentia in abſtracto ſignificabit rationem formalem conſtitutiuam Perſonæ, vel ſuppoſiti, non verò rationem abſolutam, & communem, quæ eſt contraria ſuppoſito.

Explicatur hoc: quia ſubſiſtentia in concreto ſignificat ſuppoſitum omninò incommunicabile, ſubſiſtentia in abſtracto dicit eſſentialitèr formam conſtituentem incommunicabilem Perſonam, vel ſuppoſitum, & ità illa neceſſariò debet eſſe incommunicabilis, & per Conſequens forma communis, & abſoluta non poterit eſſe ſubſiſtens.

Cõfirmatur. Secundò: quia exiſtẽtia, & ſubſiſtẽtia differunt: quia exiſtentia dicit actualitatem eſſendi ſubſiſtentia verò vltimum terminum exiſtẽtiæ, quo res fit incommunicabilis, ſed vltimus terminus debet eſſe incommunicabilis, Ergò nõ poterit dari indè ſubſiſtentia abſoluta, quæ debet eſſe communicabilis.

Secũdò Arguitur: Quia aliàs eſſentia diuina, vt præintellecta Perſonis eſſet Perſona. Conſequens eſt contra fidem, Ergò. Probatur, Sequella: Nàm D. Th. 3. p. Quæſt. 3. Art. 3. ad primũ, ait ſubſiſtẽtiã in diuina natura eſſe Perſonam, & hic ait, Idem eſſe ſubſiſtens, & Perſona, & de potentia Quæſt. 9. Art. 3. & 5. ait, ex hoc, quod aliquid eſt ſubſiſtens habere vndè non poſſit de pluribus prædicari, Ergò, ſi eſſentia diuina eſt ſubſiſtens, cum ſit in natura rationali, & non poſſit de pluribus prædicari, erit incommunicabilis incommunicabilitate requiſita ad rationem Perſonæ, quam explicauimus Art. 1. & per Conſequens conueniet ei ratio Perſonæ. Min. verò probatur: quia aliàs prẹter tres Perſonas relatiuas dabitur in Deo quarta Perſona abſoluta, quod eſt contra Concilia ſuprà citata, ſpecialitèr contra Lateranenſe cuius diffinitio refertur C. Damnamus, vbi decernitur in Deo non eſſe Perſonarum quaternitatem.

Tertiò Arguitur: Quia aliàs in Deo non eſſent ſubſiſtentiæ relatiuè: Conſequens eſt contra fidem, vt oſtendetur Concluſione 1. Ergò probatur Sequella: Nàm, ſi in Deo ponimus ſubſiſtentiam abſolutam, illa eſt ſimplicitèr infinita præhabens omnem rationem ſubſiſtentiæ, Ergò pratèr illam, non ponetur alia: Nàm extra infinitum non eſt aliquid accipere in illo genere, vt quia intelligere eſſentiale in Deo eſt infinitum nullum aliud datur intelligere relatiuum.

Cõfirmatur. Subſiſtentia eſt ratio conſtituens Indiuiduũ per ſe, & independentèr exiſtens, & vltimo terminans naturam, ſed ſi datur ſubſiſtentia abſoluta infinita debet habere omnes iſtas proprietates, Ergò ſuperfluunt ſubſiſtentiæ relatiuè, cum non poſſint aliud ve-

luti formalem effectum tribuere.

Quartò. Sequitur hunc Deum, vt præintellectum Personis generare Verbum. Consequens est contra fidem: quia aliàs distingueretur ab illo, Ergò probatur Sequella: Nàm habet omnia requisita ad generationem, est enim subsistens, & habet principium generationis, scilicèt essentiam, & generatio est propria actio naturæ diuinæ subsistentis: quia est communicatiua naturæ, & actio per se primò communicatiua naturæ, per se primò conuenit subsistenti in tali natura, Ergò competit huic Deo, vt præintellecto personis. Probo Consequentiã: quia actio non libera (qualis est generatio Verbi) conuenit necessariò principio habenti omnia requisita ad talem actum.

Cõfirmatur. Quia aliàs, non posset Deus cõsiderari in abstracto, sed in concreto, & Deitas in abstracto conciperetur, vt imperfecta. Consequens est falsũ, Ergò. Sequella pro prima parte patet: Nã si essentia habet subsistentiam essentialem, illa erit de eius essentia, & per Consequens, Deus sine illa non poterit considerari, quod autèm consideretur, vt habens subsistentiam, est illum in concreto considerari. Pro secunda etiam parte probatur eadem Sequella: quia Deitas in abstracto cõsideratur sine subsistentia, & per Consequens sine perfectione simplicitèr infinita: quia talis est subsistentia, Ergò vt imperfecta. Min. verò pro prima parte patet: Nàm Deum in abstracto posse considerari, admittit D.Th. suprà Quæst. 3. Art. 3. & infrà Quæst. 40. Art. 1. in Corpore, & ad primum, & ideò ait in Deo idem esse Deum, & Deitatem, & probatur: quia essentia in abstracto, est principium Quo. generationis, Ergò.

Pro secunda etiam parte probatur Min. Nàm, si Deitas in abstracto conciperetur, vt imperfecta, conciperetur, vt Creatura, & non esset forma Dei, nec idem formalitèr cum Deo.

Quintò Arguitur. In Deo reperiuntur 3. subsistentiæ relatiuę, vt patebit Conclusione 1. Ergò nulla absoluta. Patet Consequentia: quia de ratione subsistentiæ est esse vltimum terminum naturæ facientem illam independentem, & incommunicabilem, ac per Consequens ipsi, vt sic repugnat vlterius terminari per alium terminum, & subsistentiam, Ergò non possent in Deo reperiri, prætèr istam subsistentiã absolutam, alię subsistentiæ relatiuæ: quia vna intelligeretur terminari per alias, qua ratione, repugnat eamdem naturam habere duas personalitates Creatam, & increatam: quia vna terminaret aliam, quod implicat, vt docet D. Thom. Tertia parte Quæst. 4. Art. 1. Ergò.

Confirmatur.

Cōfirmatur. Deus vt ſpirator, licèt ſit concretum, Deitas non dicit ſubſiſtentiam: quia eſt communicabilis, Ergò neq; Deus, vt ſic.

Sed contra eſt auctoritas D. Th.

INfrà Quæſt. 40. Art. 2. ad 2. vbi ait, quod diuinæ Perſonæ non diſtinguuntur in eſſe, in quo ſubſiſtunt, quo ſignificat omnes Perſonas cōuenire in exiſtentia Dei abſoluta, in qua omnes ſubſiſtunt: quia illud eſſe, eſt perfectiſſimum, & in ſe ipſo completum.

IN hoc dubio ſunt quatuor ſententiæ. Prima, negat dari talem ſubſiſtentiam abſolutam, & communem in Deo, ſed tantùm tres relatiuas ità Alexan. 3. par. Quæſt. 2. memb. 3. & Quæſt. 7. memb. 1. Art. Bonau. 3. ſenten. diſt. 1. Art. 1. Quæſt. 3. & diſt. 5. Art. 1. Quæſt. 4. Marſilius 3. Quæſt. 2. Art. 3. dub. 3. Henric. Quodlib. 5. Quæſt. 8. & prima parte ſummæ Art. 5. Quæſt. 6. Ricardus 3. ſententiarum diſt. 5. Art. 1. Quæſt. 2. & in 1. diſt. 26. Art. 1. Quæſt. 1. ad 2. & Art. 2. Quęſt. 1. Vazq. hic diſp. 125. Cap. 3. & 4.

Secunda ſententia eſt, in Deo eſſe ſubſiſtentiam abſolutam, præintellectam relationibus, & præter illam, nullam aliam relatiuam ſubſiſtentiam dari in Deo, ſubſiſtentiamquæ illam abſolutam, dicere perfectionem ſimplicitèr infinitā, ità Scotus, 3. diſt. 1. Quæſt. 2. Capræol. in 1. diſt. 26. Quæſt. 1. & 3. diſt. 1. ad Argumenta contra 4. Concluſionem, Palud. ibi Quæſt. 2. in fine, Ferrar. 4. contra Gentiles Cap. 26. Albertus Mag. 1. parte ſummæ, tractatu 10. Quæſt. 43. Eegidius in 1. diſt. 13. Quæſt. 2. Art. 3. ad 4. Argent. diſt. 26. Quæſt. 1.

Tertia eſt. Dari in Deo tres ſubſiſtentias relatiuas, & vnam abſolutam, quæ ſola ratione diſtinguatur ab illis. Ità Caiet. ſuprà Quæſt. 3. Art. 3. hic Art. 4. ſuprà Quæſt. 39. Art. 4. & 3. parte Quæſt. 2. Art. 3. circa ſolutionē ad 3. & Quęſt. 3. Art. 2. & Miranda in ſumma Conciliorū in Annotationibus, ad 6. Synodū Actione 11. Molina hic diſp. 3. Cap. 2. Meminere, quæ huius ſententię Henricus ſup. & Duran. in 1. diſt. 26. Quęſt. 1.

Quarta eſt, Relationes non habere ſubſiſtentiam per ſe, ſed illam habere ab eſſentia, quam intrinſecè includunt. Cęterum: quia eſſentialis ſubſiſtentia, non conſtituit Perſonas, niſi modificata per tres relationes, & coniuncta illis, ideò induit rationem trium perſonalium ſubſiſtentiarum, ſicut eadem eſſentia, vt modificata diuerſis relationibus Paternitatis, ſcilicèt, & Spirationis, induit rationem diuerſarum

potentiarum, generatiuę videlicèt, & Spiratiuę. Hanc refert Bannes, & Zumel infrà Quęstione 40. Art.4.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Si ſubſiſtentia ſumatur in concreto, vt ſecundum communem vſum Conciliorum, & Eccleſiæ, ſignificat idem, quod ſuppoſitum, vel hypoſtaſis, in Deo non datur ſubſiſtentia abſoluta, & communis, ſed tantùm dantur tres ſubſiſtentiæ relatiuæ.

HAec Concluſio eſt certa de fide, ſicut eſt de fide in Deo dari tres Perſonas, & Deum, vt præintellectum illis non eſſe Perſonam: quia eſt communicabilis. Multa Concilia, ad hoc propoſitum adducit Molina, vbi ſuprà Cap.1. & Suarez 3. parte tom. 1. diſp. 11. ſect.4. Concluſione 1., quos vide, ſed ſpecialitèr id diffinitur, in Concilio Lateranen. Sub. Martino V. Conſultatione 5. in Confeſſione Fidei, cui titulus eſt. Sancta Synodus dixit. vbi damnantur, qui non confitentur vnum Deum, in tribus ſubſiſtentijs conſubſtantialibus, vbi nomine ſubſiſtentiarum, intelliguntur Perſonæ.

Ex his ſequitur, quod, ſi ſubſiſtentia ſumatur pro abſtracto ſubſiſtentiæ, vt ſignificat ſuppoſitum, vel perſonam, quod etiam in diuinis debent poni tres ſubſiſtentiæ relatiuæ, & nulla abſoluta, & communis. Probatur: Nàm in 6. Synodo act. 11. & in 7. act. 3. in Epiſt. Synodali Theodorij dicitur. Trinitatem numerabilem eſſe perſonalibus ſubſiſtentijs, Quo etiam modo loquitur Iuſtinianus Imperator, vbi ſuprà, & in Epiſt. Epiſcoporum, qui Conſtantinopoli, erant in Concilio Congregati, miſſa ad Damaſum, quæ habetur in Concil. 1. Conſtantinop. & refertur, à Niceforo lib. 12. Hiſtoriæ Cap. 16. Sed iſta teſtimonia nō conuincunt hanc veritatem eſſe, de fide; quia ſubſiſtentia ibi, poteſt ſumi pro ſuppoſitis, & perſonis, & etiam pro ipſis perſonalitatibus.

Secundò patet ratione. In Deo, ſunt tres ſubſiſtentiæ, ſumptæ in concreto, & ſubſtantiuè, vt patet ex prima parte Concluſionis, Ergò ſunt tres ſubſiſtentiæ ſumptæ in abſtracto. Patet Conſequentia: quia iuxtà Doctrinam D.Th. infrà Quæſt.39. Art.3. & 4. Concreta ſubſtantiua in diuinis non multiplicantur, niſi multiplicatis ſuis formis ab-

ſtractis, vt quia non multiplicantur Deitates, nec Spirationes, tres perſonæ non ſunt tres Dij, ſed vnus, & Pater, & Filius non ſunt duo Spiratores, ſed vnus.

Tertiò patet: quia ſubſiſtentia in hac ſignificatione, ſignificat idē quod perſonalitas damus autem in diuinis tres perſonalitates realitèr diſtinctas: quia ſunt tres relationes, realitèr diſtinctæ, & oppoſitæ, vt patet ex eo, quod ſubſiſtentia Filij terminat Humanitatem, vt diffinitur in Concil. Floren. in decreto Eugenij §.2., quam tamèn non terminat ſubſiſtentia Patris, aut Spiritu Sancti. Ergò.

Quartò, quælibet Perſonalitas diuina conſtituit diuerſum ſubſiſtens ab alia, Ergò ipſa eſt ſubſiſtentia. Patet Conſequentia: quia nō poſſet dare talem, veluti formalem effectum, ſi ipſa non eſſet ſubſiſtētia, vt quo diſtincta, Vndè Nazianze. orat. 12. circa finem ait, quod nomina relationū ſignificant aliquid, quod per ſe ſubſiſtat, & ſit diſtinctum. Antecedens: verò patet: quia D.Th. infrà Quæſt. 40. Art. 3. dixit: proprietates Perſonales, non aduenire Perſonis conſtitutis, ſicut formas, ſed ferre ſecum ſua ſuppoſita, & ad 2. ait, quod Paternitate Pater eſt, hypoſtaſis, & ſubſiſtens. Ergò.

Secunda etiàm pars Corollarij, quod in diuinis non datur ſubſiſtētia perfecta, quæ ſit abſoluta ſumendo ſubſiſtentiam in hac ſignificatione pro perſonalitate, patet: quia in Deo, non datur Perſona abſoluta, quę habeat perfectam rationem Perſonæ, Ergò nec Perſonalitas, vel ſubſiſtentia abſoluta, quæ habeat perfectam rationem ſubſiſtentię. Conſequentia patet: quia implicat dari in aliquo ſubiecto formam, vbi non reperitur eius, veluti effectus formalis, qualis reſpectu ſubſiſtentiæ perfectæ, & abſolutæ ſumptę pro Perſonalitate eſt facere Perſonam abſolutam habentem perfectam rationem Perſonæ. Antecedens autèm patet: quia omnia abſoluta, vt iàm ſępè diximus, in diuinis ſunt communicabilia: de perfecta autem ratione perſonę eſt, eſſe incommunicabilem, vt patet ex Art. 1. huius Quæſtionis, de quo vide Dura. 1. diſt. 26. nu. 5. Loquendo autem de Perſonalitate abſoluta incompleta, quę conſtituit ſemi Perſonam. Caiet. 3. p. Quęſt. 3. Art. 2. ait hunc Deum, vt eſt, quid abſolutum, & commune tribus perſonis per identitatem habere rationem Perſonę incompletę: quia eſt ſubſiſtens, in natura diuina, & omne ſubſiſtens in aliqua natura intellectuali habet rationem Perſonę, & videtur hęc ſententia habere fundamentum in D.Th. Nàm ibidem Art. 3. ad 1. & 2. id videtur ſignificare. Ad primum, dicit, quod in diuinis idē eſt, Quo eſt, & Quod eſt, & ideo quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo, in abſtracto ſecundū

se consideretur alijs circumscriptis erit aliquid subsistens, & per consequens Persona, cum sit in natura intellectuali. Et Subdit. Sicut igitur nunc positis proprietatibus Personalibus, in Deo, dicimus tres Personas, ità exclusis per intellectum proprietatibus Personalibus, remanebit in consideratione nostra natura diuina, vt subsistens, & Persona. Et per hunc modum potest intelligi, quòd assumat naturam humanam ratione suæ subsistentiæ, vel Personalitatis. Idem habet in solutione ad secundum, & per hoc respondet ad Argumenta, quibus intendebat probare, quòd quia vnio humanitatis non potest fieri ad Deum in natura, sed in Persona, & seclusa Personalitate relatiua per intellectum, non remanet nisi natura, ideò videbatur non posse vnionē fieri ad hunc Deum, immediatè, & ideò Respondet, quod licèt, vnio debeat esse in Persona, per hoc, quod immediatè vniatur huic Deo subsistenti, vnitur Personæ, quo videtur significare Deum, vt subsistentem antecedentèr, ad relationes habere rationem Personę; idem habet D. Th. 3. sententiarum dist. 5. Quæst. 2. Art. 3. in Corpore: Nihilominus, licèt hanc sententiam Caiet. possimus piè explicare: tamèn Theologi cōmunitèr, illam acritèr repræhēdūt, & meritò.

Primum patet: quia, cum de ratione Personæ, sit esse id, quod operatur, & habet esse, & non dependet, nequē sustētatur ab alio, & quod sit id, quod est incommunicabile, dicere Deum, vt præintellectum Personis, habere incompletam rationem Personæ, posset piè explicari dicendo, quod solùm intendat ex prædictis conditionibus, habere aliquas, scilicèt priores, & non omnes: quia non habet incommunicabilitatem, & hoc verùm est.

Secundùm, etiàm patet: quia vltimum complementum Personæ, vel suppositi, vt sic, est esse incommunicabilem, vt explicuimus Art. 1. sicut, vltimum complementum Hominis, est esse rationalem, Ergò, sicut Equus, cui deest rationalitas, licèt habeat animalitatem, nō habet completam rationem hominis: quia deest illi vltima eius formalitas, ità subsistens singulare, cui deest incommunicabilitas non habet incompletam rationem Personæ.

Secundò, Spiratio actiua, licèt habeat aliquas conditiones Paternitatis, & Filiationis non est Paternitas, aut Filiatio incompleta: quia non habet rationem formalem propriam Paternitatis, & Filiationis, nec intellectus est, voluntas incompleta: quia, licèt habeat aliquas ex conditionibus voluntatis, non tamèn habet propriam rationem formalem illius, Ergò idem erit hic. Antecedens declaratur: Nam Paternitas, Filiatio, & Spiratio, conueniunt in esse relationis, & in hoc

quod

quòd eſt, ſupponere eſentialia,& etiam in hoc,quòd non ſint commu-nia,Similitèr intellectus, & voluntas conueniunt in eſſe perfectionis abſolutæ,increatæ,& infinitæ. Min.autem probatur: quia aliàs Pater per voluntatem incompletam,generaret Filium,& per intellectum incompletum produceret Spiritũ Sanctum,ſi enim intellectus eſt, incõpletè voluntas, debet habere incompletè conditiones proprias illius,quæ ſunt iſtæ,quas diximus, ſimilitèr Spiratio, incompletè conſtitueret Patrem,& Filium,& incompletè diſtingueret eos ad inuicẽ: quia iſtæ ſunt conditiones propriæ iſtarum relationum. Conſequentia verò patet: quia etiàm hic Deus, vt ſubſiſtens Antecedenter, ad relationes, non conuenit,cùm Perſona in ea, quod eſt proprium Perſonæ, vt ſic,ſcilicèt eſſe incommunicabile,modo expoſito: Nàm cæteræ cõditiones,non ſunt propriæ illi,ſed communes illi, & concreto naturæ communis,vt ſtatim dicemus.

Alij,vt Duran.arguunt, circa hanc ſententiam, vbi ſuprà: quia ex ea ſequeretur dari in Deo, quatuor Perſonas,ſcilicèt tres relatiuas, & vnam abſolutam: quia quatuor Perſonæ ſunt,quæ conſtituuntur quatuor conſtitutiuis diſtinctis, ſed tres Perſonæ, conſtituuntur tribus perſonalitatibus diſtinctis,& ſimilitèr hic Deus, in eſſe Perſonæ conſtituitur Deitate,quæ eſt diſtincta, Ergò ſunt quatuor Perſonæ. Conſequens,tamèn eſt falſum, vt potè cõtra diffinitionem Concilij Lateranenſis,in Cap. Damnamus negantes,dari quaternitatem in diuinis, Ergò.

Sed hoc Argumentum, licèt habeat vim in ſententia Scoti, & Duran. ponentium in Deo dictionem maiorem inter Deitatem, & relationes, quàm ſit diſtinctio rationis, tamèn in ſententia noſtra, quæ aſſerit hæc ſola ratione diſtingui, hoc inconueniens non ſequitur: Nã: licèt ſint abſolutè quatuor perſonæ,vbi ſunt 4. conſtitutiua earũ pluſquam ratione diſtincta, non tamèn, vbi vnum conſtitutiuum Perſonæ ſola ratione diſtinguitur ab alijs, & quia Deitas, quæ eſſet conſtitutiua Perſonæ,abſolutè,nõ diſtinguitur niſi ratione à relationibus,ideò, licèt conſtitueret Perſonam,non inferret abſolutè quaternitatem Perſonarum: quia quaternitas iſta abſolutè ſumpta, requireret realem earũ diſtinctionem,vel ſaltem formalem,& Perſona abſoluta,ſola ratione,diſtingueretur à relatiuis.

Ad Teſtimonia verò D.Th. pro ſententia Caiet. Reſpondet idem Caiet. 3.p. vbi ſuprà, quod S. Doctor ſolùm intendit, quòd in diuinis daretur Perſona abſoluta, ſi daretur Deus à parte rei, qualis intelligitur,abſtractis per intellectum relationibus,ſcilicèr, ſi non haberet

rela-

relationes, non tamèn intendit, quod id, quod manet modo in Deo non intellectis in Deo relationibus sit persona, sed solùm sequitur, quod sit subsistens, & hoc sufficit, vt possit vnire sibi Humanitatem, & talis vnio tunc, non esset in natura, sed in subbstenti communi.

Dico secundo. In diuinis datur uera, & realis subsistentia absoluta præintellecta omni relationi Personali.

PRo cuius explicatione declaranda est significatio huius notionalis SVBSISTENTIA. Aliqui dicunt, quod significat tria.

Primum est substantialis existentia, quæ conuenit cuilibet substantiæ siuè totali, siuè partiali.

Secundum, quod significat est talis existentia, quæ in sua ratione non pendeat ab alio, cui, quasi inexistat, & à quo sustentetur. Insinuat hoc D. Th. de Potentia Quæst.9. Art.1. in Corpore, & ad 4. & Art.5. ad 13. & in 1. dist.23. Quæst.1. Art.1. Et intelligitur, quod ex natura sua non solùm non sit in alio tamquàm in subiecto, quod conuenit omni substantiæ, sed, quod nō sit in alio tamquam in eo, cui per se primo conuenit existentia, & quia, licèt, Anima rationalis sit in supposito, vt pars illius, & ideò, cum non sit aliquid integrum, & completum in sua specie, non sit persona: tamèn dicitur subsistens: quia habet esse per se ipsam, & non recipit existentiam à supposito, sicut cæteræ formæ naturales.

Tertium, quod significat est, talitèr existens, quod subdatur omnibus prædicatis, & quia sola prima substantia est, quæ maximè substat omnibus: ideò in hac significatione subsistere solùm dicitur de suppositis habentibus esse incommunicabile.

Caiet.3.p.Quæst.3. Art.2. alitèr explicat significationē huius termini SVBSISTERE ait enim, quod subsistere in aliqua natura, nihil aliud est, quàm habere illam natutam, vt quod. Probat hoc: quia in Mysterio Incarnationis Humanitas non est subsistēs per propriā subsistentiam, neq; subsistens in illa est proprium subsistens illius, & non alia ratione: nisi: quia non est proprium habens illam naturam, Ergò ratio subsistentis in aliqua natura, & ratio habentis naturam eadem prorsus est, & ideò idem erit habere naturam, & subsistere in natura, & hæc significatio coincidit cum 2. suprà posita. Etenim: quia natura substantialis, licèt existat per se, & non in alio, tamquam in subiecto, sicut Accidens, tamèn existit in habente illam tamquam in eo, quod

est proprium sustentatiuum illius,& receptiuum existentiæ eius, Ideò taliter existere per se, vt non sit in alio, tamquam in subiecto, est habere ipsam naturam,& subsistere in illa.

QVibus suppositis. Loquendo de subsistentia isto modo probatur diuinam naturam habere propriam suam,& absolutam subsistentiam,etiam vt præintellectam relationibus.

Primo: Nàm ità asserunt Sancti Patres Aug.7.de Trin. Cap.3.& 4. Hyeroni. Epistola 57.ad Damasum docent,diuinam naturam habere propriam Subsistentiam. Hylarius 7.de Trinitate in fine Nicenus lib. de Vita Moysi, & Dionisius Cap.1. de diuinis nominibus circa finem docent idem, & in 6. Synodo generali actione 4. in subscriptione Epistole Agatonis habetur. Confitemur Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum Sanctum,non tres Deos, sed vnum Deum non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum (vel vt habet alia littera) trium personarum vnam subsistentiam, quæ Verba, licèt non contineāt fidei diffinitionem,sunt tamē maximi ponderis,vt potè,quę sunt approbata in Concilio.

Respondent aliqui dupliciter. Primò. Ad testimonia Sanctorum, quod essentia quidem subsistit, sed in personis, & ideò non habet aliquam subsistentiam absolutam prætèr personalem, & relatiuam.

Secundò Respondet Bazq. hic disp. 125. Cap. 5. ibi subsistentiam sumi pro existentia substantiali. Ad Verba autèm Agatonis Respondet. Surium in noua editione legere. Trium subsistentiarum vnam substantiam,non vnam subsistentiam.

Sed contra primam explicationem est insigne testimonium D. Th. de Potentia Quæst. 9. Art. 5. ad 15. vbi assignat differentiam intèr relationes diuinas, & principia indiuiduantia res Creatas, quibus constituuntur supposita, quod ista habent duo, scilicèt distinguere supposita,& tribuere naturæ subsistentiam,quia illa de se non subsistit nisi in singularibus, illæ verò (inquit) hoc solùm habent, quod supposita naturæ diuinæ inuicem distinguunt, non verò sunt principia subsistendi diuinæ essentiæ ipsa enim diuina essentia, est secundum se subsistens, sed è conuerso, proprietates personales habent,quod subsistat ab essentia, Ergò non est verùm, quod natura diuina habet subsistere à personis, sed contra personæ habent subsistere ab essentia. Similitèr 3.p.Quæst.3 Art.3. ad 1. docet, essentiam seclusis personalitatibus intelligi subsistentem, Ergò non tantùm subsistit in personis, & hic Quæst.40. Art.2. ad 2. ait personas subsistere per subsistentiam Deitatis,

tatis, & clarissimè 3.d.6. Quæst. 2. Art. 2. ad 2. ait, hoc differre inter essentiam Dei, & alias naturas, quod ipsa, secundum se subsistit, & esse suum esse subsistentiæ, quòd non habent aliæ naturæ, Ergò non habet subsistentiam à Personis. Tamdem primo dist. 21. Quæst. 2. Art. 1. ait, quòd natura Diuina de se est subsistens, nulla personali distinctione intellecta.

Secundò Arguitur contra eamdem solutionem: quia suprà Quæst. 28. Art. 2. dub. 3. ostensum est, Personas Diuinas non habere, nisi vnũ esse existentiæ, Ergò non habent proprium, & distinctum subsistere à subsistere essentiali. Patet Consequentia: quia subsistere, dicit existere, modo explicato.

Tertiò (vt statim dicemus) subsistere, dicit perfectionem simpliciter: essentia autèm, non participat perfectionem simpliciter à Personis; quia præsupponitur illis cum summa, & infinita perfectione, Ergò.

Contra eamdem etiam solutionem, facit, quod Hylar. in loco citato distinguit subsistentiam Deitatis, à subsistentia Filij, & ait Diuinitatem, ità esse, & subsistere, vt in subsistente, scilicèt Filio insit, ità verò inesse, vt & ipsa subsistat Quòd clarè patet, ipsum nõ loqui de subsistere, quod Deitas habet à Personis.

Primò. Contra secundam etiam solutionem, facit idem testimoniũ Hylarij, vbi (vt patet) distinguit subsistere ab inesse, quod ex existẽtia substantialis, qua Deitas est in Verbo, & econtra.

Similitèr, si subsistere, sumeretur pro existentia, non esset verum, quòd docent Hyero. & Nicenus, scilicèt solam naturam Diuinam verè subsistere: Nàm ceteræ naturæ substantiales, verè existunt, licèt non subsistant sine suppositis.

Tertiò. Quia licèt subsistere, includat existentiam substantialem; tamèn includit etiam (præter illam) modum prædictum existendi nõ in alio tamquam insustentante, & modum habendi naturam, sed hoc conuenit Deo, vt præintellecto Personis, Ergò subsistit, vt subsistere addit aliquid suprà existere.

Explicatio verò Agathonis libera, & voluntaria est: Nàm antiqui Codices legunt; Trium subsistentiarum, vnam subsistentiam.

Secundò Probatur Conclusio testimonijs D. Tho. In primis D. Th. 4. contra Gentiles Cap. 14. ait, In Deo est vna res subsistens, si consideretur essentia, Plures res subsistentes, si considerentur relationes, & propterea dicimus vnum Deum esse: quia est vna essentia subsistens.

Secundò.

Secundò. Idem D. Th. 3.p.Quæst. 3. Art.3. ad 1. ait,quod:quia in Deo idem est Quo est,& Quod est, quicquid est in Deo est subsistens (seclusis etiam proprietatibus personalibus) remanebit in consideratione nostra,natura diuina, vt subsistens, scilicèt: quia remanet, vt concretum: quia in ea abstractum,& concretum, sunt idem.

Tertiò hic Quæst.40. Art.2. ad 2. ait, diuinas personas non distingui in esse, in quo subsistunt, Ergò datur in diuinis subsistentia communis tribus personis, quæ necessariò,debet esse absoluta,& per Consequens prior illis.

Quartò. In eadem Quæst. Art.3. ait, quod remota Paternitate ab essentia, non remanet Persona Patris, vt distinguitur ab alijs Personis, sed vt distinguitur à Creaturis, Ergò cum (remotis personalitatibus) solùm remaneat essentia,illa vt sic,intelligetur subsistens.

Quintò.de Potentia Quæst.7. Art.2. ad 5. docet, ipsum esse Dei, esse per se subsistens. Idem habet 1.p.Quæst.3.Art.2.ad 3.& Quęst. 7. Art.2. Nàm ex hoc, quod illius esse,est subsistens probat, illud esse infinitum. Idem repetit Quæst.12. Art.4. & Quæst.13. Art.1.ad 2. Nàm ideò probat, Deum posse nominari,non tantùm nominibus abstractis, sed etiã concretis, quæ significant res subsistentes: quia Deus per se ipsum, subsistens est.

Ex his locis patet, nullo modo licere dubitare de hac Conclusione, quod sit expræssa sententia D.Th.

Tertiò probatur Conclusio.Subsistentia est, perfectio simplicitèr: quia cuilibet rei melius est, subsistere (modo explicato) quàm non subsistere,& rursus, est perfectio absoluta: quia existere (modo explicato) quod est subsistere,est ad se,& non dicitur relatiuè ad terminum: Nàm,vt habet Aug. 5.de Trinitate;omnis res, ad se ipsam subsistit,quanto magis Deus:essentiæ autèm secundùm se, & vt præ intellectæ personalitatibus, deesse non debet perfectio aliqua simplicitèr, & absoluta. Ergò.

Cõfirmatur primò: quià subsistẽtia est perfectissimus modus essendi,& forma,quæ consideratur,vt imperfecta,consideratur vt non subsistens est,propter quod D.Th. Art.sequenti ait, personam significare id,quod est perfectissimum in tota natura:quia significat id, quod subsistens est,at si essentia, (vt absoluta) non haberet hanc subsistentiam intra limites essentiæ absolutæ, non esset perfecta, & solùm haberet complementum essentiæ ratione relationum, quod est inconueniens. Ergò.

Cõfirmatur,secundò. Prima forma substãtialis abstracta,quæ reperitur

ritur in aliquo, habet suum substantiale concretum, quod est subsistens, & hoc maximè habet verum in Deo, in quo propter omnimodā eius simplicitatem, idem sunt formalitèr, abstractum, & concretum; Ergò Deitas habet suum immediatum, concretum substantiale, quod erit habens Deitatem, & per Consequens per se subsistens.

Cõfirmatur tertiò. Nã tres personę, sũt vnus numero Deus, vel sũt hic Deus communis tribus Personis, sed hic Deus est subsistens: est enim nón id, quo, sed quod habet Deitatem, Ergò Deus, vt præ intellectus relationibus intelligitur habere subsistentiam, quæ sit absoluta, cùm præintelligatur relationibus.

Dices: Spirationi actiuæ, vt formę abstractæ, correspondet Spirator, qui est Pater, & Filius, & tamen Spirator, non est subsistens, licèt sit id, quod habet actum, vel virtutem spirandi; Ergò ex hoc, quòd Deus sit concretum Deitatis, & sit habens Deitatem, non infertur, illum esse subsistentem.

Aliqui dicunt, non esse magnum inconueniens, asserere Spirationē actiuam afferre secum rationem subsistendi, & eius concretum, esse subsistens; ità Franciscus Suarez 1. tom. 3. par. disp. 11. sectione 5.

Tamen contra hoc est, quod in diuinis ratio subsistendi, vt subsistere sumitur modo explicato; solùm prouenit ab essentia, vt dictum est, & relationes non possunt esse rationes subsistendi in illa significatione, vt statim dicemus; Vt autèm subsistentia sumitur pro illo modo incommunicabili subsistendi, de quo in conclusione loquimur, certum est, quod non conuenit Spirationi, quæ est communicabilis.

Quare ad Argumentum. Nego Consequentiam: ratio differentiæ est: quia Deitas, est prima forma substantialis, & absoluta Dei, à qua debet prouenire subsistentia: Spiratio autèm, quia aduenit essentiæ, & Personæ idm constitutæ, & non aduenit essentialitèr constituens, licèt non adueniat accidentalitèr, quia habet idem esse, & omninò identificatum cum essentia, & personis, tamen non est prima forma substantialis, sed supponit aliam, scilicèt Deitatem, à qua prouenit subsistentia, & ideò illa gaudebit subsistentia essentialitèr, non tamèn erit ratio subsistendi.

Quartò. Arguitur, & corroboratur præcedens Argumentum. Nàm esse Dei est tantæ perfectionis, vt tribuat personis subsistentiam; Ergò habet illam, vt præintelligitur personis. Antecedens est D. Tho. Quæst. 9. de Potentia, vbi supra, & probatur: Nàm relationes diuinæ non habent subsistentiam, quatènus relationes sunt reduplicatiuè, aliàs omnes relationes haberent illam; neq; quatenùs sunt relationes

reales, cùm non omnes relationes reales habeant subsistere; Ergò, quia sunt diuinæ, Ergò ratione Deitatis habent illam, & per Consequens Deitas prius ratione debet habere subsistentiam.

Explicatur hoc amplius. Persona diuina, habet perfectissimum modum essendi, quia est subsistens, & non habet illum ratione relationis, Ergò ratione essentiæ Mai. est D. Th. Art. sequenti. Min. patet ex dictis quæst. præcedēti Art. 2. dub. 4. vbi ostendimus relationes diuinas, quibus Personæ diuinæ constituuntur, non super addere aliquam perfectionem essentiæ, nec dicere aliam perfectionem præter eam, quam dicit essentia: Consequentia verò sequitur clarè: quia non est aliud principium, vnde possit habere persona talem perfectionem, nisi essentia.

Cōfirmatur hoc. Relatio diuina, quantùmuis tribuat infinitatē, nō potest tribuere, nisi infinitatem in genere relationis, imò in specie relationis: quia non est, secundùm suam rationem simplicitèr infinita in genere entis; Ergò si tota ratio subsistentiæ prouenit Deo à relationibus, Deus, vt subsistens, non est infinitè, & simplicitèr perfectus. Consequens est falsum; Ergò. Sequella patet: Nàm ab infinitate perfectionis limitatæ in genere relationis, non potest prouenire infinitas perfectionis simplicitèr in omni genere. Min. verò probatur. Nàm, sine subsistentia Deus non intelligitur infinitus simplicitèr, cùm desit illi perfectissimus modus essendi, & concipiatur, vt Ens incompletū, & vt quo aliquid est, non verò, vt quod est, ea ratione, qua intelligimus subsistens, & habens omnem perfectionem imaginabilem, vt probat D. Th. infrà Quęst. 7. Art. 2. vbi videndus est Caiet.

Dico tertiò. Loquendo de subsistère in prædicta significatione, dantur in Diuinis tres, sic subsistentes, non tamen tria subsistere.

PRima pars probatur: quia ad eius veritatem sufficit multiplicari supposita participantia idem subsistere: Nàm, (vt infrà dicemus) ad multiplicationem nominis adiectiui, satis est, multiplicari supposita participantia eamdem formam: ità autèm contingit in diuinis: Nàm ibi dantur tres Personæ, habentes idem subsistere absolutum, sicut dantur tres Personæ habentes eandem Deitatem.

Secunda, verò pars probatur: Quia perfectiones simplicitèr, & absolutè, quæ conueniunt essentiæ, nullo modo multiplicantur in diuinis

uinis

ritur in aliquo, habet suum substantiale concretum, quod est subsistens,& hoc maximè habet verum in Deo, in quo propter omnimodã eius simplicitatem,idem sunt formalitèr,abstractum, & concretum; Ergò Deitas habet suum immediatum, concretum substantiale,quod erit habens Deitatem,& per Consequens per se subsistens.

Cõfirmatur tertiò. Nã tres personę,sũt vnus numero Deus, vel sũt hic Deus communis tribus Personis, sed hic Deus est subsistens: est enim non id,quo,sed quod habet Deitatem, Ergò Deus,vt præ intellectus relationibus intelligitur habere subsistentiam, quæ sit absoluta,cùm præintelligatur relationibus.

Dices:Spirationi actiuæ,vt formę abstractæ,correspondet Spirator, qui est Pater,& Filius,& tamen Spirator,non est subsistens, licèt sit id, quod habet actum, vel virtutem spirandi; Ergò ex hoc, quòd Deus sit concretum Deitatis,& sit habens Deitatem,non infertur,illum esse subsistentem.

Aliqui dicunt,non esse magnum inconueniens, asserere Spirationẽ actiuam afferre secum rationem subsistendi, & eius concretum, esse subsistens; ità Franciscus Suarez 1.tom.3.par.disp.11.sectione 5.

Tamen contra hoc est,quod in diuinis ratio subsistendi, vt subsistere sumitur modo explicato; solùm prouenit ab essentia, vt dictum est, & relationes non possunt esse rationes subsistendi in illa significatione,vt statim dicemus;Vt autèm subsistentia sumitur pro illo modo incommunicabili subsistendi; de quo in conclusione loquimur,certum est,quod non conuenit Spirationi,quæ est communicabilis.

Quare ad Argumentum. Nego Consequentiam: ratio differentiæ est: quia Deitas, est prima forma substantialis,& absoluta Dei,à qua debet prouenire subsistentia: Spiratiò autèm, quia aduenit essentiæ, & Personæ idm constitutæ,& non aduenit essentialitèr constituens, licèt non adueniat accidentalitèr, quia habet idem esse, & omninò identificatum cum essentia, & personis, tamen non est prima forma substantialis,sed supponit aliam, scilicèt Deitatem, à qua prouenit subsistentia,& ideò illa gaudebit subsistentia essentialitèr,non tamèn erit ratio subsistendi.

Quartò. Arguitur,& corroboratur præcedens Argumentum. Nàm esse Dei est tantæ perfectionis,vt tribuat personis subsistentiam; Ergò habet illam, vt præintelligitur personis. Antecedens est D.Tho. Quæst.9.de Potentia, vbi supra,& probatur: Nàm relationes diuinæ non habent subsistentiam, quatènus relationes sunt reduplicatiuè, aliàs omnes relationes haberent illam, neq; quatenùs sunt relationes

rea-

reales, cùm non omnes relationes reales habeant subsistere; Ergò; quia sunt diuinæ, Ergò ratione Deitatis habent illam, & per Consequens Deitas prius ratione debet habere subsistentiam.

Explicatur hoc amplius. Persona diuina, habet perfectissimum modum essendi, quia est subsistens, & non habet illum ratione relationis, Ergò ratione essentiæ Mai. est D. Th. Art. sequenti. Min. patet ex dictis quæst. præcedẽti Art. 2. dub. 4. vbi ostendimus relationes diuinas, quibus Personæ diuinæ constituuntur; non super addere aliquam perfectionem essentiæ, nec dicere aliam perfectionem præter eam, quam dicit essentia: Consequentia verò sequitur claré: quia non est aliud principium, vnde possit habere persona talem perfectionem, nisi essentia.

Cõfirmatur hoc. Relatio diuinà, quantùmuis tribuat infinitatẽ, nõ potest tribuere, nisi infinitatem in genere relationis, imò in specie relationis: quia non est, secundùm suam rationem simplicitèr infinita in genere entis; Ergò si tota ratio subsistentiæ prouenit Deo à relationibus, Deus, vt subsistens, non est infinitè, & simplicitèr perfectus. Consequens est falsum; Ergò. Sequella patet: Nàm ab infinitate perfectionis limitatæ in genere relationis, non potest prouenire infinitas perfectionis simplicitèr in omni genere. Min. verò probatur. Nàm, sine subsistentia Deus non intelligitur infinitus simplicitèr, cùm desit illi perfectissimus modus essendi, & concipiatur, vt Ens incompletũ; & vt quo aliquid est, non verò, vt quod est, ea ratione, quia intelligimus subsistens, & habens omnem perfectionem imaginabilem, vt probat D. Th. infrà Quæst. 7. Art. 2. vbi videndus est Caiet.

Dico tertiò. Loquendo de subsistère in prædicta significatione, dantur in Diuinis tres, sic subsistentes, non tamen tria subsistere.

PRima pars probatur: quia ad eius veritatem sufficit multiplicari supposita participantia idem subsistere: Nàm, (vt infrà dicemus) ad multiplicationem nominis adiectiui, satis est, multiplicari supposita participantia eamdem formam: ità autèm contingit in diuinis: Nàm ibi dantur tres Personæ, habentes idem subsistere absolutum, sicut dantur tres Personæ habentes eandem Deitatem.

Secunda, verò pars probatur: Quia perfectiones simplicitèr, & absolutè, quæ conueniunt essentiæ, nullo modo multiplicantur in di-

uinis

uinis, dictum autèm est, subsistere, esse perfectionem simplicitèr, & absolutam, conuenientem Deo, vt præintellecto personis, & in ordine ad se, Ergò illud non potest multiplicari in Deo.

Secundò hæc pars Conclusionis est expræssè D. Th. 1. d. 26. Quæst. 1. Art. 1. ad 4. & probat. Quia, licèt possint multiplicari in diuinis, quæ dicuntur secundum respectum ad personas, non tamèn, quæ dicuntur secundum ad esse, vel essentiam, sed subsistere dicitur per respectum ad esse: Nàm subsistere, est esse in se, & non in alio, vt in sustentante, Ergò.

Tertiò. In diuinis personis, non potest plurificari subsistere, nisi plurificetur esse, quod intrinsecè includit, Sed Quæst. præced. Art. 2. dub. 3. ostendimus in Personis diuinis, non multiplicari esse: quia in illis, non datur existentia relatiua; Sed tantùm absoluta Dei, quæ est vna, Ergò.

Quartò. In diuinis Personis, est admittenda tota illa vnitas, quæ potest stare cum distinctione personali relationum, Sed quòd subsistere diuinum sit vnum, inducit summam vnitatem compossibilem distinctioni diuinarum Personarum relationum; Ergò ità est asserendũ. Mai. patet: Nàm (teste D. Thom. infrà Quæst. 40. Art. 2. ad 3.) distinctio in diuinis: quia est prima, debet esse minima, & suprà Quæst. 27. Art. 1. ad 2. ait, Id, quod procedit in diuinis debere esse summè vnum, & propterèa in eadem Quæst. 40. Art. 2. ad 2. ait; quod Personæ, non differunt in esse, inquo subsistunt, Sed tantùm in esse AD. Min. verò pro prima parte patet. Nàm Maior vnitas reperitur, si Personæ diuinæ distinguantur per AD, scilicèt, per relationem, vt exercent rationem relationis, quàm si distinguantur per relationem, vt dicit. AD. subsistentiam simul, Ergò.

Pro secunda etiam parte patet Eadem Min.: Nàm vnitas existentiæ diuinæ, est compossibilis, cum distinctione personali relationum (vt diximus Quæst. 28. Art. 2. dub. 3.) & cum tali distinctione, est etiã compossibilis vnitas huius Dei; Ergò etiam est compossibilis vnitas subsistentiæ.

Patet Consequentia: quia subsistere, dicit esse perfectissimo modo, vt explicatum est, & habere naturam: Existentia autèm Dei, quæ, vt dictum est, tantùm est vna, existit perfectissimo modo, sine dependentia ab aliquo sustentante, & ideò est subsistere, & etiam est habens naturam, vel concretum Deitatis; quia existentia Dei, est eius essentia, & in illo non differunt abstractum, & concretum, Deitas, & Deus.

Sed dices iuxta doctrinam Conciliorum, quæ adduximus Conclusione

ſtone 1. dantur in Deo, tres ſubſiſtentiæ relatiuæ ſumendo ſubſiſtentiam, ſiue in abſtracto, ſiue in concreto, ſed ſubſiſtentia in abſtracto eſt idem, quòd ſubſiſtere; Ergò etiam debemus ponere in Deo, tria ſubſiſtere relatiua.

Ad hoc variè Reſpondent Theologi, Qui cenſent in Deo dari tres exiſtentias relatiuas, concedunt in illo dari tres ſubſiſtentias relatiuas quarum quęlibet includit diſtinctum eſſe relatiuum.

Alij verò cenſent, quòd, licèt ſubſiſtere Dei, ſit vnum ſimplex, & abſolutum: tamèn: quia illud determinatur per tres relationes diſtinctas, induit rationem trium ſubſiſtentiarum v. g. ſubſiſtentia illa Dei, (vt in Patre,) determinatur Paternitate induit rationem vnius ſubſiſtentiæ relatiuæ, & alterius, (vt eſt in Filio,) & terminata Filiatione & tertiæ (vt eſt in Spiritu Sancto) determinata per Proceſſionem.

Explicatur hoc exemplo. Potentia Diuina, vnica ſimplex perfectio eſſentialis Dei eſt, & tamèn, vt modificata per Paternitatem, & ſpirationem, induit rationem duplicis potentiæ, ſcilicèt, generatiuæ, & ſpiratiuæ, licèt potentia generatiua, & potentia ſpiratiua in recto, & principalitèr, dicant eſſentiam plurificatam, tamèn in ratione potentiæ generatiuæ, vel ſpiratiuæ proptèr diuerſos reſpectus, quos includit, Ita ſubſiſtentiæ relatiuæ, licèt principalitèr, & in recto, dicant ſubſiſtentiam abſolutam, qua eſt vnica ſimplex, & eſſentialis Dei perfectio: tamèn propter diuerſas relationes, quas includunt, poſſunt iuxtà illarum numerum multiplicari.

Sed contra primam ſolutionem faciunt ea, quæ Quæſt. 28. Art. 2. dub. 3. Concluſione adduximus ad probandum in Deo non dari aliquam exiſtentiam relatiuam. Et probatur. Quia relationes ſunt in eſſentia, cui per ſe primò conuenit exiſtentia, vt proprio ſuſceptiuo, vt dictum eſt ibi, & hic Cõcluſione 2. & quæſt. 28. Art. 2. dub. 3. Concluſione 1. Ideò per ſe non ſubſiſtunt: quia ſubſiſtere ſignificat, vt diximus, ità exiſtere per ſe, vt non ſit in alio, cui primò conueniat exiſtentia.

Secundò hęc ſolutio, non eſt ſufficiens: quia omnis ſubſiſtentia, teſte Aug. vt ſuprà citauimus, eſt ad ſe, ſi verò daretur triplex ſubſiſtentia relatiua, illa non eſſet ad ſe, ſed ad correlatiuum, Ergò.

Cõtra ſecundã etiã ſolutionem inſtat Argumentum: Nàm, ſi ſubſiſtentiam abſolutam modificari per relationes, ſufficit, vt vna ſubſiſtentia, ſic determinata, dicatur triplex in ratione relatiuè, ſequitur eadem ratione debere concedi in diuinis dari tres eſſentias, tres intellectus, & tres ſapientias, & ſic de cæteris perfectionibus eſſentialibus.

R Conſe-

Vidè D. Th. 1.d.26.Quæst.1.Art.1.ad 4.

Ad Argumenta in principio posita Respondeo. Ad primum bonã esse solutionem ibi assignatam: Nam (teste D. Th. loco modo citato) Concilia, & Sancti Patres, loquuntur de subsistentia, vt est idem, quòd subsistere hoc est Personalitas incommunicabilis, & talis subsistentia absoluta, non datur in Deo: Theologi autem loquuntur de subsistentia, vt est idem, quòd subsistere hoc est præexistere perfectissimo modo, sine dependentia ab alio sustentante, & ideò subsistentia in ista significatione, non includit incommunicabilitatem, & potest dari vna absoluta, & per hoc patet Ad replicam primi Argumenti, & primam Confirmationem.

Ad secundam Respondeo, quod, licèt subsistentia secundum vsum Conciliorum, sumatur illo modo: tamèn Theologi illo nomine, significant existentiam perfectissimã independentem ab aliquo sustentante, & in hac significatione damus vnam subsistentiam communem, non quatenus significat modum illum incommunicabilem.

Ad secundum Arg. Nego seq. Ad probationem Respondeo D. Th. in illis locis loqui de subsistente, vt est concretum subsistentiæ sumptæ pro Personalitate incommunicabili, non verò, vt subsistens denominatur à subsistere, pro vt significat existere, per se modo explicato, & subsistens primo modò, est idem cum Persona, non verò subsistens 2a modo. Vel in duobus vltimis locis loquitur D. Th. de subsistente in natura Creata: quia enim in Creaturis, natura non habet subsistentiã, vt significat illum perfectissimum modum essendi, sed illa competit supposito, vel Personæ, ideò in illis, idem est subsistens, & suppositũ: quia verò Deitas per se habet illum perfectissimum modũ essendi, etiã vt præintellecta Personis, ideò in illa, non est idem subsistens, in ista significatione, & Persona.

Ad tertiam. Nego Sequellam. Ad probationem distinguo Antecedens. Extra infinitum non ponitur aliud in eodem genere, vel aliud distinctum ab illo. Concedo Antecedens. Alterius generis, & omninò illo identificatum. Nego Antecedens, & quia subsistentia incommunicabilis est absoluta, & significat esse perfectissimum, vt dictum est, ideò prætèr illud, non ponitur aliud esse, quòd sit subsistere distinctum ab eo, at verò quia subsistentiæ relatiuæ, vt sic, sunt alterius generis: quia dicunt relationes, & sunt identificatæ cum illo, benè possunt dari tales plures subsistentiæ, vt identificatæ cum absoluta distinctæ rationis ab illa, & idem reperitur in exemplo adducto de intelligere essentiale: Nam: quia illud est simplicitèr infinitum, non datur

in Deo aliud intelligere, sed solùm idem intelligere, vt modificatum cum relatione quatenus est dicere: identificatum, tamèn cum ipso intelligere essentiali, Ità similitèr, præter subsistentiam absolutam infinitam, vt dicit existentiam modo prædicto, nulla alia existentia, vel subsistentia eiusdem generis datur, sed solùm eadem existentia determinata per relationes.

Ad. Confirmationem dictum est; illas proprietates conuenire subsistentiæ, vt dicit Personam, vel personalitatem, nòn, vt dicit existentiam modo explicato.

Ad 4. Nego Sequellã. Ad probationem nego Antecedens: Nàm conditio necessaria ad generandum, est incommunicbilitas, quam non habet hic Deus. Vt singularitèr subsistens, potest etiam dici, quòd ad significandum per se requiritur fæcunditas, & potentia generatiua in supposito realitèr distincto à genito, at verò hic Deus, vt præintellectus Personis, eam non habet: quia non distinguitur realitèr ab illis, & potentia generatiua includit Paternitatem, vt constituentem personam generantem, & illa, vt sic, non constituit hunc Deum, vt præintellectum Personis, & generatio, licèt sit actio propria, naturæ diuinæ, non potest ei conuenire, nisi in supposito incommunicabili habẽtẽ conditionem requisitam ad eam, scilicèt Paternitatem, per quam reddatur incommunicabilis, & distinctus à genito.

Ad confirmationem nego Consequentiam pro vtraquè parte. Ad probationem pro prima parte distinguò Consequens: Non poterit considerari sine subsistentia, quandò consideratur conceptu perfecto, qualem in via possumus de illo habere per fidem, & Theologiam, Concedo Consequentiam. Quandò consideratur conceptu imperfecto proptèr imbecillitatem nostri intellectus, qui in Deò potest considerare rationẽ essẽtiæ, vt est natura, nò cõsiderãdò ipsam, vt est id, quod habet esse. Nego Consequentiam, & hòc sufficit, vt consideretur in abstracto.

Ad probationem pro secunda parte distinguo Antecedens, Consideratur sine subsistentia præcisiuè, scilicèt, non consideratur Deitas, non considerando eius subsistentiam, quam tamèn realitèr includit. Concedo Antecedens. Consideratum sine subsistentia negatiuè, id est, consideratum, vt non habens subsistentiam. Nego Antecedens, & tãtùm est imperfectum, quòd isto modo consideratur sine subsistentia; non tamèn, quòd primo modo: Deitas autèm solùm primo modo cõsideratur, sine subsistentia.

7. Ad quintum. Distinguò Consequens, Ergò nulla absoluta, quæ sit

vltimus terminus naturæ,& constituat illam incommunicabilem. Cōcedo Consequentiam. Nulla absoluta, quæ sit existentia perfectissima modo explicato. Nego Consequentiam: Nàm solùm de ratione subsistētiæ primo modo, est esse vltimum terminum naturæ, cui repugnat vlterius terminari: non verò de ratione subsistentiæ 2. modo, sed solùm de eius ratione, est existentiam in se nullo modo dependentem ab alio, cui primo insit, vel à quo sustentetur, & non repugnat simul in natura infinita, reperiri istam perfectissimam existentiam, quæ tamèn vltimatè terminetur, & applicetur Personę incommunicabili, per subsistentiam primo modo, sicut nec repugnat in Deo reperiri existētiam absolutam, & potentialitatem, constituentem personam incommunicabilem: solùm autèm repugnat dari in Deo existentias, vnam absolutam, & aliam relatiuam, per quam prior actuetur, vel duas personalitates, vnam absolutam, & aliam relatiuam, per quam prior absoluta vlterius terminetur: quia de ratione cuiuslibet Personalitatis est, esse vltimum terminum naturæ, non vlterius terminabilem.

Ad. Confirmationem patet ex dictis in secunda Conclusione, quòd spirator non tantùm: quia est communicabilis, non dicit subsistentiam, sed potissimùm: quia de se non dicit perfectissimam existentiam independentem ab alio: Nàm existentia illius prouenit à Deitate, & ideò, per se non potest habere subsistentiam, vt subsistentia dicit existentiam perfectissimam, modo explicato.

ARTICVLVS III.

An nomen Personæ, ponendum sit in diuinis:

Conclusio est affirmatiua.

In hoc annotanda sunt tria.



PRIMVM Est Conclusionem esse de fide, diffinitam in Symbolo Athanasij, & in Concilio Toletano XI. in Confessione fidei, & in Hispalensi 2. Cap. 23. & in Lateranensi, & habetur C. Firmitèr, & C. Dānamus, quibus omnibus in locis diffinitur, in Trinitate esse tres personas, Idem docēt Damasus in

Confessione fidei ad Paulinum Athan. vt refert Nazian. Oratione 21. Aug. 4.de Trinitate Cap.8.& 9. & lib.7.Cap. 4. & 5. Hiero. Epistola 57.Hylar. lib.de Synodis,& communitèr Patres. Ex quo sequitur, quòd errauit Laurentius Valla, negans in diuinis,esse Personas, de quo diximus Art.1.

Secūdū est. Eamdem Cōclusionem non tantùm esse de fide,sed etiā cognitam lumine naturali: Nàm, licèt sola fide cognoscatur Trinitas Personarum, & earum distinctio (vt dicetur Quæst. 32.) tamèn in Deo esse aliquam Personam, abstrahendo à modo particulari, quo est Persona,est cognitum probatur: Nàm D.Th. hic ad primum ait,quod id, quòd significatur nomine Personæ, scilicèt esse maximè ens, & intelligens perfectissimum,dicitur de Deo in scripturis, sed etiam est de Deo cognitum lumine naturali; Ergò est etiam cognitum tali lumine,quòd sit Persona. Idem significat D.Th.3.p.Quæst.3.Art.3.ad 1. & 2.Sed non intelligitur hic ad primum,quod sit Persona quatènus est maximè ens, & intelligens perfectissimum: Nàm id habet id Deus,vt communis tribus Personis quomodò non est Persona, cùm de ratione Personæ sit esse incommunicabilem Art. 2.Sed intelligitur, quod sit Persona:quia persona est suppositū incōmunicabile in natura intellectuali,& Deus est naturæ intellectualis, cū sit perfectissimè intelligēs, & debet habere incōmunicabilitatem: quia omnis res subsistēs,maximè si sit perfectissima,debet esse in vltimo suo complemento,& habere modum, & vltimum terminum suæ existētiæ: hoc enim spectat ad eius perfectionem, si sit modo sibi connaturali, quòd Deo deesse non potest,cum Ergò, Deitas sit maximè perfecta, & intellectualis, & debeat habere istum modum, vel est incommunicabilis alicui rei subsistenti, vel communicabilis.

Si primum. est Persona. Si secundum,cum illud, cui communicatur, non possit vlterius infinitum communicari rei incommunicabili; aliàs in rebus per se (qualis est Deus) esset processus in infinitum,deueniendum est ad rem incommunicabilem, quæ erit persona, cum sit perfectum suppositum rationalis naturæ, & ità hoc discursu facto lumine naturali, colligitur in Deo esse Personam.

Tertium est. Quod cum D. Th. asserit in Art. Personam significare id, quod est perfectissimum in tota natura, non intendit personam ratione personalitatis, addere aliquam perfectionem suprà naturam, licèt id sit verum in natura Creata, sed intendit, vel personam suprà rationem sui suppositi addere aliquam perfectionem ratione naturæ, in qua reperitur: suppositum enim reperitur in qualibet natura substantiali,

ſtantiali, Perſona autèm, non niſi in natura intellectuali, ità inſinuăt D.Thom.1.d.26.Quæſt.1.Art.1. In Corpore, vel intendit, quod Perſona ſignificat id, quod eſt vltimò completum, & determinatum in tota natura, & ità per illũ terminũ, QVOD EST PERFECTISSIMVM ſolùm ſignificat vltimum complementum naturæ, quaſi dicat Perſonam ſignificare id, quod habet vltimum complementũ, eſt & vltimò terminatum in natura, & hoc debere reperiri in Deo ſatis cõſtat: quia in Deo debet reperiri quicquid perfectionis eſt in Creaturis, ſecluſis imperfectionibus, Eſſe autèm naturam perfectam, & vltimò terminatam, perfectionem importat, licèt hæc in Deo, non ſit diſtincta à perfectione naturæ, ſicut de relationibus diuinis dictum eſt.

ARTICVLVS IV.

An hoc nomen PERSONA, ſignificet relationem.

Concluſio.

Perſona Diuina ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem.

DVBITATVR.

An hæc Concluſio, & doctrina Articuli ſit uera.



IDETVR, quòd non. Quia Aug.7. de Trinit. Cap.6. ait; hoc nomen Perſona, in Deo, non ſignificare relationem.

Cõfirmatur: quia ſi diceret relationem, diceretur AD. correllatiuum, ſicut Filius dicitur Patris Filius, ità Perſona Filij diceretur perſonæ Patris Perſona, quod eſt abſurdum. Sequella patet: Nàm relatio non poteſt concipi, neq; explicari, niſi in ordine ad ſuum terminum.

Secundò. Hoc nomẽ PERSONA DIVINA, ſignificat id, quod

exprimitur per eius diffinitionem, sed per illam nullo modò exprimitur relatio: est enim Persona diuina, diuinæ naturæ, indiuidua substantia, vel subsistens incommunicabile, in natura diuina.

Confirmatur, licèt Persona Humana, sit aliquid absolutum subsistens, nō tamen dicimus, quòd hoc nomen PERSONA HVMANA significat absolutum, vt subsistens: quia hoc Verbum SIGNIFICAT appellat proprium conceptum, Ergò neq; est dicendum, quod hoc nomen PERSONA DIVINA, Significat relationem, vt subsistentem.

Tertiò. Persona significat in recto essentiam (vt docet D. Th. in hoc Ar.) Ergò non significat relationem, etiam, vt subsistentem, patet Consequentia: quia in Diuinis, essentia est, quid absolutum, & distinguitur contra relationem.

Dices, essentiam sumi ibi pro Hypostasi. Sed contra hoc est. Quia Persona, non significaret relationem in obliquo: Hypostasis enim diuina, est essentialitèr relatiua, atquè adeò, si Persona diuina, importat Hypostasim in recto, importabit etiam, relationem in recto.

Quartò, Persona di, uinaest nomen concretum, significans aliquid constitutum ex essentia, & relatione; Ergò non significat relationem in recto. Patet Consequentia: quia nullum nomen concretum, significat in recto formam, sed in obliquo, cum importet effectum formalem talis formæ.

Quintò. Persona multiplicatur in diuinis; Ergò non importat essentiam, patet Consequentia: quia essentia non multiplicatur.

Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

IN hoc dubio D. Thom. in 1. dist. 23. Quæst. 1. Art. 1. & alij, referunt nouem, vel plures alios modos dicendi, ex quibus quinq; sunt communiores Theologis.

Primus est. Hoc nomē PERSONA DIVINA de formali significare negationē cōmunicabilitatis respectu alicuius suppositi, vt explicuimus Art. 1. connotare verò duo, scilicèt relationem diuinam, ob quam persona est incommunicabilis, & essentiam inclusam in ipsa Persona. Ità Scotus in 1. d. 25. Quæst. 1.

Secundus. Significare secundam intentionem indiuidui, quæ est communis Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ità Dur. in 1. d. 23. Quæst. 1. num. 24.

Tertius est Caietani hic, quòd directè, & formalitèr significat relatio-

relationem: consequentèr verò, sed non directè, significat substantiam Dei.

Quartus est. Quòd directè significat substantiam Dei, relationem verò consequentèr, ità Capræol. in 1. dist. 25. Quæst. 1., Conclusione 2. & Bonau. Art. 1. Quæst. 1. Gabriel Quæst. 1. Art. 1. Conclusione 2. Marsilius Quæst. 26. Art. 2. Alensis 1. p., Quæst. 56., membro 2. & Torres hic.

Quintus est. Quòd directè, & formalitèr significat substantiam Dei: relationem verò directè, & materialitèr, & quòd solùm consequentèr significat essentiam Dei: ita Vazq. hic dist. 127. Cap. 2.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Persona diuina, non significat de formali, secundam intentionem, aut negationem.

PRima Pars huius Conclusionis patet ex dictis Art. 1. Sed probatur vtraq; Nàm Personæ Diuinæ, cōstituuntur per Diuinas relationes, & reales, vt dicetur Quæst. 40. Art. 2. Ergò Persona Diuina, nō significat secundam intentionem, aut negationem. Probo Consequentiam: quia formale significatum huius nominis, est constitutiuum Personæ Diuinæ in esse talis, sicut formale significatū Hominis, est id, quo formalitèr constituitur in esse talis.

Secundò: quia aliàs, in Diuinis, non essent Personæ formalissimè, nisi per actum intellectus Per illum enim solùm, existunt formalitèr Entia rationis, qualia sunt, secunda intentio, & negatio.

Tertiò: Quia aliàs, ens rationis, esset de intrinseca ratione Deitatis, sine quo, Essentia, nō haberet suum vltimū complemētum: diximus enim suprà; constitutiua diuinarum Personarum esse de vltimo complemento Deitatis, sine quibus, essentia non haberet modum perfectum.

Dico secundò. Si loquamur de relatione, ut per modum compositionis secundum rationem constituunt Personam diuinam per modum formæ, & de conceptu confuso huius nominis PERSONA DIVINA, illud significat relationem in obliquo, & materialitèr.

Pro huius declaratione, duo supponenda sunt ex Quæst. 40.

PRimum. Ex Art. 1. quòd relatio potest considerari, vt forma simul cum essentia, partialitèr constituens Personam per modum compositionis secundum rationem, & vt constituens illam, per modum simplicitatis, & totalitatis, idest, vt relatio est ipsa Persona constituta, vt explicat Caiet. ibi Art. 3.

Secundum est. Quod (vt dicemus ibi Art. 2. dub. 2.) Diuinæ relationes, vt constitutiuæ Personarum, possunt concipi duplici conceptu, scilicèt confuso, & imperfecto, vel distincto, & perfecto. Primo modo concipiuntur sub ratione formæ hypostaticæ, & constitutiuæ Personarum. Secundo modo concipiuntur sub conceptu relationis exercitæ, actu referentis ad suum terminum.

Quibus suppositis; Ista Conclusio procedit de relatione, vt in abstracto significatur, tamquam forma constituens Personam diuinam; & de conceptu imperfecto, & confuso, quē formamus de hoc nomine PERSONA DIVINA, vt de illa solum concipimus, quod significat subsistens incommunicabile in natura diuina, non concipiendo, expressè, quòd sit illud subsistens, & prima eius pars est D. Thom. de Potentia Quæst. 9. Art. 4. vbi ait, quod hoc nomen PERSONA DIVINA significat relationem in obliquo, quatenus significat hypostasim, vel substantiam relatione distinctam. Idem docet hic, & subdit, quòd sicut Persona humana ex consequenti significat, principia eius indiuiduantia: quia significat aliquid distinctum in natura humana, quòd constituitur per illa, ità Persona diuina significat relationem: quia significat aliquid subsistens distinctum in natura diuina, & illud est subsistens, & distinctum relatione, sed Persona humana, non significat in recto, sed in obliquo principia indiuiduantia, Ergò eodem modo, Persona diuina solùm, in obliquo significat relationem, vt per modum compositionis constituit Personam diuinam Idem probat quartum Argumentum factum à principio: quia nomen, significans aliquod constitutum ex diuersis, significat illa in obliquo, & non

& non in recto, vt Homo in obliquo, significat materiam, & formam Sed relatio isto modo, consideratur veluti pars constituens Personam diuinam, Ergò in obliquo, & non in recto, secundum istam rationem significatur per hoc nomen PERSONA DIVINA.

Secunda pars Conclusionis, est eiusdem D. Thom. de Potentia, vbi suprà, & primo ad Anib. dist. 23. Quæst. 1. Art. 2., vbi ait; quod Persona diuina, significat relationem materialitèr, sicut Persona humana materialitèr significat Carnes, & Ossa: significat enim illa: quia significat id, quod in natura humana, est distinctum per has Carnes, & hæc Ossa; & ità Persona diuina, significat materialitèr relationem: quia significat aliquid subsistens distinctum in natura diuina, quòd non est subsistens distinctum: nisi per relationem.

Secundò Conceptus cōfusus huius nominis PERSONA DIVINA est conceptus subsistentis distincti in natura diuina, non considerando distinctè, quid sit illud, quo subsistit, & licèt illud sit relatio, tamèn conceptu confuso, non concipimus illud, vt relationem, sed vt formam hypostaticam, licèt talis forma, quam sic concipimus, materialitèr sit relatio; Ergò Persona diuina, licèt per conceptum confusum significet relationem, significabit illam materialitèr, idest sub conceptu personalitatis incommunicabilis, & sub conceptu relationis.

Dico tertiò. Si consideretur relatio, ut constituit Personam per modum simplicitatis, & totalitatis, idest, ut est ipsa Persona constituta, & loquamur de conceptu eius confuso, modo explicato, Persona diuina significat in recto, & materialitèr relationem, ut subsistentem.

PRo cuius declaratione repetendum est ex Art. 2. subsistens dici illud, quod habet naturam, vel formam aliquam incommunicabilitèr, propter quod Spirator non significatur, vt subsistens Persona: quia est aliquid communicabile, quandò Ergò dicitur in Conclusione, quod significat relationem, vt subsistentem, sensus est. Quod significat illam, vt est id, quod habet ipsam relationem incommunicabilitèr; hoc insinuauit D. Thom. hic; & de Potentia vbi suprà, & in 1. dist. 26. Quæst. 1. Art. 1. ad 5. dicens; Personam diuinam, significare relationem, vt subsistentem: quia sicut in Deo, Deitas est Deus; vel habens Deitatem, ità in Deo Paternitas est Pater, idest habens Paternitatem.

Hoc

Hoc ſuppoſito. Prima pars Concluſionis probatur, Id, quòd in re ſignificatur hoc nomine concreto, ſcilicet Perſona diuina, multiplicatur in Deo; Ergò ſignificat in recto relationem, vt ſubſiſtentem. Antecedens eſt de fide, ſecundum quam, ponimus in Deo tres Perſonas, & Conſequentia probatur, quia nomina concreta ſubſtantiua, non multiplicantur, niſi multiplicatis ſuppoſitis ſubſiſtentibus; & in Diuinis, non dantur alia ſuppoſita ſubſiſtentia, quæ multiplicentur niſi relatiua; Ergò Perſona diuina, in recto ſignificat ſuppoſita relatiua, quòd eſt ſignificare relationem, vt ſubſiſtentem.

Secundò. Perſona diuina ſignificat in recto, id, quòd in diuinis eſt diſtinctum ab alijs, & principium, Quod, vel terminus Qui. actuum notionalium, ſed hoc ſolùm eſt ſuppoſitum relatiuum, quòd eſt ipſa relatio ſubſiſtens, Ergò.

Secunda etiam pars Concluſionis, quòd ſignificet illam materialitèr. Probatur eodem modo, quo ſecunda pars ſecundæ Concluſionis: quia concipiendo Perſonam diuinam, conceptu confuſo, ſolùm concipimus de illa, quòd eſt ſubſiſtens incommunicabilitèr in natura diuina, & hoc materialitèr, & à parte rei, eſt relatio ſubſiſtens, licèt non concipiatur ſub tali conceptu expræſſo: Nàm quia hoc Verbum. SIGNIFICO, appellat proprium conceptum rei ſignatæ, quandò aliquòd nomen importat aliquid, & non ſub proprio conceptu, tunc dicitur ſignificare illud materialitèr.

Confirmatur: quia ſi ſignificaret illam formalitèr, eſſent Synonomi iſti termini PERSONA DIVINA, & RELATIO ſubſiſtens, & Perſona relatiua: ſignificarent enim idem, ſub eodem conceptu, Cuius contrarium eſt manifeſtum; Nàm de illis formamus diuerſos conceptus.

Dico quartò. Loquendo de conceptu, quem per Theologiam poſſumus formare de Perſona diuina, hoc nomen PERSONA DIVINA ſignificat in recto, vel in obliquo, relationem ſub expreſſo conceptu relationis, vt dicit AD.

DIxi. In recto, vel in obliquo: quia etiam per conceptum diſtinctum, poteſt concipi, vt forma relatiua conſtituens Perſonam, quaſi per modum conſtitutionis, & vt conſtituens illam, per modum ſimplicitatis, ideſt, vt eſt ipſa Perſona conſtituta, & conſiderata primo modo;

modo, significatur in obliquo per talem conceptum: in recto verò, & vt subsistens, modo explicato, si consideretur secundo modo.

Quo supposito.

PRobatur Conclusio. Per conceptum distinctum huius nominis concipitur id, quod distinctè intelligitur esse constitutiuum diuinarum Personarum per modum compositionis, vel simplicitatis, vt dictum est, Sed Quæst.40.Art.2.dub.2. patebit; Personas diuinas constitui per relationes, vt dicunt AD, secundum nostrum perfectum, & distinctum modum concipiendi; Ergò idem significabit hoc nomen PERSONA DIVINA, si loquamur de significatione illius secundum conceptum distinctum. Mai. patet: Nàm sicut Homo formalitèr significat id, quod formalitèr constituit Hominem, vt sic. Ità hoc nomen PERSONA DIVINA, formalitèr in recto, vel in obliquo significabit id, quod constituit formalitèr Personas diuinas, modis explicatis, & ità formali eius significationi correspondet, quòd nos intelligimus distinctè esse formale constitutiuum diuersarum personarum, sed vt dicitur loco citato, concipiendo distincto constitutiuum earum, intelligimus illud esse relationem, vt dicit AD, Ergò.

Secundò significatum huius nominis PERSONA DIVINA, non cognoscitur tàm distinctè, sicut in via potest cognosci per Theologiam, nisi cognoscatur sub conceptu relatiuo, vt sic, Ergò loquendo de significato eius, secundum conceptum distinctum, significat relationem, sub conceptu relationis.

Consequentia patet, quia Nos intelligimus de illa per conceptum distinctum, quod ipsa vox significat per conceptum distinctum, & Antecedens probatur: Nàm, licèt cognoscam Personam diuinam esse quid subsistens incommunicabile in natura diuina, cognoscam illam imperfectè, & confusè, quandiù non penetrauero illud subsistens incommunicabile, esse relationem, vt dicetur Quæst.40. Neq; ex hoc sequitur, esse synonomas istas voces. PERSONA DIVINA, & PERSONA RELATIVA, vel RELATIO SVBSISTENS: Nàm, licèt hæc vox PERSONA DIVINA, secundum conceptum distinctum, quem habèt, significet idem, quòd relatio subsistens, hoc tamen, non sufficit, vt sit Synonoma illi, sed oportet, vt termini Synonomi habeant eosdem conceptus confusos, & distinctos, quòd hic non contingit.

Declaratur hoc, Istæ voces Ens, & substantia, quantitas, qualitas

&c.; vt proportionantur in esse non sunt synonomæ: quia, licèt ens secundum conceptum distinctum analogum, quem dicit, significet ipsa decem Prædicamenta, vt proportionata: in esse tamèn non dicit illa in omni suo conceptu etiam confuso, & tamèn explicantur in omni conceptu proprio secundi termini. Ita hic, licèt hoc nomen PERSONA DIVINA, secundum conceptum distinctum, significet formalitèr relationem, modo explicato: non tamèn est synonomum alijs; quia non in omni conceptu, illi correspondente significat idem, quòd alia.

Dices D. Thom. 1. ad Anibal. dist. 23. Quæst. 1. Art. 2. docere Personam diuinam significare relationem, vt subsistentem, & distinctam non verò, vt est distinguens vnam Personam ab alijs, sed constitutiuum Personæ diuinæ est relatio, vt realitèr distinguens vnam Personam ab alijs, Ergò non significat relationem secundum conceptum distinctum, quem formamus de illa, vt est constitutiua Personæ. Min. patet, Nàm relatio est constitutiua Personæ, vt dicit AD. vt dicemus Quæst. 40. Sed, vt sic, est distinguens à correlatiuo; Ergò.

Respondeo tamèn D. Thom. ibi loqui de Persona, vt significat in Verbo relationem subsistentem illa enim, vt sic, est quid distinctum, & quia non significatur; vt forma in abstracto; non significatur, vt distinguens, Nàm hoc est proprium relationis, vt significatur in abstracto, tamquàm forma constituens personam per modum compositionis.

Potest hæc vltima Conclusio; alitèr verificari: Nàm, quia hoc nomen PERSONA DIVINA, significat essentiam, & relationem, vt constituentes Personàm (vt diximus Conclusione 2.) Ideò, si comparemus relationem ad essentiam, hoc nomen PERSONA DIVINA de formali significat relationem: quia de formali, significat Personalitatem, quæ in diuinis, est relatio; essentiam verò, significat veluti materialitèr: quia significat illam, vt determinabilem per relationem. Alitèr hoc explicat Heruæus in 1. dist. 23. Quæst. vnica Videte ibi.

33 Ad primum Ergò Respondeo. Aug. loqui de significatione huius nominis PERSONA, in communi, vt est supperior creata, & increata, quòd si loquatur de significatione huius nominis PERSONA DIVINA, loquitur de significatione eius secundum conceptum confusum, illi correspondentem, secundum quem non concipitur relatiuè, vt dictum est, licèt secundum conceptum distinctum relatiuè concipiatur. Exemplum huius reperitur in hoc termino. SVBSISTENS DIVINVM INCOMMVNICABILE, quod secundum concep-

conceptum confusum, non dicitur relatiuè, & tamen significat relationem: dicimus enim indiuiduis, esse tria subsistentia incommunicabilia, & quandò eius significatio concipitur distinctè, modo supra explicato, concipitur in ordine ad terminum, & per hæc patet ad Confirmationem.

Secundò Respondeo ex D. Thom. de Potentia Quæst. 9. Art. 4. ad 3. & in 1. dist. 23. Quæst. 1. Art. 3. & ad Anibaldum ibidem Art. 2. ad vltimum, quòd, licèt, hoc nomen PERSONA DIVINA, ex parte rei significatæ, dicat relationem: tamèn ex parte modi significandi, significat per modum absoluti, sicut diximus de illo termino SVBSISTENS DIVINVM INCOMMVNICABILE: significare autèm, relationem per modum absoluti, est non significare eam secundum, quòd respicit terminum, sed secundum alium modum, quòd concipiatur sine termino, vt patet in exemplo adducto, & in hoc termino RES DIVINA, quandò enim dicimus in Deo esse 3. res, significamus relationem per modum absoluti: quia nō significamus illas per nomina dicentia ordinem ad terminum.

Ad secundam. Distinguo Min. Per conceptum confusum non importatur formalitèr relatio. Concedo Min. Materialitèr, vel per conceptum distinctum non importatur formalitèr relatio, nego Min. Nàm, si, distinctè concipias, quid sit subsistens incommunicabile in natura diuina, necessariò concipietur relatio sub conceptu relationis, & formalitèr, si verò id concipias in confuso ibi identicè, & materialitèr, importatur relatio.

Ad Confirmationem patet ex eadem solutione: Nàm in significatione huius nominis, per conceptum distinctum, exprimitur relatio formalitèr, vt est relatio: in significatione autèm eius, per conceptum confusum, importatur materialitèr relatio, idest, importatur id, quod realitèr est idem cum ipsa relatione: Nàm relatio, & subsistens incommunicabile in natura diuina, quòd est confusum significatum huius termini PERSONA DIVINA, materialitèr idem sunt.

Ad tertiam Respondeo D. Thom. solùm, velle hoc nomen Persona diuina, materialitèr significare essentiam diuinam, vt identificatur cum Personis.

Ad replicam verò contra hoc, patet ex 2. & 3. Conclusione: Nàm relatio considerata, vt forma constituens Personam, per modū simplicitatis, significatur in recto, considerata verò, vt constituens eam, per modum compositionis, significatur in oliquo, vt dictum est.

Ad

Ad quartum. Patet ex eadem doctrina, quod non significat relationem in recto, vt illa cõstituit personam per modum compositionis, sed significat eam in recto, vt constituit Personam per modum simplicitatis: Nomina enim concreta significant in recto per modum subsistentis eam formam, qua simplicia constituuntur per modum totalitatis, & simplicitatis, vt Deus in recto, & per modum subsistentis, significat Deitatem, qua Deus per modum totalitatis, & simplicitatis, constituitur in esse Dei.

Ad quintum dictum est, illud nomen significare essentiam materialitèr, & identicè, inquantum identificatur cum Persona, quam formalitèr significat, nequè indè sequitur, multiplicatis Personis, debere essentiam multiplicari, quam materialitèr significat, sicut Persona Humana materialitèr significat partes, & principia indiuiduantia, vt ait D. Thom. in Articulo, & non sequitur, quòd res, ità materialitèr significatæ, debeant habere inter se vnitatem, vel multiplicitatem, quam habet Persona formalitèr significata.



QVÆSTIO XXX

DE PLVRALITATE PERSONARVM IN DIVINIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

An sit ponere plures Personas in Diuinis.

Conclusio est affirmatiua.

DVBITATVR.

An Conclusio sit vera.



IDETVR, quod non. Primo: quia Gregor. Nazian. vt refert Basil. Epistola 64. asseruit Patrem, & Filium, & Spiritum Sãctum esse distinctos, secundum cogitationem, & non substantialitèr, Ergò.

Confirmatur. Nàm D. Damas. lib. 1. de fide Cath. Cap. 1. ait, tres Personas esse idem re; distinctas verò ratione, Ergò in diuinis non datur pluralitas realis, sed tantùm secundum rationem.

Secundò Arguitur. Quia verus, & vnus Deus, debet inuocari à fidelibus per Filium mediatorem, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non possunt inuocari per Filium mediatorem: quia Filius non est mediator sui, Ergò istæ tres Personæ non sunt in diuinis, tamquã verus Deus. Hoc est Argumentum præcipuum, quo vtuntur Transiluani, quorum alia multa referunt Valentia hic puncto 1. Belarm. 2. de Christo à Cap. 7. vsquè ad 18.

Confirmatur dupliciter. Primò: quia aliàs, in Deo essent tria entia sub-

ſubſtantiuè. Conſequens eſt falsum, Ergò. Min. patet: quia aliàs Pater non communicaret Filio totam ſuam entitatem, quod eſt contra Concil. Lateran. ſub. Innocentio III. Cap.2. Nàm, ſi in Deo ſunt tria entia ſubſtantiuè, ibi eſſent tres entitates diſtinctæ, quarum vna Patri propria eſſet Paternitas, quæ non communicatur Filio. Sequella verò probatur triplicitèr.

Primò: quia ens eſt ſuperius ad perſonam, quæ multiplicatur, ſed multiplicato inferiori multiplicatur ſuperius, vt ſi ſunt tres Homines, ſunt tria animalia, Ergò ſi in diuinis ſunt tres perſonæ, ſunt tria entia.

Secundò: formale ſignificatum entis ſubſtantiui, non eſt exiſtentia, vt probat Ferrar. 1. contra Gentiles Cap.25. ſed entitas: hęc verò multiplicatur in diuinis: quia quælibet relatio, & perſona eſt entitas diſtincta ab alijs, Ergò ſi ibi ſunt tres perſonæ, ſunt etiam tria entia. Probo Conſequentiam: quia ad multiplicationem nominis concreti ſubſtantiui, ſatis eſt multiplicatio ſuppoſitorum, & formarum ſignificatarum per illud, vt multiplicatis ſuppoſitis, & Humanitatibus, multiplicantur homines, Ergò ſi in Deo, cum tribus perſonis reperiũtur tres entitates, reperientur etiam tria entia.

Tertiò, Relationes diuinæ, vt diſtinctæ ab eſſentia, ſunt entia, aliàs eſſent nihil, ſed vt ſic diſtinctæ, ſunt tres, Ergò ſunt tria entia: Nàm ideò ſunt tres res: quia quælibet, vt diſtincta ab eſſentia, eſt res.

Confirmatur ſecundò. Ideò res dicitur pluralitèr de tribus perſonis: quia (teſte D.Th. infrà Quæſt.39. Art.3. ad 3.) eſt tranſcendens, ſed etiam ens eſt tranſcendens, Ergò etiam prædicabitur de Deo in plurali, Min. patet: quia ens, & res, ſunt termini Synonimi, quibus correſpondet idem conceptus, vel ſaltim ſunt conuertibiles, quorum vnus clauditur in conceptu alterius, & hoc ſufficit, vt vnum non ſit tranſcẽdens, nec multiplicetur ſine alterò, Ergò.

Tertiò principalitèr Arguitur. Quia aliàs, eſſent in Deo plures eſſentiæ, cuius contrariũ diximus Quæſt.29. Art.2. ad 2. Ergò. Sequella probatur duplicitèr.

Primò: Nàm, ſi in Deo, ſunt plures perſonæ, erunt etiam plures relationes, quarum quælibet habeat ſuam eſſentiam diſtinctam ab alia: Nàm Paternitas, & Filiatio, non ſunt eiuſdem ſpeciei, Ergo.

Secundo: quia eſſentia eſt tranſcendens commune abſoluto, & relatiuo: relatio enim, vt dicit, A D, habet eſſentiam diſtinctam, ab abſoluta, Ergo, ſi ibi ſunt tres relationes, erunt tres eſſentiæ: Nàm multiplicato inferiori multiplicatur & ſuperius.

Confirmatur: quia aliàs, in diuinis eſſent plures veritates, bonita-

tes,

tes, infinitates, plura creata, & immensa. Consequens est contra Symbolum Athanasij, vbi dicitur. Non tres creati, nec tres immensi, scilicèt substantiuè, & eadem ratio est, de cæteris: quia omnia ista prædicata sunt absoluta, & absoluta non multiplicantur in Deo; Ergo. Sequella patet: Nàm ista prædicata conueniunt personis, vt distincta ab essentia, & sunt superiora illis, quælibet enim persona, vt sic, est vera bona &c. aliàs, si vt persona non essent vera, bona &c. vt sic, esset falsa, mala, finita, creata, & mensurabilis, quod est hæreticum, Ergo, si multiplicantur personæ, multiplicantur etiam ista prædicata.

Quarto, quia aliàs, essent in Deo, plures vnitates reales, & plura indiuidua. Consequens, est falsum; Ergo. Sequella patet dupliciter.

Primo, quia habere vnitatem, & esse indiuiduum est, superius ad personam; Ergo, multiplicatis personis, debent ista multiplicari.

Secundo, quia teste Damas. lib. 3. de fide Cap. 4. & 8. cum personæ Diuinæ distinguantur realiter, & non genere, neq; specie, distinguentur numero, & vt habetur in Concil. Tollet. XI. in professione fidei, in diuinis personis, est numerus ternarius; Ergò in eis sunt plures vnitates, & plura indiuidua. Probo Consequentiam: quia, quæ numero distinguuntur, & constituunt numerum, sunt singularia, & indiuidua distincta, habentia distinctas vnitates: Nàm numerus constat ex distinctis vnitatibus. Min. verò probatur: quia illæ vnitates, non sunt genericæ, neq; specificę: quia sunt vnitates reales, quales non sunt vnitates genericæ, nequè specificę, nec sunt vnitates numericę, aliàs Personæ, quæ haberent tales vnitates, essent plura indiuidua, ea enim, quæ numero distinguuntur, sunt diuersa indiuidua; Aug. autèm 7. de Trinitate Cap. vltimo. Negat, in diuinis esse tria indiuidua, Ergò.

Quintò: Quia aliàs, in Deo esset numerus. Consequens est falsũ, Ergò. Sequella patet. Quia omnis pluralitas finita, est aliquis numerus, Ergò. Min. verò probatur quadrupliciter.

Primò: quia Concil. Tollet. (vbi suprà) ait, hanc Trinitatem non capi numero, & Ambros. primo de fide Cap. 2. Bern. 5. de consideratione, & Boet. lib. de Trinitate, negant numerum in Deo.

Secundò: quia omnis numerus dicit compositionem, quia non includit solam vnam vnitatem, sed multiplicem, compositio autem Deo repugnat, Ergò.

Tertiò: Quia omnis numerus mensuratur per vnum, sed Deus est immensus, vt patet ex Symbolo Athana. & per Consequens est immensurabilis, Ergò.

Quartò. Vbicumquè est numerus est totum, & pars, maius, & mi-

nus: Nàm totus numerus est maior qualibet vnitate, & totum respectu illius, sed in diuinis, non datur maius, & minus, totum, & pars, Ergò.

Dices cum D. Th. hic ad 4. hoc esse verum de numero simplici, & abstracto, vel absoluto, non de rebus numeratis, quandò sunt increatæ.

Sed contra hoc est. Primò: quia quod conuenit numero abstracto, & secundum se, conuenit cuicumque numero contracto ad res numeratas, tamquam superius inferiori, Ergò si illæ conditiones conueniũt numero abstracto, conuenient ei, vt contracto ad res numeratas, quæcumque illæ sint.

Secundò aut D. Th. negans in Deo rationem totius, & partis, maioris, & minori, negat maioritatem extensiuam, idest, pluralitatem; aut intensiuam. Si primam. Certũ est tres personas diuinas esse plures, quam vnam, & ternarium illarum componi ex ipsis personis simul sumptis, quarum quælibet est pars illius: Nàm ipse ternarius constat ex ipsa, & ex alijs, & ità in tali numero erit maius, & minus extensiuè. Si secundam, id est, maiorem perfectionem; illa nihil refert ad rationem numeri, non enim in pluribus rebus numeratis debet esse maior perfectio intensiua, quàm in vna: Nàm in binario Dei, & creaturarum, non est maior perfectio intensiua, quàm in solo Deo, & in isto ternario durationum, tempus, æuum, & æternitas, non est duratio intensiuè perfectior, quàm in sola æternitate.

Sed contra est Conclusio articuli.

IN hoc dubio Gentiles, Iudei, Sabellius Praxeas Noetus, Ermogenes, Nonius, & alij, negarunt realem distinctionem diuinarum personarum, vt referunt Prateolus titulo Iudæorum Hæreses, Epiph. Hæres. 57. & 71. Aug. Hæres. 47. Hylar. in lib. de Synodis. Tertulianus contra Praxeam, & Belar. lib. 1. de Christo Cap. 1. & alij. Idem tenuere Angelitæ, & Concobarditæ, relati à Niceforo lib. 18. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 49. Transiluani etiam lib. 2. Cap. 4. senserunt, nullam talem distinctionem fuisse ante Christi Incarnationem, Sed istis nominibus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, significare tres virtutes, & potentias eiusdem personæ singularis.

Alij verò, Ex vnitate Dei, inferebant vnitatem personæ, rationes, quibus probatur vnitas Dei, vel non conuincere illam, vel conuincere etiam vnitatem personæ: Nàm, si darentur plures personæ, vel nulla

esset

esset infinita, vel si aliqua esset infinita, illa esset sufficiens, & adæquatá naturæ diuinæ, & non haberet per quid distingueretur ab alijs: quia includeret omnem entitatem, & perfectionem aliarum.

Alitèr errabant alij, vt retulimus suprà Quæst. 27. Art. 1. dub. 1. & refert Vazq. hic disp. 108. Cap. 1.

Veritas tamèn est, in Deo dari plures Personas realitèr distinctas: hoc enim significant illa Verba Math. vltimo Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & vbi particula. ET, significat realem distinctionem. Idem patet ex illo Ioann. 1. Cap. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Celo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, de qua veritate vidè plura in Suarez lib. 1. de Trin. Cap. 2. & Valentia 1. p. Quæst. 27. puncto 1. §. 2. 3. 4. & 5.

Ad primum, Ergò Basilius ibidem, ait, illa Verba Gregorij, non esse prolata ex propria sententia, sed referendo sententiam hæreticorum, quos impugnabat.

Ad Confirmationem D. Thom. in 1. d. 2. Quæst. 1. Art. 5. ad 1. & d. 25. Quæst. 1. Art. 4. ait, Damascenum intelligi, quod distinguuntur ratione, vel relatione, quæ sola ratione distinguuntur ab essentia, in qua identificantúr.

Vel dicatur, quod intelligitur illas distingui ratione: quia distinguuntur relationibus, quæ, vt infrà dicemus, licèt, non habeant essentias distinctas, habent tamèn rationes formales distinctas.

Vel dicatur tertiò Damas. intelligit earum distinctionem sola ratione percipi.

Ad secundum Nego Min. Ad probationem distinguo Antecedens: non est mediator sui secundum diuersas naturas, Nego Antecedens: Nam ipse, vt Homo, est mediator respectu sui, vt est Deus, quod explicuit Paulus primæ ad Timot. 2. dicens. Vnus mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus. Homo, idest, inquantum homo, est mediator respectu sui, vt est Deus, non est mediator respectu sui secundum eamdem naturam, concedo Antecedens, & ita non inuocamus Deum per Filium, vt est Deus, sed vt est homo.

Ad primam Confirmationem tres sunt modi dicendi. Primus est simplicitèr, & sine addito, concedenda esse in diuinis tria entia substantiuè. Ità Suarez lib. 3. de Trinitate Cap. 6. & tom. 1. 3. p. disp. 11. sect. 2. Vazq. hic disp. 122. Cap. 7. Molina infrà Quæst. 39. Art. 3. & Torres ibi.

Secundus est. Id non posse concedi, sed tantum concedi posse, esse tria entia adiectiuè, idest, tria existentia, ità Capræol. in 1. dist. 29.

Quæst.1.ad 1.contra 1.& Egidius dist.25. Quæst.5.

Tertius est. Quod, quia (teste Auizena 2. meth.tract. Cap.6.) hoc nomen ens sumitur ab esse,& imponitur ad significandam entitatem,ideò sumendo ens pro eo,à quo imponitur in Deo, non sunt tria entia:quia tantum est vnum esse, benè autem concedemus tria entia, si nomen ENS sumatur pro eo, ad quod imponitur significandum Oritur autem ista diuersitas opinandi ex diuerso modo philosophandi de Ente: Nàm Caiet.Cap.4.de Ente,& Soto. Cap. 4.anteprædicamentali Quæst. 1. & alij qui tenent, Ens tantum, sumi particulariter, & de formali significari existentiam, quæ in diuinis, tantum est vna,dicunt,in Deo tantum esse vnum ens substantiuè, licèt sint tria entia adiectiuè, idest, tria existentia, quia ad huius veritatem sufficit eamdem existentiam communicari tribus: ad veritatem autem illius requirebatur in tribus Personis esse tres distinctas existentias.

Alij verò tenent, Ens sumi nominalitèr, & abstractum eius, esse entitatem,vel essentiam ità Capræol.in 1.dist.8.Quæst.1.ad 7.Gelaldi.& quæst.2.ad 4.contra 4.Ferrar.1.contra Gent.Cap.25.& Fonseca 4.meth.Cap.2.Quæst.3.sect.2.& alij. Et ex his, qui ità sentiunt aliqui admittunt, in Deo dari tria entia substantiuè: quia dantur in illo tres entitates personales.

Sed dicendum est, quod absolutè non debet concedi tres Personas esse tria entia substantiuè,& nominalitèr. Ità D.Thom.in 1.dist.25. Quæst.1. Art.4.in corpore,& ad 1.& ad Anibaldum ibidem Art.4.

Et probatur: Nàm ad veritatem huius proposit. TRES PERSONAE DIVINAE SVNT TRIA ENTIA requiritur, vt in tribus Personis diuinis reperiantur tres formæ formalitèr importatæ per hoc nomen ENS, sed illæ non multiplicantur in tribus Personis, Ergò.Mai.patet ex regula Theologorum,quæ explicatur infrà Quæst. 36., & 39. Quod ad multiplicationem nominis substantiui requiritur multiplicatio formæ importatæ per illud. Min. verò probatur: quia triplex forma potest importari per hoc nomen ENS, scilicèt existentia,essentia,aut entitas,sed nulla istarum absolutè multiplicatur in diuinis; Ergò. De prima, scilicèt existentia id probauimus Quæst.28. Art.2. dub. 3. De secunda scilicèt essentia patebit in solutione ad 3. Quòd autem essentia sit forma importata per hoc nomen Ens,ostendit Ferrar. vbi suprà ex diuersis locis D. Thom. De tertia etiam forma,scilicèt, Entitate, quę est abstractū entis,probat eandem Min.Capr.in dist.29.vbi suprà,ex D.Thom.de potentia Quæst.2.Art. 5.docente,nullam entitatem esse in vna Persona,quæ non sit in alia;

quia

quia eadem entitas, quæ in Patre est Paternitas, in Filio, & Spiritu Sancto est Filiatio, vel processio, & ita ibi non dantur tres entitates, sed vna, quæ est tres relationes. Similitèr. Conc. Lateranense vbi suprà. Florenti. sessione vltima in litteris sanctæ vnionis. Hylar. lib. 3. de Trin. Cyril. lib. 1. in Ioan. Cap. 4. & Isidorus lib. de summo bono Cap. 15. diffiniunt Patrem totam suam entitatem dedisse Filio, sed non dedit Paternitatem, sed essentiam, Ergò entitas absolutè sumpta significat essentiam, quæ est vna, & non relationes, quæ sunt tres, & ità non possunt concedi absolutè in diuinis, tria entia, vel tres entitates, sed vna.

Confirmatur hoc, & probantur simul duæ vltimæ partes eiusdem minoris: Nàm, quia nomen ENS sumitur ab esse, licèt sumptum nominalitèr significèt de formali essentiam, vel entitatem, non significat illam quomodocumq;, sed vt est principium essendi, in diuinis verò non sunt diuersæ essentiæ, vel entitates, quæ sint distincta principia essendi: quia ibi tantum est vnum esse, quod est ipsa essentia, vt dictum est, Ergò. Mai. probatur triplicitèr. Primò, quia D. Thom. in 1. dist. 8. Quæst. 1. Art. 1. & dist. 25. Quæst. 1. Art. 4. in corpore, & ad 1., & de veritate Quæst. 1. Art. 1. & primo contra Gent. Cap. 25. admittit quod docet Auicena, scilicèt hoc nomen, RES, significare essentiam, vt habet esse ratum, & firmum, non confictum ab intellectu: hoc verò nomen, Ens, sumi ab actu essendi, quo insināt, quod si abstractum, Entis, est essentia, non significat illam absolutè, vt habet esse ratum, sed vt principium essendi, aliàs enim non differret intèr Ens, & res, neq; essent diuersa transcendentia.

Secundò probatur. Nàm teste D. Thom. Opusc. 42. Cap. 1. Viuens se habet respectu viuere, sicut ens respectu esse: Sicut enim viuens participialitèr significat, quod exercet actum vitæ, & nominalitèr significat id, quod habet naturam, quæ de se est principium operationis vitalis, Ita ens participialitèr, idest, existens significat id, quod actu exercet actum essendi: nominalitèr verò significat, quod habet essentiam, vel entitatem, quæ est principium essendi, sed tres Personæ diuinæ non sunt tria viuentia, nominalitèr: quia non habent tres naturas, quarum quælibet sit principium distinctum vitæ, Ergò nec sunt tria entia nominalitèr: quia non habent tres essentias, vel entitates, quæ sint tria principia essendi.

Tertiò: quia Quæst. 29. Art. 2. ad 2. diximus in Deo non esse tres subsistentias: quia subsistentia in suo significato formali includit esse per se, significat enim id cui debetur esse per se, & in Deo non damus,

nisi vnum esse, & vnam essentiam, cui debeatur esse per se, Sed ens in suo formali significato dicit existentiam, vel principium illius, quæ in Deo tantum est vna; Ergò in Deo non debent admitti tria entia.

Dixi. Non debet absolutè concedi tria entia: quia teste Capr. vbi suprà si entitas sumatur non absolutè pro entitate, vt est principium essendi, Sed vt est idem, quod realitas, sine respectu ad, esse, tunc cũ addito potest concedi in Deo esse tres entitates relatiuas, & de entitate illo modo, concedendum est Patrem non dedisse Filio totam suã entitatem, idest, realitatem relatiuam, & si Ens nominalitèr potest absolui ab ordine ad, esse, in suo formali significato, poterit etiam concedi, tres Personas esse tria entia, sed: quia secundum communem vsum ens de suo formali significato dicit existentiam, vel principium illius, quæ non multiplicatur in diuinis, ideò ibi non sunt tria entia.

His suppositis.

AD primam Confirmationem, Nego sequellam. Ad primam probationem dist. Min. Quandò formæ importatæ per superius, & inferius, etiam comparantur inter se, vt supperius, & inferius, vt cõtingit in Homine, & Animali, Concedo Min. Nego tamèn illam: Quandò non eodem modo se habent formæ importatæ per superius & inferius, quia tunc variatur appellatio, vel applicatio termini numeralis, & ita contingit hic: Nàm personalitas, quæ est formale significatum Personæ, non est essentialitèr inferior ad formale significatum entis, scilicèt Entitatem, vt est principium essendi: Nàm Personalitas est modus essentiæ, non verò essentia, neq; entitas, quæ sit principium essendi, & ideò ille terminus, TRIA, in Antecedẽti numerat relationes, vel Personalitates, quæ sunt modi essendi, In Consequenti verò numerat, & multiplicat diuersas essentias. Exemplum huius est. Nàm ens reale est supperius ad relationem realem, & tamèn, licèt spiratio actiua, & Paternitas sint duæ relationes reales, non sunt duæ Res, vel duo entia realia, quia ille terminus, DVAE, in priori propositione numerat respectum ad terminum In Consequenti verò numerat diuersa principia essendi, vel diuersas realitates, & tamèn licèt illæ relatiuæ dicant diuersos respectus ad diuersos terminos, non tamèn sunt duo entia, vel duæ res, aliàs in diuinis esset quaternitas rerum, & entium, de quo infrà Quæst. 32. Similitèr licèt Persona diuina sit superior ad spirantem, ex hoc quod Pater, & Filius sint vnus spirator, non sequitur, quod sint vna Persona. Vide alia exempla

supra Quæst. 28. Art. 4. ad primum.

Ad secundam probationem, dictum est, formam significatam per ens, esse entitatem, vt est principium essendi, & hanc in diuinis solùm esse vnam, scilicèt essentiam, & non relationes.

Ad tertiam probationem Nego Antecedens. Ad probationem Nego Consequentiam: quia, licèt non sint entia, sunt vnum, & idem ens reale, & ideò non sunt nihil.

3 Ad secundam Confirmationem Quidam clericus Franciæ relatus ab Anselmo lib. 1. de incarnat. Cap. 1. dicebat tres Personas diuinas, ità esse tres res, vt nullo modo essent vna res, ne Incarnato Filio Incarnarentur Pater, & Spiritus Sanctus.

Duran. verò in 1. dist. 25. Quæst. 2. negat tres Personas in rigore esse tres res, sed vnam: quia res absolutè dicta significat substantiam, & in diuinis solum est vna substantia, vt diximus Quæst. 29. Art. 2. ad 2. Idem insinuat Torres infra Quæst. 40. Art. 1. in prima parte Commentarij: admittunt tamèn isti cum addito posse concedi in Deo esse tres res relatiuas, vel vnam rem relatiuam esse in vnam rem relatiuam, esse in vna Persona, quæ non sit in alia. Nihilominus dicendum est, quòd concedi potest absolutè tres Personas diuinas esse tres res, & esse vnam rem. Vtramq; partem huius assertionis habet Anselmus vbi supra Cap. 3. & D. Thom. in 1. dist. 25. Quæst. 1. Art. 4. Specialitèr autem primam partem, quod sint tres res habent D. Thom. hic, & infra Quæst. 39. Art. 3. ad 3. & Aug. 1. de Doct. Christiana Cap. 5. dicēs. Res, quibus fruendum est in Cælo, sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & subdit etiam secundam partem dicens ibidem, quod Trinitas, quædam summa res est, & similitèr in Concil. Later. sub Innocentio III. Cap. 2. contra Ioachim diffinitur in Deo esse vnam summam rem, quæ veracitèr est simul tres Personæ, & ratio huius assignatur à D. Th. quia res est transcendens, & de formali significat quiditatem ratam, idest, habentem suam rationem sine opere intellectus, quæ ratio est communis relatiuo, & absoluto, secundum sibi proprias rationes, & ideò sicut dantur tres relationes realitèr distinctæ, quæ sunt vna essentia, ità debent dari tres res, & vna res.

4 Hoc supposito. Ad Confirmationem dist. Antecedens: Quia est transcendens quomodocumq; nego Antecedens: Nàm verum est trāscendens, & non multiplicatur in diuinis, vt infra dicemus: Quia est transcendens ità, quod eius formale significatum sit superius, & formalitèr inclusum in omni ratione, & forma concedo Antecedens, & ita intellexit D. Thom. Id verò non habet ens,

Decla-

Declaratur hoc. Res de formali significat quiditatem, & essentiam, vt ratam, idest, vt est firma non conficta ab intellectu, & hæc ratio est superior formalitèr inclusa in omni ratione formali entis absoluti, vel relatiui realis, & ideò istis multiplicatis multiplicantur res. Ens verò de formali significat existentiam, vel essentiam, aut entitatem, vt est principium existentiæ, existentia verò, neq; entitas, vt principium existentiæ non est superior, & essentialitèr inclusa in relationibus diuinis, vt sic, & ideò istis multiplicatis, non multiplicantur entia. Falsum etiam est, quod in eadem Confirmatione subdit Suarez, scilicèt Ens, & res esse terminos sinonymos: Contrarium enim docet D.Thom.3.methaph. tex.3. asserens eorum significata differre ratione, vt suprà explicatum est. Ex quo patet, quod licèt in Deo multiplicentur res non debent multiplicari entia: quia vt asserit D.Thom. infrà Quæst.40. Art. 1. ad 1., quæ sunt idem re, & differunt ratione, non ità se habent, vt vno multiplicato multiplicetur aliud: Nàm relationes identificantur re cum Persona, & essentia, licèt differant ratione, & tamèn in Persona Patris sunt duæ relationes, & non duæ Personæ, vel essentiæ, & ità, quia ens, & res distinguuntur ratione, sunt enim diuersa transcendentia, non sequitur quod, si Personæ diuinæ sunt tres res, sint tria entia.

Ex his sequuuntur duo. Primũ est verũ esse, quod diximus Quæst. 28. Art.1. scilicèt relationes diuinas, vt ratione distinctas ab essentia, esse formalitèr reales propria realitate, ex eo, quod ex natura rei referuntur ad suos terminos: Nàm, si tantum haberent realitatem essentiæ, quæ est vna nõ essent tres res: quia tũc terminus numeralis, TRES, numeraret tres realitates, quæ non reperiuntur in illis.

Secundum est. Eadem ratione concedendum esse tres Personas diuinas esse tres aliquos (si ità latinè licèt loqui) ità Concedunt Ansel. vbi suprà, & Ricar. de S. Victore 4. de Trinitate Cap. 8. & ratio est; Quia esse aliquos dicit modum, & rationem communem etiam relationibus, vt sic.

Ad tertium Principale D. Th. in 1. d.33. Quæst.Vnica Art.1. ad 1. videtur concedere essentiam diuinam, & relationes distingui in essentia, & quidditate. Caiet. etiam suprà Quæst.28. Art. 2. distinguit inter quidditatem essentiæ, & relationum, & idem tenetur dicere Scotus ponens dictionem formalem inter eas, vt suprà diximus, & ità videtur sequi in diuinis dari diuersas essentias, quod concedunt aliqui Iuniores. Capræol. tamèn in 1.d.29. Quæst. 1. ad 2. contra 1. non admittit, quod propriè loquendo de essentia, & quidditate, in Deo sint

diuersæ

diuersæ essentiæ, vel quidditates, & ità docet D. Thom. in 1. dist. 25 Quæst. 1. Art. 4. ad 2. sic dicens. Si per quidditatem intelligitur non solùm natura absoluta, sed ratio, vel in tentio cuiuscumquè Substantiæ, vel Accidentis, vel Relationis, sic in diuinis quãuis sit vna quidditas absoluta, tamèn sunt plures rationes relationum realium, & ità plures quidditates quodam modo, quamuis hoc non possit propriè concedi: quia quidditas, & essentia, & diffinitio simplicitèr, tantùm est substantiarum, vt probat Phylos. in 7. Meth. & indè est, quod nomen rei potest prædicari, & singularitèr. Hæc D.Th.

Et ideò ad 3. Quòd procedit de essentia simplicitèr, & sine addito. Nego Sequellã. Nàm Concil. Lateran. sub Innocen. III. Cap. 1. diffinit tres Personas esse vnius essentiæ, & Atha. Sinaita lib. 1. de rectis fidei dogmatibus (qui habetur tom. 1. Bibliothecæ Sanctorũ Patrũ) ait, Trinitatem dico nõ essentiarum, sed Personarum, & ratio est: quia vt suprà diximus, & habet Basilius Epistola 80. essentia absolutè sumpta significat entitatem, vel quidditatem, quæ est principium essendi, & operationum, significat etiam naturam, quæ est communis omnibus suppositis illius essentiæ. Ità docent Cyril. 1. dialog. de Trinitate ad fin. Nicenus lib. de differentia essentiæ, & Hypostasis. Theodoretus in immutabili à principio, & Iustinianus in Confessione fidei, quæ habetur 2. tom. Concil. post. 2. Concil. Tolletanum in editione Sudij, Sed in diuinis tantùm est vna Essentia communis tribus Personis, quæ sit principium essendi, & operationum, Ergò in diuinis tãtùm est vna Deitas, & vna natura absolutè loquendo, Ergò tantùm est vna essentia absolutè loquendo. Antecedens est de fide diffinitum in multis Concilijs specialitèr in 6. Constantinop. actione 4. & Consequentia probatur: quia ibi pro eodem sumuntur Deitas, natura, vel essentia, dicitur enim, Confitemur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum vnius esse Deitatis vnius naturæ, & substantiæ, siuè essentiæ.

Ex quo sequitur non esse concedendas in Deo tres essentias relatiuas: quia non concedimus ibi tres Deitates relatiuas, Eadem autèm est ratio Deitatis, & essentiæ Dei, vt patet ex prædicto testimonio Cõcilij. Item nulla ratio relatiua in diuinis est principium essendi, & operationum, Ergò nulla est essentia: hoc enim requiritur ad rationem essentiæ.

Confirmatur: Quia relationes habent se, vt proprietates Personales. Ex hoc autèm: quòd in natura Humana sint plures proprietates personales, & indiuiduales, non dicemus in ea esse plures naturas, & essentias, Ergò idem proportionabilitèr dicendum est in Deo.

Ad tertiam, Ergò nego Sequellã. Ad 1. probationem negò Min. Nàm essentia absolutè sumpta significat non rationem formalem alicuius rei, sed naturam, vt est principium essendi, & operationum, quod quia non habent relationes diuinæ, licèt habeant diuersas rationes formales, vt diximus Quæst. 27. Art. 3. non sunt dicendæ plures essentiæ.

Ad secũdam probationem Respondeo, essentiam sumptam pro ratione formali esse transcendentem in humanis, & diuinis: sumptà tamèn absolutè, vt significat principium essendi, & operationum erit transcendens in Creatis, vbi relatio etiam est principium suæ existentiæ, non verò in diuinis, vbi relatio nullo modo est principium existendi.

Ad confirmationem Respõsum est per singulas partes, & quod attinet ad primam de Veritate Suarez lib. 3. de Trin. Cap. 8. & Vazq. hic disp. 122. Cap. 7. admittunt in Deo tres veritates in essendo, licèt loquendo de veritate in intelligendo, vel dicendo dicant, & verè, tantùm esse ibi vnam, probantq; suam sententiam.

Primò. Quia primæ Ioan. 5. dicitur. Vt simus in verò Filio ejus, hic est verus Deus, quo significatur veritatem conuenire Filio, & ratione Deitatis, & ratione Filiationis, & quia idem erit de alijs Personis, sicut in eis damus tres relationes realitèr distinctas; ità debemus dare tres veritates personales conuenientes eis ratione relationum.

Secundò. Pater nõ solùm est verus Deus, sed etiam est verus Pater; & distincta ratione est verus Deus, quã verus Pater. Nàm verus Deus est: quia est ens infinitum, & verus Pater: quia verè generat. Similitèr Filius est verè Filius alia ratione realitèr distincta: quia verè generatur, & similitèr Spiritus Sanctus est verè Spiritus Sanctus alia ratione realitèr distincta: quia verè spiratur, Ergò in tribus Personis sunt tres veritates propriè singulis distinctæ ratione à veritate communi, qua sunt verus Deus.

Tertiò, Veritas transcendentalis est ipsa realitas rei, vt potest habere conformitatem cum aliquo iuditio verò, sed in Deo est triplex realitas quarum quælibet est conformabilis distincto iudicio verò, Ergò.

Nihilominus tamèn tantum esse in diuinis vnam veritatem, quę sit veritas essentiæ docet Ricard. in 1. d. 24. Art. 1. Quæst. 3. ad 1. & ità tenendum est.

Primo: quia ità expresè docet D. Th. sæpè: Nã de veritate Quæst. 1. Art. 5. ad 18. & 19. docet, quòd, licèt Pater alio sit Pater, alio Filius

Filius

Filius tamē: quia vterq; eodē exiſtit, & veritas nō fūdatur ſuper rationem Paternitatis, & Filiationis, vt ſic, ſed ſuper rationē entitatis, quæ in vtroque eſt eadem, ideò in vtroq; tantùm eſt vna veritas prima, & æterna, & ibidē in ſolutione ad 20. ait, quod licèt Humanitas, & riſibilitas dicant diuerſas veritates: quia habent diuerſa eſſe, tamèn Paternitas, & Filiatio tantùm habent vnam veritatem: quia tantū habent vnum eſſe, & in 1. d. 19. Quæſt. 5. Art. 3. ad 1. & Ad Anibal. ibidem Quæſt. vnica Art. 2. ad vltimum idem repetit, & ſubdit, quod, licèt, Res: quia eſt cōmunis abſoluto, & relatiuo, multiplicetur in diuinis, & ab æterno fuerint plures Res: quia fuerunt plures Perſonæ, tamèn ab æterno non fuerunt plura vera: quia verum eſt eſſentiale.

Secūndò Arguitur ratione D. Th. In diuinis ſolùm realitèr multiplicantur ea, quæ ſecundum ſuam formalem rationem, & ſecundum ſuum ſpecialem, & diſtinctum conceptum important relationes oppoſitas, ſed veritas non ſic importat illam, Ergò.

Dixi in maiori. Secundum ſuam formalem rationem: quia Deitas de materiali importat relationes, vel Perſonas, quæ materialitèr idētificantur, cum illa, vt in ſimili diximus Quæſtione præcedenti Art. 4. & tamèn Deitas non multiplicatur: quia formale ſignificatum eius non eſt relatio alteri oppoſita. Rurſus dixi, ſecundum conceptum diſtinctum: quia forma Hypoſtatica multiplicatur: quia, licèt ſecundū conceptum confuſum non concipiatur, vt relatio, importat tamèn illam ſi diſtinctæ concipiatur, vt dicemus Quæſt. 40. Art. 2. & idem eſt de re, & vnitate, quæ, ſi quandò multiplicantur, concipiantur diſtinctè, important relationes. Quibus ſuppoſitis Mai. patet ex illo communi principio. In diuinis omnia ſunt vnum, vbi non obiat relationis oppoſitio. Min. etiam patet: Nàm veritas, non eſt terminus Synonimus, cum aliquo relatiuo: de formali enim ſignificat adæquationē intellectus cum re, vel rei cum intellectu, quæ nō eſt relatio Perſonalis alteri oppoſita. 3.

Dices de formali ſignificare non ſolam illam adæquationem, ſed rem cum illa adæquatione, & ideò poſſe multiplicari in diuinis, ſicut multiplicantur res.

Sed contra hoc ſit 3. Argumentum. Veritas Dei non fundatur ſuper realitate, ſed ſuper entitate, vt dicit ordinem ad eſſe, hæc autèm in diuinis tantùm eſt vna, vt dictum eſt, Ergò, & veritas eſt tātùm vna, & non tres Conſequentia patet. Quia vt dictum eſt, ad multiplicationem illius requirebatur multiplicatio formæ importatæ per tale nomen, ſcilicèt entitatis, vt eſt principium eſſendi. Maiorem

verò

verò docet D. Th. in 1. dist. 19. Quæst. 5. Art. 1. & probat eam dupliciter.

Primò: quia ideò Hylar. 5. de Trinitate ante medium, & Auicenna tractatu 7. meth. Cap. 1. diffiniunt verum per ordinem ad esse.

Secundò: quia veritas est in 2. operatione intellectus, & non in prima: quia prima respicit realitatem absolutè, vt est forma simplex sine ordine ad esse. Secunda verò operatio respicit essentiam, vt componibilē cum esse, & veritas sumitur in ordine ad esse quatenus accipit esse rei sicut est, & quia hoc reperitur formalitèr in secūda operatione intellectus, causalitèr autèm in rebus, ideo veritas prius reperitur in secunda operatione intellectus, quam in prima.

Quartò. Eodem modo res se habet ad veritatem, sicut se habet ad esse, sed in Deo tantùm est vnum esse absolutum, & non tria relatiua, Ergò ibi tantum est vna veritas absoluta, & non tres relatiuæ. Min. explicata est suprà. Mai. verò est Arist. 2. meth. tex. 4. & D. Thom. in 1. vbi suprà, & in Art. 2. vbi probat eam: quia sicut Deus est, primū esse, & suum esse, & omnia habent esse ab illo, ità ipse est prima veritas, & ipsa veritas iuxtà illud Ioann. 14. Ego sum veritas, Et omnia habent veritatem ab illo, vt ab efficienti, & exemplari, & propterea ea, quorum esse habet causam, & est mutabile, etiam eorum veritas habet causam, & est mutabilis.

Vltimò. Si relationes diuinæ essent tres veritates in diuinis darentur tres primæ veritates, sed hoc non est admittendam: quia alias essēt tres Dij, sicut essent tres Dij, si darentur tria prima esse, Ergò. Sequella probatur: Veritas relationis diuinæ non est causata, Ergò prima: Nàm omnis veritas, quæ non est secunda, neq; causata, est prima, sicut est primum ens, quod non est ens causatum.

Explicatur hoc, illæ tres relationes sunt tres veritates, & non tres veritates secundæ, & causatæ, Ergò tres veritates non causatæ, & non secundæ, Ergò tres veritates primæ, & incausatæ.

Dices cum Suarez, quod in re sunt vna veritas prima: quia sunt vna Deitas, vt autem sunt distinctæ ratione ab essentia, & realitèr inter se sunt tres veritates non tamèn imperfectæ, & ideò, nec secundæ: quia includunt totam perfectionem essentiæ, quæ est veritas prima, licèt non includant illam secundum conceptum præcisum, quem superaddunt essentiæ.

Sed contra hoc est, quod suprà Quæst. 28. Art. 2. dub. 4. Conclusione 2. diximus relationes non posse præcindi ab essentia, & secundò: quia, si id, quod quælibet relatio explicat super rationem essentiæ, habet

bet propriam rationem veritatis distinctæ ab eo, quod explicant aliæ relationes, negari non potest in Deo esse tres veritates realitèr distinctas, sicut in eo sunt tres res realitèr distinctæ: quia id, quod quælibet relatio explicat super rationem esentiæ, licèt formalitèr includat realitatem esentię, & identificetur illi, habet tamèn propriam rationem realitatis realitèr distinctæ à realitatibus aliarum, & tunc de talibus veritatibus secundum illam formalitatem inquirimus AN SINT PRIMAE, VEL SECVNDAE. Secundæ esse nequeunt, aliàs enim essent Creatæ, & imperfectæ, Nec verò possunt esse primæ: quia licèt in genere relatiuo dentur tria prima negatiuè, id est, tres relationes, quibus nihil est prius, tamèn in genere absoluto, id non potest concedi: quia vt diximus Quæst. 27. Art. 3. dub. 1. ex hoc, quod dentur tres primæ, & infinitæ relationes, non sequitur vnam esse priorem alia, nequè includere, quod includit alia, sicut id sequitur de absolutis, & ideò absoluta prima, & infinita nequeunt multiplicari: dictum autē est veritatem esse absolutam, Ergò.

Ex his patet ad Argumenta Suarez. Ad primum enim Respondeo in illo testimonio solum significari veritatem conuenire Filio: quia est verus Deus, non quod conueniat ratione Filiationis.

Ad 2. D.Th. de Veritate, vbi suprà. Respondet, omnium istorum Pater generat, Filius generatur, & secundum rem tantùm esse vnam veritatem primam: quia veritas non fundatur super relationem, sed suprà entitatem, quæ in diuinis est tantùm vna, & ideò eadem veritate Pater est verus Deus, & verus Pater, & similitèr Filius, sicut eodem esse, exist t verus Deus, & verus Pater, & verus Filius, & sicut Pater, & Filius non differunt in ratione Deitatis, sed in modo habendi illam à se, vel à Patre, ità non differunt in veritate, sed in modo habendi illam: quia Pater habet illam à se, Filius verò habet eam à Patre, sicut ab eo habet essentiam.

Ad tertium Respondeo: Veritatem transcendentalem dicere entitatem, vt est principiū essendi conformabilisq; cum intellectu, vel vero iuditio, & quia talis entitas in Deo tantùm est vna, vt dictum est, ideò in eo tantùm est vna veritas.

Ad Cæteras partes eiusdem confirmationis diximus Quæst. 28. Art. 2. dub. 4. vbi ostendimus in Deo tantùm esse vnam perfectionem bonitatem, & infinitatem, & non tres, etiam relatiuas, Idemq; dicendum est de ratione increati, & immensi, quod tantùm est vna, vt habetur in Symbolo Athan. & ratio est: quia ratio increati respicit esse, sicut, & ratio creati, & in Deo tantùm est vnum esse, similitèr ratio

immensi

im menſi abſoluta conueniens Perſonis diuinis non ex proprijs Ad, ſed ratione eſsentiæ, quam includũt; & in diuinis non multiplicantur, quæ ſunt abſoluta, & conueniunt ratione ſolius eſsentiæ, vt ſic.

QVibus ſuppoſitis. Ad confirmationem tertij nego Sequellam: Ad probationem nego Antecedens: Nàm iſta prædicata ſunt abſoluta, & cõueniunt Perſonis ratione eſſentiæ, & non ratione ipſius Ad, & ideò non debent multiplicari. Ad probationem verò Sequellam Nego: quia Arguitur ab affirmatiua ad negatiuam cum reduplicatione, quæ non eſt bona Conſequentia, vt, non valet, Petrus per ſe nõ eſt albus, & Petrus eſt, & non album eſt, Ergò Petrus eſt per ſe non albus, & ità argumentamur in probatione illius Conſequentiæ, cum inferimus, Ergò, vt ſic, non eſt vera &c.

Ad 4. Concedo Sequellã pro prima parte, quod ſcilicèt in Deo ſint plures vnitates, ità concedunt Concil. Remen. ſub Eugenio III. & Ber. 5. de conſideratione quorum Verba ſunt. Credimus &c. nec aliquas omninò res &c. vel vnitates dicantur ſiuè ſingularitates adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint ipſe Deus. Idem habent Anſel. lib. de Incarnatione Cap. 3. Damaſ. lib. 1. de fide Cap. 11. & lib. 3. Cap. 5. & D.Th. de Potentia Quæſt. 9. Art. 4. ad 14. & Art. 5. ad 4. & hic. Cuius ratio eſt: Quia ratio vnitatis eſt communis etiam relationibus non ſolùm ratione eſsentiæ, ſed etiam ſecundũ AD. ſibi propria quæ in diuinis multiplicantur.

Confirmatur. In Deo, Teſte Hylar. 4. de Trinitate eſt pluralitas; Ergò, & plures vnitates. Secundò in diuinis Perſonis eſt numerus trãſcendens, vt habet D. Th. hic ad 4. & Art. 2. ad 5. & Art. 3. Ergò etiã ſunt plures vnitates: quia omnis numerus cõſtat ex illis. Vltimo: quia vnitas eſt realitas indiuiſa in ſe, & diuiſa à qualibet alia, ſed tres Perſonæ ſunt tres realitates, quarum quælibet eſt indiuiſa in ſe, & diuiſa à qualibet alia, Ergò.

De ſecunda autem parte eiuſdem ſequellę ſcilicèt. Vtrum in Deo ſint plura indiuidua maior dubitatio eſt, Negant illud Suarez lib. 3. de Trinitate Cap. 7. & alij: quia exiſtimant ita docere Aug. loco citato, & quia indiuiduum de formali ſignificat naturam, ſed hæc non multiplicatur in diuinis, Ergò nec multiplicantur indiuidua. Mai. probant: Quia Homo de formali ſignificat naturam, Ergò & indiuiduum: quia, ſicut nomen ſpeciei ſe habet ad ſignificandam naturam, ità nomen indiuidui, ſe habet ad ſignificandam eamdem naturam, vt determinatam.

Con-

Confirmatur: quia indiuiduum constituitur formalitèr per naturam singularem, quæ in diuinis, non potest multiplicari, Ergò, neq; indiuidua, probò Consequentiam: quia constituta nequeunt multiplicari, nisi multiplicentur sua propria constitutiua.

Sed cõtra hoc est, quòd in diuinis cùm sint tres Personæ debent esse tres substantiæ indiuiduæ rationalis naturæ, & per consequens tria indiuidua: Nàm indiuidua substantia, & indiuiduum sunt idem, & ab eodem habent indiuiduationem, & multiplicationem.

Secundò. Teste D.Thom. Quæst.4. de Trinitate Art.2. ad 3. & in 4. dist.12. Quæst.1. Art.3. ad 3. Indiuiduum est, quòd est indiuiduum in se, & diuisum à quolibet alio, sed tres Personæ diuinæ, sunt tres res, quarum quælibet est indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio, Ergò tria indiuidua.

Tertiò. Indiuiduum constituitur in ratione indiuidui, non per naturam, sed per sua principia indiuiduantia, vt sic, sed indiuinis Personis sunt tria principia indiuiduantia, vt sic, scilicèt tres relationes Personales, Ergò. Mai. patet: Nàm Christus absolutè est vnum indiuiduum, & tamèn habet duas naturas, Ergò indiuiduum non constituitur per naturam. Probo Consequentiam: quia tunc dicendo Christum esse vnum indiuiduũ, significaretur tantùm habere vnam naturam, qua constitueretur in ratione indiuidui: quia illud nomen Vnum. numeraret naturam, quæ esset constitutiua indiuidui.

Quartò. In diuinis dantur tres vnitates numericæ, & Personales, & tres singularitates, vt diximus ex Concilio Rhemensi, & Ber. Ergò dantur etiam tria constitutiua trium indiuiduorum, & per consequens tria indiuidua. Consequentia patet, quia, si pluralitates, & vnitates numericæ, & Personales sunt idem, quòd vnitates indiuiduales, non enim est, Cur indiuiduum significet naturam de formali potius, quàm suppositum, aut singulare, quæ de formali significant suppositalitatem, & principium singularizans, dicendùm, Ergò est, quòd teste D.Thom. hic Art.4., datur duplex indiuiduum, alterum ex parte naturæ, vt aliquis Homo, alterum ex parte modi existendi, vt Persona, vel suppositum, & quia indiuiduum absolutè sumptum, est superius istis, & commune absoluto, & relatiuo. Ideò, licèt indiuinis non detur nisi vnum indiuiduum ex parte naturæ, scilicèt indiuiduum Deitatis, tamèn non est, cur negetur dari tria indiuidua ex parte modi essendi: quia dantur tres Personę, & tres indiuidua diuersarum relationum, Neq; verò Aug. negat in Deo tria indiuidua, sed tantùm negat dari in Deo indiuidua, sicut in natura humana scilicèt cum

diuisione naturę: Nàm tria indiuidua diuina, habent vnam essentiam indiuisam.

Ad Argumentum verò in contrarium Nego Mai. Ad probationem Nego consequentiam: quia proportio seruatur in hoc, quòd vtrumq; de formali significat suum constitutiuum; & quia constitutiua diuersorum indiuiduorum, non necessariò debent esse diuersę naturæ, sed possunt esse diuersę proprietatis in eadem natura, ideò, quandò multiplicamus indiuidua in diuinis, multiplicamus proprietatem, & non naturam. Et per hęc patet ad Confirmationem.

His suppositis. Ad quartum principale, Concedo Consequentiam, & nego minorem. Ad probationem concedo illas vnitates esse numericas, & personales, & tres Personas, esse tria indiuidua Personalia; neq; Aug. contrarium sentit, vt explicatum est.

Ad quintum. Aegidius in 1. dist. 24. negat, in Deo esse aliquem numerum, et iam transcendentalem. Sed Respondetur. Distinguo consequens. Numerus prædicamentalis, qui fit ex diuisione continui nego Consequentiam Numerus transcendentalis, qui est pluralitas, vel multitudo vnitatum sine aliqua quantitate; Concedo Consequentiam. Nàm primæ Ioan. 5. dicitur. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo &c. Tres verò, numerum importat, & in Concil. Tolet. XI. in confessione fidei dicitur; in relatione Personarum numerus cernitur Idem habent Aug. 7. de Trin. Cap. 5., & 6. Damas. 3. de fide Cap. 5. Bernar. 5. de consideratione D. Thom. hic ad 4. & Art. 2. ad 5. & Art. 3. & DD. communitèr.

Ad primam verò probationem in cõtrarium Respondeo. Illis testimonijs, solùm negari numerum in essentia, non in Personis, vel negari numerum, cuius vnitates sint ita realitèr distinctæ, vt nullam habeant realem identitatem absolutam inter se; Ità D. Thom. in 1. dist. 24. Quæst. 1. Art. 2. ad 1. & ideò Bern. vbi suprà; dixit Habes quid numeres, & quid non numeres substantia, vna est, Personæ tres sunt.

Ad secundam probationem D. Thom. ibidem ad 3. & 4. & Quæst. 4. Art. 1. ad 2. ait, compositionem reperiri in numero simplici, & absoluto, idest, numerante Nàm ternarius est magis compositus, quàm binarius, non verò necessariò reperiri in numero numerato, quandò res numeratæ, sunt relationes diuinæ: quia illæ non componunt cum essentia: quia identificantur illi, & habẽt idem omninò esse cum illa; nec cum subiecto, in quo sunt: quia vt dicitur hic ad tertiũ prædicantur de illo, vt ad alterum; quòd autem componit cum aliquo, dicitur

in ordine ad illud, nec tamdem componunt inter se: quia distinguuntur inter se realitèr, compositio autem, non est ex distinctis, vt manent distincta, sed vnita. Vide de hoc D. Thom. de Potentia Quæst. 9. Art. 5. ad 15. & 19.

Ad tertiam probationem D. Thom. in 1. vbi suprà, & hic Art. 2. ad 5. ait, numerum simplicem, idest, numerantem, mensurari per vnum; quia dicit multitudinem, quæ est minus certa, quàm numerus, non verò mensurari per illũ numerum numeratum rerum immensatum, (quales sunt Personæ diuinæ) Illæ enim nequeunt per vnã mensurari; quia eadem est magnitudo vnius, & omnium Personarum, & idem non mensuratur per idem.

Ad quartam probationẽ bona est solutio ibi assignata, quæ est D. Thom. hic ad 4. Illã tamen non admittunt Vazq. hic, & Suarez lib. 1. de Trin. Cap. 10. quia inquiunt, per numerum simplicem intelligit D. Thom. numerum secundum suam essentiam, & per numerum, qui est in rebus intelligit numerum determinatum ad aliquam specialem naturam, quòd autem conuenit numero secundum suam essentiam, conuenit illi in quacumq; natura sit, & ideò ipsi respondent ex Gabr. in 1. dist. 24. Quæst. 2. Art. 3. In quolibet numero esse totum, & partes maius, & minus secundum extensionem, & quantitatem discretam, non verò secundum intensionem, quam vocant quantitatem molis. Quo supposito dicunt, quod licèt in Deo detur totum, & pars, maius, & minus secundum quantitatem discretam: quia tres Personæ sunt plures, quàm vna, & totum respectu illius, tamen secundum perfectionem intensiuam tres Personæ non sunt aliquid totum, respectu vnius, sicut partis, neq; aliquid maius illa: quia habent eamdem perfectionem. Et inter arguendum ostendimus in vna vnitate posse esse tantam perfectionem, sicut in toto numero, sed quicquid sit de hoc D. Thom. per numerum simplicem, & absolutum, non intelligit numerũ secundum suam essentiam, Sed numerum numerantem, quo certificamur de summa alicuius multitudinis, & per numerum in rebus intelligit numerum numeratum, scilicèt res, de quarum summa certificamur. Patet hoc ex solutione ad 4. hic, & 8. methaph. lect. 3. & de Potentia Quæst. 9. Art. 5. ad 6. vbi numerum, quo numeramus, vocat numerum absolutum.

QVo supposito. Bona est solutio assignata ad quartam probationem. Et Ad. primam replicam, Nego Antecedens: Nàm numerus simplex, vel numerans, non est quid esentialitèr superius ad

numeratum, sed extrinsecus rebus numeratis, & ideò non oportet, vt quòd conuenit numero absoluto, & numeranti, conueniat numerato Nàm binarius horarum numerans, est discretus, & tamèn res numeratæ sunt continuæ, & ideò totum, & pars, maius, & minus, quæ reperiuntur in numero absoluto, & numerante, non necessariò debent reperiri in omni numero numerato, nisi res numeratæ dicant finitam, & diuersam perfectionem: Nàm tunc omnes simul sunt quid maius, & quoddam totum respectu singularum.


Ad secundam replicam, Respondeo D. Thom. loqui de maiori perfectione intensiua; Illa enim, necessariò reperitur in omni numero numerato constante ex rebus creatis, Secus verò, quādò constat ex rebus increatis, vel vna creata, & altera increata, tunc enim, cum quælibet res increata, includat totam perfectionem aliarum rerum creatarum, vel increatarum, illa non potest esse pars totius perfectionis, quæ reperitur in integro numero, & quia numerus Personarum diuinarum constat ex rebus increatis, ideò bene dixit D. Thom. in eo non esse totum, & partem, maius, & minus, Et eadem ratione in 1. dist. 19. Quæst. 4. Art. 1. ad 3. docuit, Patrem non esse aliquid Trinitatis, idest, partem essentiæ, & perfectionem illius: quia includit totam perfectionem, & essentiam eius, subdit tamèn, quòd est pars Trinitatis secundum rationem, idest, quòd numerus numerans, qui est in ratione constat partialitèr ex illius vnitate, quòd latius explicat in isto sensu in 1. ad Anibal, dist. 19. Quæst. 4. Art. 1. ad 2.

ARTICVLVS II.

An in Deo sint plures Personæ, quam tres.

Conclusio est negatiua.

Dubitatur An Doctrina Articuli sit vera.



VIDETVR quod non. Primò: quia in scriptura, licèt dicatur, Personas esse tres, non tamèn dicitur esse tantùm tres, Ergò non erit contra fidem, asserere esse plus, quàm tres.

Secundò Arguitur contra id, quòd D. Thom. ait Perso-

nas diuinas solùm distinctas realitèr ratione oppositionis relatiuæ; Nàm Spiritus Sāctus (teste D. Thom. hic) per processionem distinguitur realitèr à Patre, & Filio, & tamèn non opponitur relatiuè illis, sed spirationi, Ergò non sola oppositio relatiua distinguit realitèr Personas.

Tertiò D. Thom. ait, quòd si processio conueniret Patri, aut Filio generatio prodiret ex processione amoris, Hoc autē videtur falsum: Nàm, licèt Filius prius ratione productus per intellectum, posterius ratione prodiret alio modo per voluntatem, non sequitur, quòd processio eius per intellectum, prodeat ex processione amoris, & voluntatis, sed quòd eadem Persona bis producatur, semel per intellectum, & secundò per voluntatem, Ergò.

Sed contra est auctoritas D. Thom.

IN hoc dubio Arrius sentiens Deum ad intra producere multa Verba, tenebatur dicere esse in Deo plures Personas, quam tres: quia Verbum est Persona diuina. Ita refert Athan. in decretis Synodi Niceni contra Arrium.

Secundò Vallez lib. de Sacra Phylos. Cap. 70. admittit in Deo numerum quaternarium.

Tertiò Valentinus docuit in Deo tantùm esse duas Personas, scilicèt Patrem, & Filium, quem dicebat esse Spiritum Sanctum, & ita illum versum. Gloria Patri &c. sic canebat. Gloria Patri, & Filio Spiritui Sancto, quasi Filius etiam esset Spiritus Sanctus. Ita referunt Prateolus Verbo Anteluterani, & Vigilius Papa Epist. ad Enterium Cap. 2.

Quartò. Quia in Boemia, Quidam non admittebant in Deo tres Personas, vnde dicebant Trinitatem esse cancerberum tricipitem. ita refert Prateolus Verbo PAVLVS CAMOSETANVS.

Alij alitèr errabant.

Omissis tamèn his, & alijs, quæ diximus Art. 1. & quæ dicemus Quæst. 31. Art. 1. Veritas fidei est, In diuinis esse tres Personas, nec plures, nec pautiores.

Prima pas huius Conclusionis patet ex illo Math. vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancti, & Ioan. 14. Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit Vobis, & primæ Ioan. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, Alia testimonia scripturæ, & Conciliorum referunt DD. relati Art. 1.

Ex quo sequitur secunda pars, scilicèt Personas Trinitatis, non esse pauciores quam tres.

Secunda verò, quòd non sint plures, quàm tres, diffinitur in Concilio Lateran. & refertur in Cap. Damnamus, vbi diffinitur in Deo esse Trinitatem, & non quaternitatem, quæ tamèn esset, si Personæ Trinitatis, essent plures quam tres.

Confirmatur. Quia si Persone essent plures, æqualitèr nobis proponerentur, atq; Pater Filius, & Spiritus Sanctus.

Confirmatur. De fide est solùm Filium semel fuisse Incarnatum, & non Patrem, nec Spiritum Sanctum, & tamèn exclusiua hæc, non habetur expræsè in scriptura, sed in ea dicitur, Filium esse Incarnatum, ex quo colligitur, quòd si Pater, & Spiritus Sanctus, vel Filius fuisset secundò Incarnatus, id non siluisset Sacra Scriptura, Ergò etiam, si in Concilijs, non fuisset diffinitum Personas Trinitatis esse tantùm tres vel illud non haberetur ex traditione, & fide Ecclesiæ, id sufficientèr colligeretur ex eo, quod Sacra Scriptura tantùm refert tres Personas.

Ex hoc patet ad 1. Ad secundum verò Respondeo dupliciter. Primò ex Cai. hic, scilicèt ad distinctionem realem Personarum, non requiri oppositionem relatiuam formalitèr, sed satis esse oppositionem relatiuam ratione Originis, & quia Spiritus Sanctus isto modo, opponitur Patri, & Filio, cum procedat ab illis, distinguetur realitèr ab eis.

Secundò Respondet Ferrar. 4. Contra Gentiles Cap. 24. scilicèt ad distinctionem realem Personarum, satis esse, vel oppositionem formalem relatiuam, quam habent ea, quæ ad inuicem referuntur, vt Pater, & Filius. Spirator, & spiratus, vel oppositionem relatiuam subiectiuè, idest, quod vni illarum, vt Personæ subsistenti coniungatur altera relatio, per quam formalitèr relatiuè opponatur alteri, & quia Paternitati, & Filiationi, vt sunt Personæ subsistentes, coniungitur spiratio actiua, quę formalitèr relatiuè, opponitur spirationi passiuę, ideò Pater, & Filius distinguuntur realitèr a Spiritu Sancto.

Ad tertiam Respondeo D. Th. vt ipse se explicat solùm intendere, quòd, si processio, vel spiratio passiua, conueniret Patri, & Filio, vel soli Patri, Generatio procederet ex spiratione, & processione amoris: Nā ex illa procederet Pater generans, & per Consequens ex illa etiam procederet generatio actiua, & passiua, vel eius terminus, scilicèt Filius, Non conuenire autèm processionem Filio alia ratione probauit. Quia scilicèt conuenit illi spiratio actiua, cum non sit opposita Filiationi, Ergò non potest competere illi relatio opposita, scilicèt spiratio

tio passiua, vel processio: quia duæ relationes oppositæ, nequeunt conuenire eidem Personæ. Vidè de hoc Caiet. hic.

ARTICVLVS III.

An termini numerales, ponant aliquid in diuinis.

Conclusio.

Termini numerales in diuinis significant illa, de quibus dicunt solam negationem addendo.

DVBITATVR.

An doctrina huius Articuli sit vera.



VIDETVR quòd non. Primò: Nàm termini numerales de formali significant aliquid positiuum, Ergò non addunt solam negationem. Antecedens patet; Nàm Arist. & D. Th. 10. meth. tex. 9. dicunt vnum, & multa opponi contrariè, sed opposita contrariè, sunt positiua, Ergò multitudo, & eius species v. g. Tres, dicunt aliquid positiuum.

Secundò: quia etiam si non opponantur contrariè saltem secundum D. Tho. Infrà Quæst. 11. Art. 2. opponuntur priuatiuè, & hæc priuatio tenet se ex parte vnitatis, Ergo cum priuatio sit respectu formæ positiuæ talis forma positiua, reperietur in multitudine, & ità multitudo, non habet solam negationem, sed aliquid positiuum.

Ad hoc dices dupliciter. Primò Vnitatem teste D. Th. in 1. d. 24. Quæst. 1. Art. 3. ad 2. esse magis positiuam, quàm multitudo: quia multitudo dicit vnam rem non esse aliam, quòd est negatio.

Secundò dices vnum opponi priuatiuè non multitudini, sed diuisioni, & ità multitudo, non importabit aliquid positiuum, ità D. Th.

hic ad 3. & suprà Quæst. 11. Art. 2. ad 4. & de Potentia Quæst. 9. Art. 7. ad 15. & 10. meth. lect. 3.

Sed contra primum est. Quia aliàs, idem esset dicere in Deo esse tres Personas, & esse centum, & vtrumquè esset, æqualitèr verum: quia per vtrumq; solùm significaretur, vnam personam non esse aliam, & ità per numerum ternarium, non certificaremus de summa diuersarum personarum.

Contra secundum verò est, quòd Arist. 10. meth. Cap. 3. dixit, vnũ & multa opponi, sicut diuisum, & indiuisum, & multitudinẽ esse idem cum diuisione, Ergò, si diuisio dicit formam positiuam, eamdem dicet multitudo, cuius priuationem importabit vnitas.

Tertiò Arguitur: Nàm aliàs, Vnum, & multa non opponentur, Sed hoc est apertè falsum, Ergò: Sequella patet. Vnitas opponitur diuisioni plurium rerum inter se, Ergo, si multitudo non dicit hanc positiuam diuisionem, sed solùm illas res, de quibus dicitur cum indiuisione cuiuslibet earum, quæ est quædam priuatio, non opponentur priuatiuè.

Quartò. Vnitas est negatio, vel priuatio alicuius negationis, Ergò est aliquid positiuum. Antecedens est D. Th. suprà Quæst. 11. Art. 2. ad 4. & de Potentia Quæst. 9. Art. 7. vbi ait, diuisionem esse negationem, qua vna res dicitur non esse aliam, & in hoc Art. ait, Vnitatem esse priuationem, vel negationem talis negationis. Consequentia verò probatur: quia duæ negationes affirmant, & ponunt aliquid positiuum, vt si duas. NON NON HOMO. dices aliquid positiuum, Ergò negatio negationis (qualis est vnitas) dicet aliquid positiuum.

Quinto Arguitur contra rationem D. Th. hic ad 3. dicentis, quòd, quia vnum est prius multitudine, ideò non est priuatiuum illius: quia habitus est prior priuatione.

Contra hoc verò sic Arguitur. Vnum ex natura sua est prius diuisione, Ergò eadem ratione, non erit priuatiuum illius, cuius contrarium ait D. Th. hic ad tertium.

Sed contra est auctoritas D. Th.

IN hoc dubio prætèr diuersos modos dicendi, quos refert D. Tho. in 1. d. 24. Quæst. 1. Art. 3. & de Potentia Quæst. 9. Art. 7. sunt tres sententiæ.

Prima est. Nominibus numeralibus nihil poni diuisionibus, sed solùm remoueri opposita, vt si dicas. DEVS EST VNVS Signifi-

catur

catur illum non esse multos, & quandò dicitur Personas esse tres, significatur, quòd non sint tantùm vna. Ità Mag. in 1.d.24.

Secunda est. Istos terminos dicere aliquid positiuum in Deo de vnitate, Id asserunt Alexan. 1. p. Quæst. 13. memb. 1. & 2. Bonau. in 1. dist. 24. Art. 1. Quæst. 1. Scotus 4. meth. Quæst. 4. & alij. De multitudine verò esse positiuam, tenent Dur. in 1.d.24. Quæst. 1. & Vazq. hic disp. 128. & 129.

Tertia est. Hæc nomina super res, quibus adduntur solùm significare priuationem diuisionis, vt si dicas DEVS EST VNVS. Vnitas significat realitatem Dei, vt indiuisam in ratione Deitatis, & si dicas PERSONAE SVNT TRES, Ille terminus TRES, significat ipsas realitates Personarum, vt quælibet earum, est indiuisa in se, & diuisa à quacumq; alia, ità D.Th. hic, Caiet. Torres &c.

De quo, solet latius disputari suprà Quæst. 11. Art. 1. & 2. Et ideò suppositis, quæ ibi dicuntur.

Pro explicatione doctrinæ D.Th.

AD primum. Nego Antecedens. Ad probationem Respondeo, quòd: quia contraria dicũt formas oppositas, & vnum, & multa, prætèr negationes, dicũt realitatem positiuam ex parte materialis, cui adduntur, ideò dicũtur esse veluti contraria, vt ait D. Th. quia habent hanc conditionem contrariorum, vt ponant aliquid positiuum saltem ex parte materialis.

Ad secundum Respondeo duplicitèr. Primò Vnitatem non esse priuationem formæ positiuæ, sed negatiuæ, vel priuationis, & ideò, licèt sit priuatio multitudinis, non sequitur multitudinem esse positiuam. Declarat hoc D.Th. Quodlibet 10. Art. 1. ad 3. & in 1. dist. 24. Quæst. 1. Art. 3. ad 1. & ad Anibal. ibidem Art. 2. & 10. meth. lect. 4. dicens, multitudinem includere talem distinctionem rerum, vt vna nõ sit alia, & quia hæc est negatio, ideò multitudo includit negationem prædictam. Et rursus. Quia vnitas significat ens, quòd non est diuisum talitèr, vt in eo sit accipere hoc, & non hoc, ideò negatio inclusa in vnitate, est negatio negationis, & ideò, licèt dicat priuationem multitudinis, non dicit priuationem forma positiuè.

Secundò Respondeo: Vtramquè solutionem assignatam esse bonam, & ratio primæ solutionis est: quia licèt vnitas, & multitudo dicant priuationem, tamèn teste D. Th. in 1. vbi suprà ad 2. multitudo dicit negationem realem; vnitas verò dicit negationem rationis, &

Rursus,

Rursus, multitudo teste eodem D. Th. de Potentia Quæst. 9. Art. 7. includit duas negationes, vnitas verò solùm vnam, & quia est magis negatiuum, quòd includit duas negationes, vel negationem realem, quã quod includit vnam tantùm negationem, & illam rationis. Ideò multitudo est magis negatiua, quàm vnitas.

Declaratur Vtrumq; ex D. Th. Primum: Quia multitudo esse nequit nisi, vbi sunt diuersæ res realitèr distinctæ, vt rem à re vnitas, verò potest esse, etiam si non sit alia res: quia tunc talis res, ità est ipsa, quòd non est non ipsa, neq; aliquid distinctum ab illa, & ità potest esse vnitas, etiam si non sit negatio alterius rei realis, quæ negetur, multitudo verò esse non potest, nisi vbi sit alia res realis, quæ negetur, & ità vnitas solùm, dicit negationem rationis, multitudo verò negationem realem.

Secũdum etiam declaratur: quia multitudo dicit diuersas res, quarum quælibet non est diuersa in se. Ecce vnam negationem, & ità est distincta ab alia, quòd realitèr non est alia. Ecce secundam negationem: vnitas verò solùm dicit, quòd ità sit indiuisa in se, quòd ipsa non sit multiplex, vbi tantùm importatur vna negatio.

His suppositis.

AD Argumentum Vazq. contra primam solutionem. Nego Sequellam: quia multitudo, non solùm dicit negationem vnitatis, sed ipsas res distinctas, cum hac negatione, quòd vna non sit alia, & ità dicere Personas esse 100. non est dicere illas non esse vnam, sed esse 100. talitèr, quod nulla sit alia: non est autèm idem dicere illas esse 100. talitèr, quod nulla sit alia, & dicere illas esse tres talitèr, quòd nulla sit alia.

Ad Argumentum verò contra secundam solutionem Respondeo multitudinem, & diuisionem differre duplicitèr.

Primò: Quia multitudo nequit esse, nisi sit realis diuisio diuersarũ rerum, quarum quælibet realitèr non sit alia, vnitas autèm potest esse per solam diuisionem rationis, secundum affirmationem, & negationem: quia scilicèt res, ità est ipsa, quòd non est non ipsa, vbi reperitur diuisio secundum rationem.

Secundò: Quia multitudo supponit istam diuisionem: quia componitur ex vnitatibus, quarum quælibet includit prædictam diuisionem, vt dictum est: licèt enim aliqua intelligantur diuisa, non tamèn intelligitur multitudo, nisi quodlibet eorum intelligatur, vt vnum, in quo includitur diuisio.


Hoc

HOc supposito. Ad Argumentum contra secundam solutionem Respondeo, quòd, licèt multitudo, & vnum opponantur, sicut diuisum, & indiuisum non indè sequitur, quòd sint vnum, sed quòd multitudo includat diuisionem, sed, quia pręterea dicit realem distinctionem partium, quam non dicit diuisio, ideò non sunt idem.

Ad tertiam. Nego sequellam. Ad probationem nego Antecedens: Nàm vnitas non opponitur multitudini, vt dicit realem distinctionem, sed vt dicit diuisionem modo explicato, & ratione illius, sunt opposita, Vnum, & multa.

Ad quartam. Nego Consequentiam: Nàm non mortuus, non increatus, nihil positiuum ponūt, licèt enim duæ negationes afficientes copulam verbalem, affirment illam: tamèn simplex negatio alterius priuationis, vel negationis, nihil positiuum dicit necessario. Dico necessario. Nàm iste terminus. NON NIHIL, dicit aliquid positiuum, sed proptèr specialem rationem: quia scilicèt est contradictorius nihili, cui solum contradicit ens positiuum. Vnum verò: quia ponit positiuum subiectum, cui aduenit indiuisio, nō contradicit multitudini, aut diuisioni, sed priuant illa, & ideò, licèt sit priuatio negationis, vel priuationis inclusæ in diuisione, vel multitudine, non necessariò debet dicere aliquid positiuum, vt patet in exemplis adductis.

Ad quintam. Quo Suarez disp. 4. methaph. sect. 1. num. 21. reijcit rationem D. Thom., Nego Antecedens: Nàm, vt diximus ex D. Th. de Potentia Quæst. 9. Art. 7. ad 15. & 10. methaph. vbi suprà, Vnum dicit ens, quòd non diuiditur tali diuisione, vt in eo sit ipsum, & non ipsum. In hoc autèm, quàd dico ipsum, & non ipsum, includitur diuisio, secundum affirmationem, & negationem, quę reperitur in omni ente, & est prior vnitate, Multitudo verò, dicit aggregationē diuersarum rerum, quarum quælibet est vna, & ideò non est eadem ratio, sed vnitas, est prior multitudine, & non prior diuisione.



ARTICV-

ARTICVLVS IV.

An hoc nomen PERSONA, possit esse commune tribus Personis diuinis.

Conclusio est.

Nomen PERSONA est commune tribus Personis diuinis secundum rationem, non sicut Genus, vel Species, sed vt Indiuiduum vagum.

DVBITATVR.

An hoc nomen PERSONA, significet aliquam rationem positiuam realem vniuocam essentialitèr dictam de tribus Personis diuinis.



IDETVR quòd non. Primò, Quia Persona in esse Personæ constituitur negatione, Ergò non significat rationem positiuam, Consequentia patet. Quia significat rationem constitutiuam sui: Antecedens autem patet: quia aliàs, aliqua entitas positiua, scilicèt illa Personalitas constitutiua Personæ, esset in Homnine, quæ non esset assumptibilis à Deo: illa enim esset vltimus terminus naturæ, & per consequens nō posset vlterius terminari, neq; assumi à Deo. Consequens tamèn est contra Damasc. lib. 3. de fide Cap. 6. dicentem Deum assumpsisse omnia, quæ plantauit in humanitate: quia est incurabile, quod est inassumptibile, Ergò.

Confirmatur. Illa entitas positiua haberet potentiam obedientialem æqualitèr cum alijs, sed aliæ entitates positiuæ propter hanc potentiam obedientialem, sunt assumptibiles à Deo, Ergò, & illa esset.

Alia multa Argumenta ad hoc propositum probandum referunt Capreol. in 3. dist. 5. Quæst. 3. contra 2. Conclusionem, & Caiet. 3. p. Quæst. 4. Art. 2.

Secundò probatur; Personam non significare rationem realem; Nàm

Nam ab vltimis constitutiuis, non potest abstrahi conceptus realis obiectiuus, & communis præter transcendentia, sed Personalitates diuinæ sunt vltimi termini essentiæ constitutiui Personarum, Ergò ab illis non potest abstrahi aliqua ratio communis realis, præter transcendentia, inter quæ, non computatur Persona. Mai. patet: quia vltima constitutiua, & distinctiua ità sunt primò diuersa, vt præter transcendentia, non habeant aliquid commune, aliàs, ipsa non essent vltima distinctiua, sed rationem vltimi distinctiui haberent illa, quibus ipsa distinguerentur sub tali ratione communi, vt patet multis differentijs, quæ hac ratione nihil habent commune, nisi transcendentia.

Alia Argumenta adduximus suprà Quæst. 29. Art. 1.

Tertiò probatur Personam non significare rationem vniuocam: Nã ratio vniuoca communis pluribus, abstrahit ab illis, sed ratio Personæ non abstrahit à tribus Personalitatibus diuinis, Ergò. Mai. patet: quia ratio non abstrahens ab inferioribus, includit ea, & ideò est communis eis, non vniuocè, Sed secundum proportionalitatem, quà ratione, ens non est vniuocum cum includat sua inferiora in suo perfecto conceptu. Min. verò patet Argumento facto: quia ab vltimis constitutiuis, & distinctiuis, non abstrahitur ratio communis realis præter transcendentia, sed Personalitates, vt dictum est, sunt vltima distinctiua, & ratio Personæ non est transcendens, Ergò.

Confirmatur dupliciter. Primò Nàm, si daretur talis ratio communis vniuoca, esset processus in infinitum, qui non est admittendus, Ergò. Sequella patet: Nàm, si Personalitates diuinæ conueniunt in aliquo reali, & differunt in alio, ille modus, in quo differunt, poterit etiam concipi, in communi, & in particulari, & per consequens resolui in alios duos conceptus, & ità, vel procedetur in infinitum, vel sistendum erit in primo termino vltimo, & simplicissimo.

Secundò. In Personalitate Patris, vt est à parte rei, vel datur distinctio virtualis duorum graduum, quorum vnus sit proprius illi, & alter communis, vel non. Si primum, Ergò. Illa non est vltimum distinctiuum, & constitutiuum Patris in esse Personæ, distinguit enim, vel constituit illam per talem gradum communem, Si verò detur secundum, cum talis coneptus communis, non habeat fundamentum in re, non poterit vere formari.

Quartò. Probatur rationem Personæ in diuinis, licèt sit vniuoca, non esse essentialem illis, Nàm, licèt significatum Personæ diuinæ, in obliquo, sit essentia diuina, tamen formalitèr, & in recto solum significat substantiam indiuiduam, Sed hæc ratio est denominatiua respe-

ctu trium Personarum diuinarum, Ergò. Consequentia patet; quia eodem modo prædicatur de aliqua re quodlibet nomen, & ratio formalis in recto importata per illud, Ergò. Si ratio formalitèr, & in recto, importata per hoc nomen PERSONA, est denominatiua in diuinis, Etiam ratio Personæ, & nomen eius denominatiuè prædicabitur. Min. verò pro prima parte probatur: Nàm vt ex D. Thom. diximus Quæst. 29. Art. 1. quandò in diffinitione Personæ dicitur, quòd est substantia, Substantia ibi, significat suppositum, vel primam substantiam, quæ solùm denominatiuè dicuntur de singularibus, vt de primo: quia significat id, quod primò substat Accidentibus. Ideò enim prima substantia est maximè substantia: quia maximè substat, substare autem accidentibus, est modus non essentialitèr, sed denominatiuè conueniens singularibus, Ergò.

Pro secunda etiam parte patet eadem Min.: Nàm ratio indiuidui, vel incommunicabilis est, veluti passio cuiuslibet entis singularis, passio autem non est essentialis, sed denominatiua subiecto.

Confirmatur. Ideò aliquis Homo, dicitur denominatiuè de Petro: quia significat modum specialem existendi in ipsum, sed etiam Persona significat modum particularem existendi in natura intellectuali. Ergò dicetur denominatiuè etiam de diuinis, & non essentialitèr.

Quintò. Arguitur contra Conclusionem, & probatur nomen Personæ non significare indiuiduum vagum: Nàm, quòd dicitur indiuiduum vagum, & signatum, non habet rationem indiuidui vagi. Sed Persona sic diuiditur, Ergò. Mai. patet. Nàm diuisum non coincidit cum membro diuidente, aliàs diuideretur inter se, & suum oppositum. Min. verò probatur Nàm dicimus aliqua persona, quod est indiuiduum vagum, & hæc persona, quod est indiuiduum signatum.

Confirmatur duplicitèr. primò: quia aliàs persona esset communis, sicut aliquis Deus cum vtrumq; sit indiuiduum vagum. Consequens est falsum, aliàs, sicut dicemus, aliquas tres personas possemus dicere aliquos tres Deos, quòd est hæreticum, Ergò.

Secundò. Ratio indiuidui vagi, non est incommunicabilis, sed conuenit omnibus suppositis, quibus conuenit ratio specifica: Ratio verò personæ est incommunicabilis, vt patet ex diffinitione tradita Quæst. 29. Art. 1. Ergò ratio personæ, non est ratio indiuidui bagi.

Sed

Sed contra est Conclusio Articuli.

In hoc dubio sunt sex sententiæ.

PRima est. Personam diuinam, solùm dicere negationem communem tribus Personis. ità Scotus quodlib. 19. Art. 3. & in 1. dist. 13. Quæst. 1. & in 3. dist. 1. Quæst. 1. Gabriel in eisdem locis, Aureolus in 1. dist. 23. & 25. & alij.

Secunda est. Hoc nomen, significare rationem positiuam, sed quæ sunt secunda intentio. ità illi, quos retulimus Quæst. 29. Art. 1.

Tertia. Significare rationem realem positiuam secundum rationem communem omnibus Personis diuinis. ità Alens. 1. p. Quæst. 56. memb. 4. Art. 2. Bonauen. in 1. dist. 25. Art. 2. Quæst. 1. & Capræol. ibi, Marsil. Quæst. 28. Art. 2. Conclusione 2. & Caiet. hic, non conuenit autem inter eos, An talis ratio sit vniuoca, & essentialis: Vnde.

Quarta Sententia est. Illam rationem esse Analogam. ità Molina supra Quæst. 28. Art. 4. disp. 2. Vazq. hic disp. 148. Cap. 7. & alij relati à D. Thom. in 1. dist. 25. Quæst. 1. Art. 3. qui dicunt, rationem Personæ immediatè significare tres Personas diuinas Analogicè Analogia proportionalitatis: quia sicut Pater se habet ad suam personalitatem, ità Filius, & Spiritus Sanctus ad suas: Subdit autem Vazq. ibidem, & disputat. 130. Cap. 2. Hanc rationem Personæ, non esse essentialem tribus Personis diuinis, sed accidentalem, & denominatiuam.

Quinta. Istam rationem, neq; esse denominatiuam, neq; essentialem Personis diuinis, sed substantialem: quia dicit aliquid per se pertinens ad substantialem constitutionem earum.

Sexta est. Talem rationem esse vniuocam, & quiditatiuam tribus Personis diuinis, siuè significentur nominibus proprijs, siuè concretis, siuè abstractis, ità, quòd omnes istæ sunt quiditatiuæ. Pater æternus est Persona. Persona Patris, est Persona, Paternitas diuina est Personalitas. Ità Cai. hic, & suprà Quæst. 27. Art. 3. ad 4. & Quæst. 29. Art. 4.

Sed pro explicatione.

DICO PRIMO.

Persona non significat negationem, vel secundam intentionem.

PRima pars ostenditur Latè à Caiet. 3. p. Quæst. 4. Art. 2. Quia Persona significat id, quod est per se primum subiectum essendi, vt ostenditur 3. p. Quæst. 17. Art. 2. & quòd est proprium subiectum Filiationis, vt ostenditur ibidem Quæst. 35. Art. 5. Sed esse primum subiectum essendi, & Filiationis, est aliquid positiuum, non conueniens ratione negationis, sed ratione realitatis positiuæ: quia reale debet esse, quòd constituit rem susceptiuam entis realis, Ergò.

Secundò Persona diuina significat rationem constitutiuam Personæ diuinæ, sed illa est formalitèr aliquid reale, Ergò. Min. probatur duplicitèr. Primò: quia Quæst. 40. ostendetur illas formalitèr constitui per relationes reales. Secundò quia, cum realitèr distinguantur inter se, debent distingui aliquo reali, & non sola negatione, Ergò etiam constitutiuum illarum, est reale: Nàm idem est constitutiuum, & distinctiuum rei.

Secunda Pars Conclusionis probatur eodem modo. Nàm ratio Personæ dicit id, quod est constitutitiuum Personæ secundum se, & vt est subiectum personę primum existentiæ, & Filiationis, sed hoc non habet ens rationis (qualis est secunda intentio) Ergò.

Secundò persona significat relationem, vt subsistentem de quo dixi Quæst. 29. Art. 4. Sed relatio diuina, vt subsistens, neq; est negatio, nec secunda intentio.

Confirmatur: Quia aliàs, in Trinitate solùm multiplicarentur duæ intentiones, & entia rationis, & non res reales, siquidem solùm multiplicantur personę, quarum formalia constitutiua essent entia rationis.

Tertiò: Quia aliàs, Humanitas assumpta à Verbo, esset assumpta ad secundam intentionem, vel negationē qualis esset personalitas Verbi, ad quam immediatè assumpta est. Alia Argumenta. Vide supra Quæst. 29. Art. 1.

Dico secundò. Ratio positiua, & realis communis secundum rationem, quam importat Persona, non est Analoga, respectu diuinarum Personarum, sed vniuoca secundum rationem, quasi genericam respectu illarum.

PRima Conclusionis pars, est D.Thom.in 1.dist. 25. Quæst. 1. Art. 3, & ad Anib. ibidem vbi referens sententiam dicentium, quòd significat rationem Analogam, secundum quam, sicut pater, se habet, vt subsistens in natura diuina, ità se habent Filius, & Spiritus Sanctus impugnat talem modum dicendi, & ait; personam significare vnam rationem communem, sicut ratio Animalis, de Homine, & Asino, est communis. Sed hæc est omninò vniuoca, Ergò.

Secundò Ratio Personæ equalitèr conuenit omnibus diuinis, Ergò non analogicè etiam secundum proportionalitatem. Antecedens cōcedunt Aduersarij: quia aliàs, In illa Persona, de qua per prius diceretur, esset maior perfectio, quam in alijs. Et Consequentia probatur: quia etiam in analogis secundum proportionalitatem, datur vnū mēbrum de quo analogum per prius dicatur, sicut ens per prius dicitur de Deo, quàm de Creaturis, & de substantia, quàm de Accidente, & tamèn respectu eorum, non solùm est analogum proportionis, ad vnū principium, vel subiectum, sed etiam proportionalitatis: quia dicitur formalitèr de omnibus, quæ est conditio istius analogiæ,

Tertiò. Modus incommunicabilitèr, subsistendi, est æqualis, & similis in omnibus Personis diuinis, & potest immediatè intelligi, Ergò datur vnus conceptus, & vna ratio vniuoca, omnibus Personis diuinis.

Antecedens pro prima parte patet: quia in personis diuinis nulla datur inæqualitas, & dissimilitudo, vt ostendetur infrà Quæst. 42. Ar. 1. in Corpore, & ad 2.

Pro secunda etiam parte patet: Nàm ab omnibus omninò, & simplicitèr similibus, & æqualibus, potest abstrahi vnus conceptus repræsentans immediatè, fundamentum talis similitudinis, vt patet in omnibus vniuocis, Ergò. idem erit hic, si isti modi sunt omninò, & simplicitèr similes, & æquales; Consequentia verò probatur. Quia conceptus vniuocus, est, qui repræsentat vnam rationem, omninò æqualem, & similem in suis inferioribus.

Confirmatur. Quia; qua ratione dicitur personam significare im-

mediatè tres diuinas, vt proportionatas inter se, & non significare immediatè vnam rationem superiorem, idem poterit affirmari de omnibus vniuocis, vt de Corpore respectu cælestis, & terrestris, viui, & inanimati, & de qualitate, respectu corporalis, & spiritualis.

Secunda Pars Conclusionis, est etiam D. Th. in eisdem locis, & Aug. 7. de Trinitate Cap. 4. & ratio D. Th. est: Nàm in diuinis, non multiplicantur numerò, quæ dicunt vnam rationem, veluti specificam, sed Personæ multiplicantur numero, Ergò. Mai. probat D. Th. Quia talis multiplicatio est per materiam, quæ repugnat Deo. Hanc rationem explicat latè Caiet. suprà Quæst. 41. Art. 6. vbi D. Th. adducit alias rationes, quibus conuincitur, in diuinis non posse dari plures Personas eiusdem rationis, quasi specificæ, vt plures Patres, plures Filios &c.

Dico tertiò. Ratio importata per hoc nomen PERSONA, prædicatur essentialitèr de qualibet Persona diuina, siuè sumatur sub nomine proprio Patris, Filij, & Spiritus Sancti, siuè sub ratione singularis Personæ, vt si dicas, Hæc Persona, est Persona.

PRima pars probatur. Relatio subsistens essentialitèr dicitur, de Patre diuino, Ergò & ratio Personæ. Antecedens patet: Nàm Pater diuinus essentialitèr est relatiuum subsistens, Ergo essentialitèr est relatio subsistens: in diuinis enim, idem sunt abstractum, & concretum vt Deitas, & Deus, qua ratione D. Th. Infrà Quæst. 40. Art. 2. ait, relationes esse ipsas Personas subsistentes, vt Paternitas est Pater. Consequentia verò probatur: Nàm Quæst. 29. Art. 4. diximus, Personam diuinam, significare relationem subsistentem.

Secundò. Id prædicatur essentialitèr de aliquo singulari, quod pertinet ad eius essentiam, saltem, vt est in illo, sed ratio personæ pertinet ad essentiam Deitatis, saltem, vt est in Patre v.g. Ergò. Mai. patet: Nàm essentialitèr conuenit supposito, quod essentialitèr conuenit naturæ eius saltem, vt est in illo.

Min. verò probatur: Nàm Quæst. 28. Art. 2. dub. 2. ostendimus Personalitates diuinas, quas de formali importat hoc nomē PERSONA essentialitèr pertinere ad essentiam Deitatis saltem, vt modos illius, & in hoc differũt istę propositiones Petrus est Persona, & PATER DIVINVS EST PERSONA: Nàm Petrus, vt dicitur in Art. significat singu-

singulare ex parte Humanitatis, de cuius essentia non sunt conditiones personales,& ideò hæc non est essentialis Petrus est Persona, vel est aliquis Homo, de essentia autèm Deitatis, sunt Personalitates, vt modi,& determinationes eius,& quia eas de formali significat ratio Personæ; Ideò, licèt Pater diuinus significet singulare suppositum naturæ diuinæ, etiam si significet illud ex parte naturæ, hæc erit essentialis PATER DIVINVS EST PERSONA.

Tertiò. Illa est prædicatio essentialis, in qua prædicatum est de essentia alicuius inclusi in subiecto, sed ità se habet Persona in hac. PATER DIVINVS EST PERSONA. Ergò. Mai. patet: Nã istæ propositiones. HOMO ALBVS EST ANIMAL, VEL EST COLORATVR &c. sunt essentiales: quia, licèt prædicata non sint de essentia cuiuslibet partis subiecti: sunt tamèn de essentia alterius partis subiecti. Min. vero probatur: Nàm in Patre diuino includitur essentia, vt connotata,& paternitas, vt subsistens, tamquàm formale significatum: esse autèm Personam: quia dicit modum particularem subsistẽdi, est de essentia Paternitatis personalis,& subsistentis, sicut commune est de essentia sui inferioris,& propterea est etiam de ratione essentiæ connotatæ, vt diximus Quæst. 28. vbi suprà.

Ex hoc sequitur, prædictam prædicationem non esse denominatiuam: quia prædicatio essentialis distinguitur à denominatiua, vt ostẽdit Caiet. in Ante prædicamentis, licèt contrarium opinetur Soto.

Dico quartò. Ratio Personæ prædicatur in quid de tribus Personis diuinis.

CONtrarium huius docuit Capræol. in 1.d.23. Quæst. 1. ad 4. contra 3. quia, inquit, non significat earum quidditatem.

Sed nostra Conclusio est Cai. Quæst. 29. Art. 4.& probatur: Nàm illud prædicatur in quid, per quòd respondetur ad quæstionem factam per quid, Ità habent Arist. 1. Thopi.& Porfirius c. de Genere,& specie, sed teste Aug. 7. de Trin. Cap. 4. quærentibus de diuinis Personis, quid sint 3. benè Respondeo sunt tres Personæ, Ergò.

Secundo probatur. Relatio prædicatur in quid de qualibet persona diuina, quocumque nomine significetur, vt diximus Conclusione præcedenti, Ergò,& Persona, quæ significat ipsam relationem subsistentem.

Ad primum Ergò. Nego Min. Ad probationem Respondetur Da-

mas, loqui de proprietatibus naturæ, vt distinctæ à supposito, Entitas vero positiua constitutiua suppositi non est proprietas, vel conditio naturæ, sed suppositi, & ideo non est assumptibilis.

Ad confirmationem, nego illam entitatem constitutiuam personæ esse in potentia obedientiali, vt assumatur: quia hoc repugnat illi ex eo, quod est vltimus terminus sicut, & materiæ primæ repugnat assumi: quia est in pura potentia.

Ad secundum. Nego maiorem, & eius probationem: Nàm vltimi termini naturæ humanæ conueniunt in ratione vniuoca principij indiuiduantis, vel proprietatis personalis; Nàm, licèt vltimo termino repugnet vlterius terminari in illo genere, in quo est vltimus terminus: non tamèn repugnat ei terminari in alio, v. g. Rationale vltimo terminat Animal, & vt vltima differentia cõstituit Hominem, & ideò non terminat vlterius per aliam differentiam. In alio tamèn genere cõstituitur ex materia, & forma, sicut Homo, & terminatur conditionibus indiuiduantibus, vt punctum in genere quantitatis indiuisibilis secundum latitudinem est vltimus terminus constituens lineam terminatam, & licèt in hoc genere non terminetur vlterius, in alio tamèn determinatur ad esse indiuidui per suas conditiones indiuiduantes.Ità similiter, licet personalitas diuina sit vltimus terminus naturæ diuinæ, & vltimum constitutiuum personæ, ex hoc solùm infertur, quod non terminetur alia personalitate, non tamèn, quòd non constituatur per aliquam rationem positiuam communem, & realem, quæ terminetur per propriam, & specialem rationem, per quam distinguatur ab alijs.

Alitèr Respondet Caiet. suprà Quæst. 29. Art. 4. scilicèt ab vltimis constitutiuis, & distinctiuis, vt sic, non posse abstrahi rationem communem; posse tamèn abstrahi ab illis absolutè sumptis, & sub alia ratione, & ità, licèt Paternitas, vt opposita Filiationi sit vltimum constitutiuum, & distinctiuum Patris, non tamèn id habet sub omni ratione, v. g. vt est relatio, vel forma hypostatica, & ideò sub hac ratione potest habere rationem realem, & superiorem.

Ad Confirmationes ibidem dictum est.

Ad tertium. Nego Min. & ad probationem patet ex solutione. Ad secundum.

Ad primam Confirmationem nego. Sequellam. Ad probationem Respondeo, quod, licèt personalitates conueniant in aliqua ratione veluti generica, & distinguantur in alia veluti specifica: Tamèn, si hæc rursus consideretur in communi, solùm considerabitur secundum eandem

dem rationem communem personæ, & si in particulari considerabitur solùm secundum rationem veluti specificam, & ità non procedetur in infinitum, sed tota consideratio redibit ad rationem veluti genericã, & specificam personæ.

Ad secundam Confirmationem admitto primam partem antecedentis. Ad cuius improbationem nego Sequellam: Nàm ex solutione ad 2. patet, vltimum constitutiuum, & distinctiuum in vno genere posse in alio distingui per aliquid aliud, & ità personalitas diuina, licèt sit vltimum distinctiuum in esse personæ, & vltimum constitutiuũ illius, potest tamèn in sua ratione essentiali, & veluti specifica constitui, vel distingui.

Ad quartũ. Nego Min. Ad probationẽ pro prima parte distinguo Antecedens. In creaturis, Concedo, in diuinis, Nego: Nàm, vt dixi Conclusione tertia. Ratio particularitèr subsistendi, aut substandi essentiæ, eo modo, quo reperitur in Deo, est essentialis Deitati, non verò naturæ creatæ, sicut non est ei essentiale esse in personis, vel, teste D.Th. suprà Quæst.29. Art.3. ad 4. Substantia, vt dicitur de Deo, non sumitur à substare, sed à subsistere, vel existere per sè, quod est de essentia Deitatis, vt dictum est, & non de essentia naturæ creatæ, & ideò non est simile.

Ad probationem pro secũda parte, Respõdeo eodem modo, quod, licèt Humanitati sit accidentale esse in singularibus, tamèn Deitati est id essentiale, vt diximus Quæst.28. Art.2. dub. 2. & ideò in sua ratione includit habere personas, vel personalitates incommunicabiles, & ità, quod ratio personæ dicat aliquid incommunicabile, non tollit, quo minus essentialiter prædicetur de supposito talis naturæ. Et per hæc ad Confirmationem.

Ad quintum, Quo Aureol. in 1. d. 25. Quæst. 1. Art. 2. impugnat Conclusionem Articuli. Respondeo. Supponendo ex hoc Articulo duplex esse singulare vagum.


Primum quòd directè significat naturam, & ex Consequenti significat modum particularem existendi. Vt Quidam Homo.

Secundum verò econtra directè significat particularem modũ existendi, & naturam ex consequenti, vt suppositum, & persona. In primo ille modus particularis designatur vagè per signum particulare, & ideò ei addi non potest signum vlterius illud particularizans. Secundum verò non determinatur per tale signum, & ideò per illud potest vlterius determinari.

HOc supposito. Ad quintum distin. Mai. Indiuidui vagi. Primo modo, Concedo Mai. Secundò modo, nego Mai. Ad probationem nego Min. Nàm indiuiduum primo modo, est, quod per se primo significat aliquam naturam, vel conditionem, & ex consequenti ratione signi particularis denotat specialem modum existendi, & tale indiuiduum vagũ distinguitur à secũdo Quod per se primo significat illum specialem modum existendi, & ideò personam diuidi in aliquã personam, & hanc personam, non est idem, indiuiduum vagum diuidi in se ipsum, & aliud, sed indiuiduum vagum secundo modo, quod per se primo significat specialem modum existẽdi, diuidi in indiuiduũ signatum, & indiuiduum vagum primo modo, quod scilicèt determinatur per signum particulare: hæc autèm sunt membra distincta à diuiso, neq, ex hoc sequitur indiuiduum secundo modo, vt suppositum, esse indiuiduum primo modo, idest, idem quod aliquod suppositum, sed solùm sequitur, indiuiduum, secundo modo magis particularizari per signum aliquod.

Ad primam confirmationem. Nego Sequellam: Nàm, vt dictum est, aliquis Deus, significat directè naturam diuinam, quæ non multiplicatur, & ideò non sunt tres aliqui Dij: persona verò significat directè modum particularem existendi, qui in Deo est distinctus iuxtà distinctionem personarum, & ideò ibi sunt tres personæ.

Ad secundam confirmationem, proptèr quam Dur. in 1. d. 23. Q. 1. negat Conclusionem Art. Respondeo ex D. Tho. suprà Quæst. 29. Art. 1. ad 1. de ratione personæ in singulari esse incommunicabilitatem, vt quod, id est, quod nulla persona singularis sit communis pluribus: de ratione tamẽ personæ incommuni solùm est incommunicabilitas, vt quo, id est, ratio eius est, non quod non possit pluribus communicari, sed quod faciat personas incommunicabiles, sicut ratio primæ substantiæ, vel indiuiduum est esse singularem, vt quo, licèt, sit communis pluribus. De quo vide D. Th. de Potentia Quæst. 9. Art. 2. ad 1. & in 1. dist. 25. Quæst. 1. Art. 3. ad 4. & Ad Anibal. ibidem ad 3.



QVÆSTIO XXXI.

DE HIS, QVÆ AD VNITATEM, VEL PLVRALITATEM PERTINENT IN DIVINIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Trinitas sit in diuinis.

Conclusio.

In diuinis vtendum est nomine Trinitatis.

DVBITATVR.

An doctrina Articuli sit vera.



IDETVR, quod non. Primo: Nam in Concil. Tollet. XI. in Confessione fidei dicitur. Nec rectè dici potest, vt in vno Deo sit Trinitas.

Secundo. In Deo non est triplicitas, Ergò nec Trinitas. Antecedens est eiusdem Concilij ibibem, & Aug 6. de Trin. Cap. 6. 7. & 8. lib. 19. Cap. 3. & Bern. 5. de consideratione. Consequentia verò probatur: Quia omne trinum est triplex.

Dices cum D. Th. hic ad 3. Hoc nomen TRIPLEX, VEL TRIPLICITAS Significare speciem inæqualitatis, & propterea dici non posse de Deo, vbi nulla est inæqualitas.

Sed contra hoc Arguitur: quia etiam Trinitas significat speciem numeri inæqualis, & Trinitas, vel ternarius secundum speciem numeri absoluti, vel numerantis, est quid maius, quam binarius Personarũ,

& hæc inæqualitas quantitatis discretę non repugnat Deo. Ergò licèt Triplicitas significet speciem inæqualitatis secundum numerum absolutum, vel numerantem, reperietur in Deo.

Confirmatur. Nàm alias non possemus dicere in Deo esse duplicem emanationem, vel relationem. Consequens est falsum, Ergò. Sequella patet: Nàm etiam ille terminus DVPLEX significabit speciem inæqualitatis repugnantem Deo, sicut hoc nomen TRIPLEX. Min. verò probatur: Nàm illam propositionem concedit D. Thom. de Potentia Quæst. 10. Art. 2. Nazian. Orat. 45. ait Filium, & Spiritum Sanctum esse geminum radium Patris.

Tertiò. Deitas non dicitur Trina, quia significaretur numerari Deitatem, Ergò nec in Deo est Trinitas. Consequentia patet: quia de deitate prædicatur omne, quod est in illa in abstracto, vel in concreto: quia in Deo non distinguuntur abstractum, & concretum.

Quartò. Quia alias Deus posset dici Triformis: quia, cum in Deo sint tres relationes, quarum quælibet est forma, nihil impediet, vt ab eis denominetur triformis. Consequens tamen est contra vsum Ecclesiæ, Ergò.

Sed contra est auctoritas D. Thom.

IN hoc dubio supponimus Personas diuinas esse tres, & solùm inquiritur. AN VTENDVM SIT NOMINE TRINITATIS, ET QVID ILLVD significet.

Circa primum. Caluinus teste Prateolo, Verbo TRINITARII, adeo abhorruit ab hac voce Trinitas, vt eam nunquam receperit. eamdem repudiauit Lucas Sterumberger deridendo eam, & inquirendo an significaret marem, vel fæminam, dicebatq; fuisse fæminam tribus maritis copulatam, ita prateolus Verbo, Antiluterani.

Circa secundum verò. Etiam errauit Valentinus gentilis, dicens Trinitatem significare vnitatem trium, quæ sunt, essentia, Filius, & Spiritus Sanctus, ità Belar. lib. 2. de Christo Cap. 5.

Sed prò explicatione.

Dico. Ista vox. TRINITAS admittenda est in vsu Ecclesiæ, vt significat ternarium Personarum.

PRima pars patet: Nàm illam admittunt Concil. Later. vt refertur in Cap. Damnamus. Nicenum, Constantino, Efezinum, & alia. Eodem nomine vtuntur Pontifices, & Sancti Patres, Alex. primus in Epist. ad omnes Orthodoxos. Sixtus 1. in Epist. ad omnes fideles, Vigilius in Epist. ad Leuterium Cap. 6. Dionis. Cypria. Iustinus, Tertulia. Cylius &c. Ecclesia etiam vtitur hoc nomine in præfatione Missæ de Trinitate, & in toto Officio illius fæsti.

Secunda etiam pars patet: Nàm in Symbolo Athan. dicitur Trinitatem in vnitate veneremur, & Sancti Patres Trinitatem Personarum opponunt, & distinguunt ab vnitate essentiæ. Si autem Trinitas significaret vnitatem trium, & non ternarium personarum, absurde diceretur, Veneremur vnitatem trium in vnitate, & vnitas trium non opponetur vnitate.

Ad primum, Ergò Respondeo Conclusionem loqui de Deo secundum essentiam: Nàm Trinitas non est in essentia, sed in personis.

Ad secundum. Picus Mirandul. concedit in Deo triplex numen, tamèn Nazian. vbi suprà; & D. Thom. hic, & Theologi communiter negant in Deo triplicitatem, aliàs triplex adoratio deberetur illi.

Circa rationẽ verò, Quare non sit vtendum hoc nomine, TRIPLEX variant Theologi, & Vazq. hic d. 131. Cap. 3. & Suarez lib. 3. de Trinitate Cap. vltimo propter secũdũ Argumẽtũ reijciũt rationem D. Tho., & assignant aliam, scilicèt, quod hoc nomen, Triplex, absolutè sumptum, numerat formale significatum termini, cui additur, & ità, si dicatur, Deus, vel Deitas est triplex, vel multiplex, numerantur diuersæ Deitates, Si verò dicas persona est, Triplex, solùm numerantur personæ, & ità inquiunt Verè potest dici relationem, vel personam diuinam esse triplicem.

Sed vera ratio huius rei duplex est. Prima. Quòd iste terminus, Triplex, vel Multiplex &c. in rigore sumpti opponuntur simplicitati, vt habet Thésaurus linguæ latinæ Verbo, Multiplex, & docent Aug. 6. de Trin. Cap. 6. Bern. 5. de consideratione, & D. Thom. in 1. dist. 24. Quæst. 2. Art. 1. & quia in Deo, etiam stante Trinitate personarum, est

omni-

omnimoda simplicitas, ideò in eo, nec est triplicitas, nec multiplicitas.

Secunda Ratio, est, quam habet D. Thom. hic ad 3. & Aug. vbi suprà, scilicèt. Quia hoc nomen Triplex ex sua impositione significat proportionem inæqualitatis, secundum quam res, quæ dicitur triplex, in triplo est maior, quam id, respectu cuius est triplex: Trinitas verò solum significat tres vnitates, quarum significationum ratio est impositio, & vsus, Et quia, vt diximus Quæst. 30., licèt in Deo sit ternarius, & ternarius numerans in triplo sit maior qualibet vnitate, tamèn quia omnes res numeratæ sũt æquales inter se seorsũ, & simul sũptæ, ideò in Deo admittitur Trinitas, & non triplicitas.

Ad secundum Ergò. Nego Consequentiam. Ad probationem bene dictum est. Ad replicam verò, Respondeo, quod Trinitas in ratione numeri absoluti, & numerantis, est inæqualis, & maior qualibet vnitate; res verò numeratæ per illum, omnes sunt æquales seorsum, & simul sumptæ, Triplicitas verò ponit in Deo, & in rebus numeratis compositionem, & inæqualitatem, quæ non reperitur in Deo, & ideò non debet dici de Deo.

Ad confirmationem Respondeo. D. Thom. se ibi explicuisse: Nàm ait, in Deo esse duplicem emanationem: idest duas: quia Latini aliquandò pro eodem, vtuntur his nominibus Duplex, & Duo, & in eodem sensu loquitur Nazian.

Ad tertium D. Thom. in Hymno Matutinali corporis Christi vocat deitatem Trinam, sed ibi sumitur Deitas pro Deo, idest, pro suppositis Deitatis, sicut quando dicitur Patrem esse principium Deitatis, idest, omnium Personarum, quæ in diuinis procedunt, vt explicat idem D. Thom. infrà Quæst. 39. Art. 5. ad 6.

Ad quartum, Aug. Epist. 177. negat Deum posse dici triformem: quia forma absolutè sumpta in Deo, significat essentiam, iuxta illud ad Philip. 2. Qui, cum in forma Dei esset, &c. de quo vide D. Thom. Art. sequenti ad 2. In Deo autem tantum est vna forma, & vna essentia.

ARTICVLVS II.

An Filius sit alius à Patre.

Conclusio.

Conuenienter dicitur, quod Filius est alius à Patre.

DVBITATVR.

An Doctrina Articuli sit vera.



IDETVR quod non. Primò: Quia Filius non est aliud à Patre, Ergò neq; alius. Antecedens habetur in Art. Et Consequentia probatur: quia differentia generis masculini, & neutrius non variat significationem. Ergò, si alius, & aliud significant idem, negandum erit Filium esse alium à Patre, sicut negatur esse aliud.

Secundò probatur, quod sit aliud à Patre. Nàm Iustinus in Dialogo, cum Triphone admittit sæpè Filium, esse alium Deum, vel alium dominum à Patre, Ergò est aliud, habebit enim distinctam essentiam Deitatis, si est alius Deus, & hoc significatur dicendo, esse aliud.

Tertiò. Probatur idem. Pater generans Filium generat Deum, & non se Deum, Ergò alium Deum, & per consequens Filius est aliud à Patre. Min. patet: Nàm illud relatiuum, SE, est relatiuum identitatis, & refert idem suppositum, & ita significat, quòd Pater non genuit se ipsum, quod est verum. Consequentia verò probatur: quia in rebus existentibus non datur medium inter idem, & diuersum.

Quartò Personæ diuinæ habent diuersas formas, Ergò propriè differunt, quod tamen negat D. Thom. hic Consequentia patet: quia teste D. Thom. in Art. ea dicuntur propriè differre, quæ habent distinctas formas. Antecedens autem probatur: quia forma est communis sicut res, & Personæ diuinæ habent realitates veluti distinctarum specierum, vt diximus Quæst. 30. Art. 4. Ergò habent distinctas formas.

Con-

Confirmatur. Quia Personas diuinas differre docent Cyril. lib. 2. Thesau. Cap. 1. & alij Patres relati à Suarez lib. 3. de Trinitate Cap. 13. & à Vazq. hic disp. 131. Cap. 2. Ergò.

Sed contra est Conclusio Articuli.

IN hoc dubio errauerunt hæretici, quos retulimus Quæst. 30. Art. 1. tenere in diuinis solùm esse vnam Personam vocatam istis tribus nominibus Pater, Filius, & Spiritus Sãctus, Hi enim negant Filium esse alium à Patre. Duran. etiam in 1. dist. 9. Quæst. 1. sentit non esse absolutè concedendum Filium esse alium à Patre, sed cum addito, scilicèt esse alium in Persona, moueturque primo Argumento à nobis facto. Sed Conclusio Articuli est vera, & de fide; patetque ex illo Ioann. 14. Alium paraclitum dabit vobis, quo significatur Spiritum Sanctum esse alium à Filio. Idem diffinitur in Concil. Ephesin. tom. 2. Cap. 7. & in Tolletano XI. in professione fidei, & in Lateranens. & refertur Cap. damnamus, vbi sic habetur, licèt igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus, non tamen aliud, eadem ratione, qua Filium concedimus esse alium à Patre, concedendum est esse alterum à Patre. Ità Cyril. lib. 1. in Ioan. Cap. 2. Hylar. 2. de Trinitate, Bernar. Epist. 190. & Athan. in Orat. de æterna substantia Filij. Alia testimonia vide in Vazq. vbi suprà Cap. 1. & Suarez vbi suprà.

Ad primum, Ergò. Nego Consequentiam: Nàm teste D. Thom. hic ad 4. Communis vsus loquendi ostendit, hæc nomina pro varietate generis habere variam significationem.

Ad secundum. Nego Antecedens, & Iustinus explicandus est, quod sit alius Deus, idest, aliud suppositum, quod sit Deus, & Dominus, sicut in simili explicat aliam propositionem D. Th. in 1. dist. 4. Quæst. 1. Art. 2.

Ad tertium. Nego Consequentiam: teste enim D. Thom. infrà Quæst. 39. Art. 4. ad 4. vtraq; istarum est falsa scilicèt DEVS GENVIT SE DEVM, ET DEVS GENVIT ALIVM DEVM.

Ad quartum distinguo Antecedens, diuersas formas absolutè sumptas, idest substãtiales, & essentiales naturæ, vt sic, nego Antecedens: Nàm hæc in Deo est vna Deitas, iuxta illud ad Philip. 2. QVI CVM IN FORMA DEI ESSET. Diuersas formas Personales, quæ sunt formæ secundum modum significandi: quia significantur per modum formæ hypostaticæ, & constitutiuæ Personæ. Concedo Antecedens, & licèt, forma isto secundo modo sumpta sit communis, sicut

res;

res; earum tamen distinctio non facit differre Personas: quia differentia proprie sumpta requirit distinctionem formarum, quæ sint diuersæ essentiæ.

Ad Confirmationem D. Thom. hic ad 2. & de Potentia Quæst. 9. Art.8.ad 2. Explicat illos Patres, quod sumunt differentiam non proprie, & in rigore, sed communiter pro quacumq; distinctione Personali sine distinctione essentiæ.


ARTICVLI III. & IV.

VIDÆ IN D. THOM. HIC.

Pro quorum declaratione.



OTA ex eodem D.Thom.in 1.dist.21. Quæst. 1.Art.1. & 2. & de Potentia Quæst. 10. Art.4. ad 12.esse regulam scripturæ scilicèt. Quòd nomen dictum de qualibet Persona diuina etiā cum dictione exclusiua, intelligitur conuenire etiam alijs Personis nisi in illis, in quibus Personæ opponuntur. v.g. Sapientia genita dicit de se Ecclesiast. 24. Gyrum cæli circuiui sola, ab isto actu non excluduntur Pater, & Spiritus Sanctus, & quando Ioan. 17. dicitur. Vt cognoscant te solùm verum Deum, illa dictio solùm non excludit Filium, & Spiritum Sanctum à consortio Deitatis. Istam regulam ità docent Cyril. lib.4. Thesaur.Cap.2.& lib. 10. Cap. 6. Athan. in disp. contra Arrium, Basil. 4. contra Eunomium, Cypr. in exhortat. ad Martyres, Nazian. Orat.4. de Theologia, Aug. 1. de Trinitat.Cap.6. & Chrisost. hom. 72. in Math. & Euaristius Papa Epist. 1.



QVÆSTIO XXXII.

DE COGNITIONE DIVINARVM PERSONARVM.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Trinitas diuinarum Perſonarum, poſſit euidentèr cognoſci per rationem naturalem.

Concluſio eſt negatiua.

DVBITATVR.

An ex Creaturis, poſſit euidentèr cognoſci Trinitas Perſonarum.



IDETVR quòd ſic. Primò, Quia Cyril. lib. 1. & 2. & 8. contra Iulianum, refert Orphæū, & alios, multa docere de Trinitate, alios etiam Philoſophos, idem docentes referunt Sancti Patres, quos citant Vazq. hic diſt. 132. & Suarez 1. de Trin. Cap. 11. Sed iſti Philoſophi, ſolùm ratione naturali illam cognouère: quia caruerunt fide, Ergò.

Secundò. Nàm ad Rom. 1. dicitur. Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; virtus, & diuinitas, quem locum explicans Athan. Orat. 2. contra Arrianos ait, per virtutem, ibi intélligi Filium, & quia per eum omnia facta ſunt ideò omnia notificant eum, vt per eum deueniamus in cognitionem Patris, Ergò ex Creaturis, poſſumus illos cognoſcere.


Tertiò. In qualibet Creatura, eſt relatio naturalis diſtincta ad quam-

quamlibet Personam Trinitatis, Ergò Angelus comprehendens Hominem v.g.& omnia, quæ sunt in eo, cognoscet illam trinam relationem, & per consequens, cognoscet earum terminos, scilicèt Personas tres, Trinitatis. Antecedens patet: Nàm tres Personæ, sunt res numero distinctæ, & habent Personalitates, quasi specie differentes, vt diximus Quæst.30. Art.4. Conclusione 2. quælibet autem res distincta relatione, distinguitur ab altera re numero distincta, & specie: quia iuxta multiplicationem diuersorùm terminorum multiplicantur, & relationes.

Confirmatur. Creaturæ de facto producuntur à tribus Personis distinctis, Ergò de facto dicũt diuersos respectus ad illas, tamquàm effectus ad causam, & per consequens Angelus naturalitèr cognoscens omnia naturalia, cognosceret etiam naturalitèr istas relationes, quæ sunt naturales, & ità necessariò, cognoscet earum terminos, qui sunt Personæ.

Quartò. Deus, (vt auctor naturæ) cognoscit se, vt terminũ Ergò, vt auctor naturæ potest communicare cognitionem naturalem sui, vt est terminus. Antecedens patet: Nàm Gene. primò, quandò vt auctor naturę, produxit Hominem, cognouit se vt terminum, ideò enim dixit faciamus Hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Quibus Verbis, suppono denotari Trinitatem. Consequentia pro prima parte probatur: Quia Deus, vt auctor naturæ, est potens communicare cognitionem eorum, quæ, vt sic, cognoscit, non minus, quàm vt auctor supernaturalis sit potens communicare cognitionem supernaturaliũ, quæ, vt sic, cognoscit. Pro secunda etiam parte probatur: quia Deus vt auctor naturæ non potest communicare cognitionem supernaturalem, Ergò, si, vt auctor naturæ, communicat cognitionem Trinitatis, illa erit naturalis.

Quintò. Anima Christi per scientiam infusam, cognoscens visionem beatam, vel actum fidei, quo credimus Trinitatem, euidẽter scit illum terminari ad ipsam Trinitatem, Ergò inde cognoscit esse Trinitatem, & ità Trinitas euidenter potest cognosci ex Creaturis.



Sed

Sed contra est Conclusio Articuli.

In hoc dubio sunt quinq; sententiæ.

PRima est. Trinitatem, non solùm esse supra rationem, sed etiam contra rationem.

Hæc sententia tribuitur Holcoth. in 1. dist. 3. fauentq; illi Molina hic §. Potest autem probari, & Suarez lib. 1. de Trin. Cap. 11. num. 11. & 12. quòd licèt teneant mysterium hoc, non esse contra lumen naturale asserunt tamèn, illud apparere impossibile intellectui carenti lumine supernaturali.

Secunda. Hoc Mysterium esse euidentèr cognoscibile solùm lumine naturali Hominis, vel Angeli, si Deus tribuat illi speciem proportionatam talis Mysterij.

Primam partem huius sententiæ tenuit quidam Raymundus Lullus, cuius rationes refert Vazq. hic disp. 133. dicebat, istas tales rationes esse adeò euidentes, vt quemcumq; conuincerent, etiam, si careret lumine supernaturali, Idem tenuere alij, quod refert Dura. in 1. d. 2. Quæst. 4. numero 5.

Secundam etiam partem huius sententiæ de Angelo tenuit Scotus in 4. d. 49. Quæst. 11.

Tertia est. Hoc Mysterium posse cognosci ex viribus naturalibus rationis naturalis, confortatæ per lumen supernaturale, eo quòd ex tali coniunctione ad lumen supernaturale, ità confortatur in suis viribus naturalibus, vt ex illis sic confortatis, possit attingere hoc Mysterium, quòd sine tali conformatione non posset. Ità explicandi sunt Ricar. de S. Victore lib. 1. de Trin. Cap. 4. & lib. 3. Cap. 5. & lib. 9. Cap. 1. Henric. Quodlib. 8. Quæst. 4. & Quodlib. 12. Quæst. 2. & Gerson alphabeto 13. littera H.

Quarta est. Viatori (etiam d absoluta Dei omnipotentia) non posse concedi, notitiam euidentem etiam super naturalem Trinitatis non solùm, quo ad Quæstionem. Quid est, sed etiam neque ad Quæstionem. An est.

Primam partem huius sententiæ tenent Duran. Quæst. 3. Prologi Vazq. hic disp. 134. Cap. 3.

Secundam verò probationé, tenent, idem Vazq. hic disp. 135. Cap. 2. & Suar. lib. 1. de Trin. Cap. 11. & 12. & tomo 1. tertiæ p. disp. 26. sect. 5.

Quinta

Quinta est. Viatori posse concedi claram cognitionem Trinitatis, quoad Quæstionem. An est, ità Dura. in 3.d.23. Quæst. 9. Caiet. 2. 2. Quæst. 171. Art. 5. & 3. p. Quæst. 11. Art. 1. Tolletus Quæst. 1. prologi Art. 2. & ibi alij multi.

Sed pro explicatione.

Dico primo. Ex sola virtute luminis naturalis etiam coniuncti cum lumine supernaturali, nullus Homo, vel Angelus potest cagnoscere Mysterium Trinitatis.

HAec Conclusio est de fide, & patet ex illo Math. 11. Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare, & Cap. 16. de hoc Mysterio dixit Christus Petro. Caro, & sanguis, non reuelauit tibi, sed Pater meus &c.

Secundò probatur. Nàm hoc Mysterium, est supremum intèr Articulos fidei, Ergò non potest attingi à lumine naturali. Probo Consequentiam: quia iuxtà Paulū ad Hæb. 11. fides, est de non apparentibus lumine naturali, & vt dicitur primæ ad Chor. 2. est sapientia abscondita in Deo, quam nullus Princeps huius sæculi, idest, Demon cognouit Virtute naturali.

Confirmatur: Nàm Cyril. super illud Isaiæ 8. SCRIBE STYLO HOMINIS, ait, quòd; licèt Mysterium Incarnationis superet vires naturæ, tamèn scribitur stylo Hominis: quia in eo reperitur Humanitas, quæ est naturalitèr cognoscibilis ab Homine: tamèn Mysterium Trinitatis: quia solùm reuelatione diuinæ linguæ potest attingi, ideò de illo non dicitur, quòd scribatur stylo Hominis, sed potius psal. 44. dicitur de eo, Lingua mea calamus Scribę &c.

Tertiò probatur. Omnis nostra naturalis cognitio de Deo, prouenit ex cognitione naturalium effectuum eius iuxta illud ad Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sed naturales effectus Dei solùm ducunt in cognitionem eius, vt est vnus, Ergò: Mai. patet: Nàm Nos nō possumus habere demonstrationem à priori de Trinitate per lumen naturale: quia talis demonstratio, debet esse ex causa, & nulla est causa, qua Pater sit Pater, & Filius sit Filius &c. Ergò solùm possumus habere naturalem demonstrationem ab effectu naturali: in Deo enim, locum non habet demonstratio ab ęqualibus; quam Raymun. Lullus ponit: quia in naturalibus, nihil est vniuocè si-

X mile,

tem, non pertinet ad illum. Et Consequentia probatur: quia omnis naturalis cognitio Creaturæ, oritur ab Auctore naturæ, Ergò illa, quæ non potest causari ab ipso, vt sic: quia est circa obiectum, quod ipse, (vt sic) non attingit, non poterit naturalitèr conuenire Creaturæ.

Dico secundò. Lumen naturale intellectus, secundum suam inclinationem connaturalem, non poterit iudicare hoc Mysterium esse impossibile, & contra rationem.

PRobatur. Quia tale lumen secundum se, non potest inclinare ad ad falsum: quia eius inclinatio, est à Deo, qui ad falsum inclinare non potest; Inclinaret autèm ad falsum, si tale lumen, ex sua naturali inclinatione, iudicaret hoc Mysterium, esse impossibile, aut contra rationem, cum de facto, reperiatur in Deo, cum sit suprà, & non contra rationem, Ergò.

Secundò; Deus, vt auctor naturæ, non est cõtrarius sibi, vt est auctor super naturalium, sed vt est auctor super naturalium, per lumen supernaturale, inclinat ad iudicãdum Mysterium hoc esse verum, & non esse contra rationem, Ergò vt auctor naturę, non tribuit lumen inclinans ad oppositum ex se, quare, quandò intellectus iudicauerit hoc Mysterium esse impossibile, vel contra rationem, tale iuditium proueniet ex eius deffectu, non ex naturali eius inclinatione.

Ex quibus sequuntur duo. Primum, quòd hoc Mysterium nulli principio naturali contradicit: Nàm omnia, quæ illi videntur contraria tantùm, necessariò verificantur in Creaturis, & non in Deo, vel habent aliàs explicationes, iuxtà quas, saluatur veritas illius, vt ostendimus Quæst. 28. Art. 3.

Secundum est, Quòd, si hoc mysterium proponatur soli lumini naturali intellectus, illud, nec iudicabit esse verùm, neq; esse falsum, sed suspendet actum.

Dico tertiò. Viatori potest concedi euidentia Trinitatis, quantùm ad quam, An est.

PRobatur Primò, Quia Christus per scientiam in dictam, cognouit illam non obscurè, nec solùm propter auctoritatem dicentis, Ergò clarè. Mai. est D. Th. 3. p. Quæst. 11. Art. 1. dicentis, Christum

illa ſcientia cognouiſſe omnia, quæ quomodocumq; alijs fuere reuelata, ſed Trinitas fuit reuelata alijs per fidẽ, & prophetiam, Ergò. Min. verò probatur: Nàm lumen talis ſcientię fuit vnum, ſicut ipſa ſcientia erat vna, & de ſe fuit clarum, & ſcientificum reſpectu omnium, quę attingebant: implicat autèm, idem lumen ſpecie, & numero inclinare clarè, & ſcientificè ad quædam obiecta, & ad illa tantùm obſcure propter auctoritatem dicentis: quia iſta media ſunt diuerſa, & ſpecificãtia diſtinctos habitus.

Secũdò Aliqui viri Sancti, cognouerunt Trinitatem per lumen propheticum, vt patet ex Iſaia Cap. 6. Ergò illi habuerunt euidentiã de Trinitate quantùm ad An eſt, patet Conſequentia: quia teſte Caiet. 2. ſecundæ Quæſt. 171. Art. 5. & Quæſt. 173. Art. 4. lumen propheticum, tribuit euidentiam rei prophetatæ, quantùm ad Quæſtionum. An eſt.

Tertiò Chriſtus habuit ſcientificam, claramq; & compræhenſiuam cognitionẽ de eſſentia viſionis beatæ, & actus fidei, & prophetiæ, quo cognoſcitur Trinitas, & per talem cognitionem, ſciuit eiuſmodi actus terminari ad Trinitatem, tamquam ad obiectum verùm, Ergò habuit euidentiam, quod Trinitas eſt.

Antecedens ſupponitur ex 3. p. Quæſt. 11. Art. 1. Conſequentia probatur. Quia implicat, compræhenſiuè ſcire aliquem actum, quin cognoſcãtur omnia, illius obiecta etiam mediata: quia cognitio compræhenſiua alicuius obiecti attingit omnia, quę per ſe competunt ei, Viſio autèm beata per ſe, licèt ſecundariò, terminatur ad Trinitatem, ad quam etiam, vt ad obiectum, Quod poſſunt terminara actus fidei, & prophetiæ immediatè, Ergò compræhenſiuè, cognitis iſtis actibus, cognoſcetur etiam euidentèr eorum obiectum, ſcilicèt Trinitatem eſſe.

Confirmatur primò: Nàm Chriſtus per ſuam ſcientiam inditam cognouit compræhenſiuè gratiam, Ergò per eamdem cognouit clarè eſſe Trinitatem, cuius illa eſt ſecundaria participatio, vt diximus, 1. ſecundæ Quæſt. 110. Art. 2. dub. 2. Concluſione 6.

Confirmatur ſecundò: Nàm Chriſtus per eamdem ſcientiam euidẽtèr cognouit ſuam, vnionem hypoſtaticam, vt de factò eſt diſtincta ab ea, qua Humanitas pòterat ſumi à Patre, vel Spirtu Sancto, Ergò per illam ſcientiam etiam cognouit Trinitatem: talis enim vnio, vt diſtincta ab alijs nõ poterat clarè, & ſcientificè cognoſci non cognitis terminis earumdem quoad quæſtionem AN SINT, Nec ſufficit dicere, hanc cognitionis claritatem, reduci ad euidentiam in atteſtãte.

Nàm

Nam ratio formalis scientiæ infusę, qua Christus ista cognouit, non est euidentia in attestante, vel veracitas diuina, quæ est obiectum fidei, sed ratio scientifica, distincta à ratione fidei, Ergò nec ratio, qua cognouit Trinitatem, est talis euidentia in attestante, & veracitas diuina: quia omnia obiecta talis scientiæ, cognouit sub eadem ratione scientifica, aliàs, non cognouisset omnia per eamdem numero scientiam.

Quartò Christus (prætèr sciētiam beatā) habuit aliam claram Trinitatis, Ergò illa potest dari. Antecedens patet: Nam Christus, vt viator meruit per amorem Trinitatis: non enim debemus tale meritū subtrahere Christo: ille autèm amor, vt sic, non regulabatur per visionem beatam: quia erat liber, & visio beata non regulat, nisi amorē necessarium, Ergò habuit aliam cognitionem, qua regularetur. Quòd verò, illa cognitio fuerit clara, patet: quia non poterat esse cognitio fidei, neque opinionis: quia ista non potest esse, cum visione eiusdem obiecti in eodem subiecto. Christus autèm, habuit talem visionem claram, beatam de illo obiecto, Ergò.

Sed Vazq. & Suar. arguunt contra hoc. Primò, Quia ista cognitio deberet esse per speciem propriam Trinitatis, sed talis species, non est communicabilis Viatori, Ergò. Mai. patet: Quia species Creaturarū non sunt similes Trinitati, Ergò nequeunt repræsentare illam. Min. verò probatur: quia teste D. Th. suprà Quæst.12. Art.2. Impossibilis est species creata, quæ intuitiuè, & quidditatiuè repræsentet Deum, species autèm, quæ clarè repræsentaret Trinitatem, esse clarè etiam intuitiuè, & quidditatiuè, repræsentaret Deum: quia repræsentaret eum, vt existentem, quæ est eius essentia, & per Consequens, repræsentaret, eum intuitiuè: quia notitia intuitiua, est notitia rei existentis.

Secundò. Omnis clara, vel scientifica cognitio intellectus, prætèr cognitionem primorum principiorum, est per aliquam demonstrationem à priori, vel posteriori, sed Trinitatem esse, non potest cognosci à priori: quia non habet causam, nec à posteriori: quia non habet effectum: relationes enim diuinæ, non sunt operatiuæ, Ergò.

Ad primum tamèn Respondeo. Nego Mai. quia ista cognitio, potest fieri per species Creaturarum, cuius ratio est: Quia, cum cognoscamus Deum per viam eminentiæ causalitatis, vel remotionis, per eamdem speciem, qua cognouimus creaturas esse,ità limitatas, vt in vnitate essentiæ non habeant plura supposita per viam eminentiæ, & remotionis, poterimus cognoscere Deum, ità superare Creaturas, &

ità esse illimitatum, vt in vnitate essentiæ, habeat plures personas: Nã isto modo, per species Creaturarũ, modo obscuro, cognoscimus Trinitatem, mediante lumine obscuro fidei, Ergò eodem modo poterimus mediante lumine claro, per similes species clarè cognoscere Trinitatem esse.

Ad secundum Respondeo, quòd illa claritas cognitionis, pertinet ad demonstrationem, non quia ex effectibus, vt efficiuntur à causa efficiente, innotescat Trinitas, sed quia cognoscimus illam ex cognitione effectuum; quatenus illi dicunt relationem transcendentalẽ ad ipsã Trinitatem, vt ad obiectum, vt diximus de Visione beata, & actu fidei, terminato ad Trinitatem.

Dico vltimò. Deus non potest tribuere cognitionem claram, & quidditatiuam Trinitatis, distinctam à visione beata.

PRobatur. Eiusmodi cognitio debet fieri per speciem repræsentantem ipsam quidditatem, vt in se est, sed nulla talis species est possibilis, prçterquàm in beatitudine, vbi essentia diuina, vnitur in ratione speciei, vt ostenditur suprà Quæst. 12. Art. 2. Ergò.

Dices, quòd, licèt talis cognitio habeatur per essentiam diuinam in ratione speciei, non poterit esse notitia quidditatiua, sed abstractiua.

Contra hoc tamen est, quod notitia intuitiua, est, quç est rei præsentis, & qua certificamur de eius existentia, hæc autem haberet talis notitia quidditatiua Dei. Primum: quia esset rei formalitèr præsentis per se ipsam, cum ipsa vniatur in ratione speciei, & obiectiuç etiam esset rei præsentis: Nàm talis notitia, haberet terminum immediatum, qui non est alius, nisi ipsa essentia diuina, non enim in ea formalitèr Verbum terminans visionem, quod etiam haberet. Secundum patet: quia, cum existentia Dei actualis, sit de eius essentia, necesse est, vt qui certificatur de eius essentia, necesse est certificetur de eius existentia.

Ad primum Vazq. hic disp. 132. Cap. 1. putat D. Th. hic ad 1. docere; nulli Philosopho Mysterium hoc innotuisse, & ostẽdit, SS. Patres oppositum docere. Cæterum D. Th. hic non docet: Nàm in 1. sent. dist. 3. Quæst. 2. Ar. 1. in Corpore, & ad 2. expressè docet, Phylosophos hçc cognouisse ex dictis Hebreorũ, quos in Aegypto legerant, vel aliàs ex diuina reuelatione alijs Patribus facta. Idq; approbat D. Cyril. in locis allegatis in Argumento, & potest confirmari: Nàm multa alia

ex scripturis sumpsère Philosophi, vt (inter alios) docet Iustinus M. in Admonitorio, Amb. lib. 1. de Officijs Cap. 50. lib. de Bono mortis Cap. 5. & 10. & lib. 2. de Abel. Cap. 2. & 7. & ser. 2. & 18. in præsens 118. D. Greg. Nicenus lib. super Cantica, Cap. 1. Aug. 10. de Ciuitate Cap. 37. Euginus lib. 1. de perenni philosoph. Cap. 1. Solùm Ergò, hic negat D. Thom. Philosophos ex ratione naturali, hoc Mysterium cognouisse, non verò, quòd ex diuina reuelatione alijs facta, id non didicerint.

Ad secundum Argumentum Respondeo; Athana. loqui de Patre, & Filio, non secundum, sibi propria, sed secundum attributa, illis appropriata, scilicèt potentiam, & sapientiam, ità simile testimonium explicat D. Th. ex glosa hic ad 1. & ad Rom. Cap. 1. lectione 6. in fine. Ex hoc autèm, quod Philosophi ex Creaturis cognouerunt, ista attributa illis appropriata; non sequitur, cognouisse ipsas Personas.

Ad tertium Argumentum Respondeo primò. Nego Antecedens: Nàm sicut idē Pater, eadē num: relatione refertur ad plures Filios, ità eadem res eadem numero relatione distinctionis distinguitur à pluribus rebus: quia in omnibus est eadem ratio termini, quatenus scilicèt est res diuisa ab illa, vel numero, vel secundum essentiam, & ità eadem relatione distinctionis, distinguitur quælibet Creatura à tribus Personis. Imò Pater diuinus, est distinguitur à Filio, & Spiritu Sancto relationibus distinctionis realitèr distinctis: quia Paternitas, & spiratio actiua, quibus ab illis distinguitur, non distinguuntur realitèr, vt dicetur Quæst. 3. Ex quo sequitur quod, licèt Angelus comprehendat Creaturam, & omnem eius relationem realem distinctionis, non oportet eum cognoscere omnem terminum numericum, ad quem illa terminatur: quia omnes illi termini, sunt inadæquati, & eiusdem rationis, in ratione termini. Et ità sufficit, cognoscere rationem communem sub qua terminat.

Respondeo secundò. Transeat Antecedens, & nego Consequentiam: quia, licèt ad naturalem comprehensionem rei, requiratur cognoscere omnem eius habitudinem naturalem, quam habet ad naturalia, non tamen oportet cognoscere eam, quam habet ad supernaturalia, vt sic, vt ad comprehensionem Formicæ, non oportet cognoscere, quòd est assumptibilis à Deo, & quòd est inferior gratia, & quia tres Personæ Trinitatis, vt sic, non pertinent ad ordinem naturæ, ideò, vt comprehendatur Creatura; non oportet cognoscere habitudinem, quàm dicit ad tres Personas Trinitatis. Idem reperitur in Anima rationali ad cuius comprehensionem naturalem, non requiritur, vt co-


gnoscatur illam esse capacem beatitudinis supernaturalis; aliàs, Angelus, qui hæc compræhendit ex naturalibus, ex illis sciret possibilitatem Incarnationis, & Visionis Beatæ. Quòd est apertè falsum.

Ad Confirmationem, Nego Consequentiam: Nàm Creatura tantùm habet relationem effectus ad suam causam, vt sic, & tres Personæ non sunt distinctæ causæ, nec dicunt aliquam constitutionem per se requisitam ad causandam, vel producendas Creaturas, sed sunt vna, & eadem causa propter numericam, & eamdem virtutem, & ideò ad illas tantùm, dicit vnam relationem eo, vel maximè quòd, vt dictum est eadem relatione potest referri ad diuersos terminos eiusdem rationis, & ità, licèt Creatura produceretur à tribus Personis, vt sic, eadem relatione, effectus posset referri ad alias, vt ad vnum terminum adæquatum talis relationis, & ideò, non oportet cognoscere tres relationes.

Secundò Respondeo, quòd, vt dictum est, Illæ relationes ad Personas, vt distinctas, non sunt ordinis naturalis, & ideò, non oportet illas cognosci à compræhendente Creaturam.

Ad quartum. Nego Antecedens. Ad probationem, aliàs diximus in materia de fide. Deum quatenus creauit hominem, vt intellectiuū omnium, & capacem supernaturalium, in quo consistit suo modo ratio Imaginis, non considerari solùm, vt auctorem naturæ: quia capacitatem supernaturalium solùm, potest tribuere auctor supernaturalium, & ideò, quandò dixit Faciamus Hominem ad imaginem, &c. nō locutus est solùm, vt auctor naturæ.

Ad quintum distin. consequens. Ex Creaturis, vt sunt effectus Dei, Nego consequens, ex Creaturis supernaturalibus, quæ dicunt transcendentalem habitudinem ad Trinitatem, & sunt eius aliquales participationes. Concedo consequens.



ARTI-

ARTICVLVS II.

An ſint ponendæ notionales in diuinis.

Concluſio.

Diuinæ ſimplicitati non repugnat ponere in diuinis nomina abſtracta Perſonalia, vt Paternitas, & Filiatio, quæ vocantur proprietates, vel notiones.

DVBITATVR.

An Concluſio, & Doctrina Argumenti ſit vera.



IDETVR quòd non. Primò: quia aliàs, eſſet aliquid in Patre, quòd non eſſet in Filio. Conſequens eſt falſum, Ergò. Sequella patet: Nàm ſi Paternitas eſſet notio, & proprietas Patris conueniet ſoli Patri, & Filio non conueniet: aliàs, enim non eſſet proprietas Patris, Ergò. Min. verò probatur dupliciter. Primò: quia in Concil. Lateran. vt refertur in Cap. Damnamus diffinitur, quòd: quia Pater eſt omninò ſimplex, ità dedit Filio ſuam ſubſtantiam, quòd non retinuerit ſibi partem, & partem dederit, Ergò dedit totam, & ità cum non dederit ei Paternitatem, non habet proprietatem, quæ ſit Paternitas, aliàs, illa in Deo eſſet ſubſtantia, & per conſequens dediſſet eam Filio: quia dedit ei totam ſuam ſubſtantiam.

Secundò, quia Hylar. lib. 3. & 7. de Trinitate Aug. lib. 15. de Trinit. Cap. 24. Iſidorus lib. 1. de ſummo Bono Cap. 25. dicunt, Patrem nihil habere, quòd nõ dederit Filio, iuxta illud Ioan. 16. Omnia, quęcumq; habet Pater, mea ſunt, Ergò cum non dederit illi Paternitatem, non habet eam.

Secundò Arguitur: Quia aliàs, Nulla eadem res eſſet Pater Filius, & Spiritus Sanctus. Conſequens eſt contra fidem diffinitum in eodem

dem Cap. Damnamus, Ergò; Sequella probatur. Nàm si in Patre, est proprietas, quę est Paternitas, Pater non erit sola essentia, sed essentia, & Paternitas: nihil enim constans ex diuersis, est tantùm vnum eorum: Essentia autem, & Paternitas, cum quibus identificatur Pater, sunt quid distinctum ab essentia, & Filiatione, vel ab essentia, & spiratione passiua, cum quibus identificantur Filius, & Spiritus Sanctus, Ergò non datur vna res, quæ sit tres Personæ.

Tertiò: Quia aliàs, essentia non esset Pater, Cuius contrarium diffinitur in eodem Cap. Damnamus. Sequella patet eadem ratione: Nàm, si in Patre est essentia, & Paternitas, Pater erit simul vtrumq; eorum, & non aliquid eorum seorsum: quia nihil constitutum ex pluribus, est aliquod eorum seorsum.

Quartò. Paternitas identificatur cum Deitate, Ergò non est proprietas Patris, quæ distinguatur ab alijs Personis. Antecedens patet: quia aliàs, in Deo essent diuersæ Deitates: Nàm, cum Paternitas, non sit Creatura, erit Deus, Deus enim est quicquid, est in Deo, & quicquid est, quòd non sit Creatura, & asserunt, Aug. 1. de Trin. Cap. 6. & Hugo lib. 1. de Sacram. p. 3. Cap. 27. & per consequens, si non identificatur cum Deitate, erit diuersæ deitatis. Consequentia verò probatur: quia, cum Personæ, nullo modo distinguantur in Deitate, nullo modo distinguētur in Paternitate omninò identificata, cum Deitate.

Quintò. In diuinis Personis non est aliquid, quòd ex natura rei distinguatur ab aliquo eiusdem Personæ, vel ab ipsis Personis, sed si darentur in Diuinis notiones, & proprietates in abstracto, illæ distinguerentur ex natura rei, ab ipsis Personis, & non solùm ex modo significandi, vt hic ait D. Thom. Ergò. Min. probatur: quia si Pater, & Paternitas, distinguerentur in solo modo significandi, sicut Paternitas distinguitur à Filio, se toto, ita Pater distingueretur à Filio, se toto, & non identificaretur cum illo in essentia. Quicquid enim conuenit alicui, conuenit ei, quòd in solo modo significandi differt ab illo, sicut quia solo modo significandi, distinguuntur Deus, & Deitas, sicut Deus creat, iustificat, vel gubernat, ità Deitas, sed Paternitas, se tota distinguitur à Filio, ità quòd nihil habeat commune cum illo, Ergò nec Pater habebit aliquid commune cum illo, scilicèt essentia, si solùm in modo significandi, distinguitur à Paternitate.

Alia Argumenta contra Litteram D. Thom. adducit Caiet. hic, & alia adducemus Nos, infra Quæst. 40. Art. 1.

Sed contra est auctoritas D. Thom.


In hoc dubio præter sententias, quas adducemus Quæst. 40. Art. 1. sunt quattuor.

PRima est. Non dari tales notiones. Itá Præpositiuus, quem hic refert D.Th.quem ex parte sequiturGreg.in 1.dist.27. Quæst. vnica Art.2.& Gabriel dist.18.Quæst.1.Art.3.dub.1.qui tenent, notiones non esse in Personis diuinis, sed in nostris conceptibus: quia censent,notiones solùm esse quædam complexa, vt genuisse Filium, vel genitum fuisse á Patre,& complexio,non reperitur in rebus, sed in conceptibus.

Secunda. Dari istas notiones in Personis diuinis, sed distinctas ab illis;non in solo modo significandi,sed ex natura rei. Itá Aureol.in 1. dist.29.Quæst. 1. Art. 1. Scotus, & quos Quæst.28.retulimus tenere quòd relatio distinguitur ab essentia ex natura rei: Nám eadem ratione,distinguetur á Persona,quæ includit essentiam.

Tertia. Istas notionales reperiri quidèm in Personis diuinis, sed distingui ab eis,non solo modo significandi, & ratione ratiocinante, sed ratione ratiocinata, & ex natura rei virtualiter multo magis, quám distinguantur diffinitio,& diffinitum. Itá Moli. hic disp. 2. & Quæst.40. Art.1.disp.1.& Vazq. hic disp. 121. Cap. 5.

Quarta est. In diuinis Personis dari simplices notiones, quæ solùm in modo significandi, & ratione ratiocinante distinguantur á Personis,itá,cum D.Tho.hic,tenent eius Discipuli. Cai.infrá Quæst. 40. Art. 2. Torres suprá Quæst.28.Art.2.disp.3.p.2.Ferrar.4.contra Gent.Cap.26.§.Ad euidentiam horum.Idem tenent Bonau.in 1.dist. 26.Quæst.4.dur.Quæst.2.Ricar.dist.28.Quæst. 1. Capræol. dist. 29. Quæst.1.Conclusione 1.Marsil. Quæst.29. Art. 2. & Alensis in 1.p. Quæst.68. membro 3.& alij.



Sed pro explicatione.

Dico primò. In Personis diuinis, ponendæ sunt notionales simplices, secundum rem, & tali nomine, vtendum est Theologis.

PArs prima, est certa in fide: Nàm infrà Quæst. 40. Art. 1. Conclusione 1. ostendemus ex Concilijs. In Personis diuinis, esse aliquas proprietates, quibus constituantur, & distinguantur: Idem autem secundum rem, est dicere, in diuinis esse tales proprietates constitutiuas, & distinctiuas, & dicere, esse simplices notiones: quia, vt dicemus Art. 3. constitutiuum, & distinctiuum alicuius, est notio illius, vel ratio cognoscendi illud, Ergò.

Secunda verò pars Conclusionis probatur: Nàm illa voce vtuntur Basilius 2. contra Eunomium, & Epist. 43. Aug. 5. de Trin. Cap. 6. Mr. & Scholastici communiter in p. dist. 26. & 28. & ità absq; temeritate improbari, nego vsus istius termini; quod etiam probāt rationes Articuli, quas hic defendit Caietanus.

Ex 1. p. Cōclusionis, sequitur (cōtra Greg.) notiones esse in ipsis Personis, & non in conceptibus, & esse omninò simplices.

Vtrumq; horum patet: Quia formale constitutiuum, & distinctiuū rei omninò simplicis dist. 3. esse in illa, & omninò simplex, aliàs, non constitueret illam formalitèr, omninò simplicem, sed notiones sunt formalitèr constitutiuæ, & distinctiuæ Personarum diuinarum, quæ sunt omninò simplices, sine aliqua compositione, vel complexione: Ergò sunt in ipsis, & omninò simplices.

Specialiter verò prima pars huius Corolarij probatur: Quia cōceptu, quo cognosco Personas constitui, & distingui ab alijs, debet in ipsis Personis corespondere aliquid reale; aliàs, enim talis conceptus esset fictitius, Ergò in ipsis Personis sunt istæ notiones .i. istæ conditiones, & proprietates, quibus cognoscitur, ipsas constitui, & distingui, Notiones enim, nihil aliud sunt, quibus eiusmodi propositiones, vt determinant ad cognitionem Personarum, vt sunt constitutæ, & distinctæ ab alijs.

Secunda etiā pars Coroll. quòd tales notiones sint simplices, patet: Primò, Nàm ex SS. PP. docebimus infrà, ingenitum, quod vt simplex, esse notionem, partis, &

Secundò. Quia Patrē tam propria, est paternitas, sicut generare Filio,

Filiũ, & per illam æquè benè cognoſcitur, (imò multo magis) conſtitui, & diſtingui ab illis, quã per generare Filium; dicemus .n. Qu. 40. Art. 2. illum, nec conſtitui, nec diſtingui per actum notionalem, ſed per relationẽ ſimplicẽ: Ergò illa, abſolutè dicenda ſunt notio. Dicemus enim Art. ſequ. notionem, eſſe propriam rationem cognoſcendi perſonam: ratio autem conſtitutiua, & diſtinctiua cuiuſlibet perſonæ, eſt propria ratio cognoſcendi illam.

Dico ſecundò. Notiones non diſtinguuntur à Perſonis, ex natura rei, nec ratione ratiocinata, ſed ſolùm ratione ratiocinante, & ex modo ſignificandi.

PRima pars huius Concluſionis patet ex dictis Quæſt. 28. Art. 2. diſt. 1. Con. 3. Nàm, ſi diſtinguerẽtur ex natura rei, in Diuinis eſſet numerus ſenarius rationum formalium, ex natura rei diſtinctarum, quòd ibi ſatis improbatur. Sequella patet: Nàm datur numerus ternarius Perſonarum, & rurſus datur numerus ternarius notionum, & relationum, quæ formalitèr diſtinguuntur inter ſe, & à Perſonis, vt vult Aureolus, Ergò.

Secundò. Quia omnis diſtinctio, ex natura rei oritur, vt ibi oſtendimus, ex aliqua oppoſitione ex natura rei: Paternitas verò v.g. nullo genere oppoſitionis ex natura rei opponitur Patri, Ergò. Idem ampliùs patebit, ex ſecunda parte Concluſionis quæ probatur.

Primò. Nàm illam expreſsè docet D.Th. multis in locis dicens, relationes, & Perſonas, v.g. Paternitatem, & Patrem, in ſolo modo ſignificandi diſtingui, ſicut diſtinguitur Deitas, & Deus. Ità docet in p. diſt. 26. Quæſt. 2. Art. p. & d. 27. Quæſt. 1. vbi ait, eamdem rationem ſignificari per Patrem, & per Paternitatem: Non ſignificaretur etiam per ambo nomina eadem ratio, ſi eorum ſignificata, diſtinguerẽtur ratione ratiocinata, ſicut per hæc nomina, ſapiẽtia, & iuſtitia diuina, vel eſſentia, & Paternitas, non ſignificatur eadem ratio, quia diſtinguuntur ratione ratiocinata. Similitèr in 1. d. 33. Quæſt. 1. Art. 1. ad 2. ait, quod Paternitas, & Pater, tantùm differunt ſecundum rationẽ, ſicut Deitas, & Deus. Idẽ habet de Potentia Quæſt. 8. Art. 3. ad 10. & Quæſt. 9. Art. 4. ad 16. & Art. 5. ad 17. quibus in locis ait, illa ſolum differre in modo ſignificandi. Vazquez habet infrà Quæſt. 40. Art. p. Cap. & primum, & Art. 2. vbi ait, relationes eſſe ipſas Perſonas, ſicut Paternitas eſt Pater, quia in Diuinis non di-

ſtinguitur

stinguitur abstractum, & concretum, Ergò.

Dices, D. Thom. solùm velle Paternitatem, & Patrem, habere eãdem entitatem, quam habent Deitas, & Deus, non quantũ ad omnia, sed, quantum ad illam identitatem, quæ prouenit ex hoc, quòd in eis, non est compositio materiæ, & formæ; Nàm iuxta abstractum, & concretum, distinguitur in composito ex materia, & forma, & non in carentibus tali compositione, vt in Deo, ità ostendit D. Thom. suprà Quæst. 3. Art. 3. & Pater diuinus, non componitur ex materia, & forma, sicut nec Deus, ideò, quantum ad identitatem, quæ prouenit ex carentia huius compositionis, intelligit D. Thom. Paternitatem, & Patrem, esse idem, sicut sunt idem Deus, & Deitas: non quantùm ad cœtera: Nàm, quantùm ad alia, potest esse maior distinctio inter Paternitatem, & Patrem, quàm inter Deitatem, & Deum &c.

Sed contra hoc est: Quia, si hoc solùm intellexisset D. Tho. non dixisset, ea solùm distingui ex modo significandi: Nàm, quæ differunt ratione ratiocinata, licèt careant cõpositione materiæ, & formæ, non solùm differunt ex modo significandi. Nec iterum D. Tho. diceret, earum rationem significari vtroq; nomine; diuersas enim rationes important Nomina, quæ dicunt res distinctas, ratione ratiocinata.

Secundò. Nullam rationem includit Pater, quàm non eodem modo includat Paternitas: Ergò nõ distinguitur ratione ratiocinata. Consequẽtia patet: Nã, quę sic distinguũtur, importãt rationes diuersas, Añs verò probatur: Nàm Pater, intrinsecè claudit Essentiam diuinam, & Paternitatem, & nihil aliud: Paternitas verò dicit se ipsam, vt patet, & claudit intrinsecè essentiam diuinam, vt ostendi Quæst. 28. 2. p. 2. Concl. 5. quia alias, intrinsecè non esset Deus, sed Creatura. Ergò.

Declaratur hoc: Essẽtia diuina, potest considerari, vt natura, in qua subsistit Pater, & quæ est determinabilis per Paternitatem, vel, vt quoddam transcendens diuinum ad omnia, quæ sunt in Deo. Si consideretur primo modo, clauditur extrinsecè, & in obliquo in Patre; & Paternitate: Nàm Pater, est naturæ diuinæ indiuidua substantia, relata ad Filium, & Paternitas est modus, & determinatio naturæ diuinæ. Si autẽ cõsideretur secundo modo intrinsecè clauditur in Paternitate, & in Patre, vt probatum est, Ergò. Pater nihil includit, quod secundum eamdem rationem, non includat Paternitas.

Vltimo: quia relatio, cõstituit Personam per modum simplicitatis, in quantũ ponit se ipsam, vt docet D. Th. infrà Quæst. 40. Art. 2. & diceremus ex Caiet. ibi Art. 1. Conc. 3. & tamèn, si Persona, diceret aliam ratio-

rationem, præter eam, quam importat relatio, non sic, per illam constitueretur, nec posita relatione, poneretur Persona. Ergò.

Sed obijciunt Aliqui recentiores, cum Vazq. primo D.Th. hic ad 2. ait, hanc propositionem, Paternitas est Pater, esse veram, tamèn propter identitatem, & in sensu identico; Ergò Paternitas, & Pater, tantùm sunt idem realitèr, & secundum rationem ratiocinatam.

Secundò. Persona diuina, (vt dicetur Quæst. 40. Art. 1.) constituitur ex essentia, & relatione, quæ duo distinguuntur inter se, ratione ratiocinata, vt suprà dictum est, Ergò etiã Persona distinguitur ratione ratiocinata à relatione, tamquàm includens ab incluso. Probo Consequentiam; Quia ad istam distinctionem sufficit, vt Persona dicat, & includat essentiam, quam non dicit relatio, & quæ ratione ratiocinata, distinguitur ab illa.

Ad primum tamèn nego Antecedens; nec D. Tho. tale vmquam dixit, sed eius verba sunt ista: PROPTER IDENTITATEM REI, POSSVNT SVBSTANTIVA PERSONALIA, ET ESSENTIALIA, PRAEDICARI DE NOTIONIBVS. POSSVMVS ENIM DICERE, QVOD PATERNITAS EST DEVS, ET DEITAS EST PATER. Ex quibus verbis; patet; Arguentem duo falsa imponere D. Thom. Primum; quòd dixerit (tantùm propter identitatem) quòd D. Th. non dixit; solùm enim dixit, PROPTER IDENTITATEM REI, POSSVNT PRAEDICARI &c. cum identitate etiam reali, potest reperiri identitas rationis formalis, cum sola differentia in modo significandi, vt patet in Deo, & Deitate.

Secundum est, quia D. Thom. non loquitur de hac, Paternitatem, & Patre, sed de his; Paternitas est Deus, & Deitas est Pater: quorũ extrema: quia sunt diuersorum generum, absoluti, & relatiui, distinguuntur ratione ratiocinata, (vt suprà dictum est,) extrema etiã huius, Paternitas, & Pater, ambo sunt relatiua, & ideò non oportet, ità distingui.

Ad secundum. Distinguo Consequens; Persona, secũdũ totum, quòd includit, distinguitur ratione ratiocinata, à relatione, vt dicit Ad expressè, Concedo Cõsequẽtiã; à relatione sola, secũdũ totũ, quod includit implicitè, & quòd dicit explicitè, Nego Consequentiam. Vt etiã absolutè dicerentur distingui ratione ratiocinata, deberent sumi proportionabilitèr, si, vt Pater, & Paternitas, sumerẽtur secundũ Ad, quod explicant essentiam, quam includunt; vel, si Paternitas sumitur præcisè secundum Ad, quòd explicat, eodem modo sumeretur Pater, & non, vt etiam includit essentiam &c.

Ad

Ad primum verò à principio, Concedo Sequellam; Nàm quia illud transcendens, ALIQVID, est commune absoluto, & relatiuo, & aliqua relatio est in Patre, quæ non est in Filio, ideò benè conceditur, aliquid esse in Patre, quod non est in Filio. Ad vtramq; verò improbationē huius, ratio, Consequentia, & prima pars, non loqui de substātia, vt distinguitur contra Accidens, quo modo Paternitas est substātia; sed loqui de substantia, quæ est essentia, vel natura. Hanc enim totam, dedit Pater Filio, non retinendo partem, quam non communicauerit. Et eodem modo concedendum est, Patrem dedisse Filio totam suam entitatem: quia (vt diximus) entitas in Diuinis, est absoluta, & tamèn vna, & omne absolutum Pater dedit Filio. Ex hoc tamèn nō sequitur, quòd licèt Paternitas, quam pater non dedit Filio, sit eadem substantia patris, indistincta ab illa, quod aliqua substantia sit in Patre, quam non dederit Filio: Nàm, vt suprà diximus ex D. Th. infrà Quæst. 42. Art. 4. ad 2. in istis committitur defectus veluti appellationis, quia mūtatur ad Aliquid, in Quid, in Antecedēti enim, substātia sumitur pro relatione, in Consequenti verò, sumitur pro essentia absoluta &c.

Dices: saltem sequitur, Patrem non dedisse Filio totam suam realitatem: Consequens est falsū: Ergò, Sequella patet: quia Paternitas, est quædam realitas Patris, siquidē, vt sic, constituit illā personam realem. Min. verò probatur dupliciter, primò: Quia in Patre tātū, est vna simplicissima, & indiuisibilis realitas, licèt virtualitèr, illa sit multiplex secundum rationem, Ergò implicat, Patrem communicasse Filio totam realitatem suæ essentiæ, quin communicauerit etiam realitatem relationis; Implicat enim, in simplicissima realitate, reperiri realitatem, realitèr communicatam, & realitatem non communicatam, Ergò.

Secundò: quia Concilium Lateranense in loco citato idem probat Patrem totam suam substantiam communicasse Filio, quia illa est indiuisibilis, & ideò nihil illius potuit communicare, quia communicauerit totam; sed cùm realitas Patris est realitèr indiuisibilis, & simplicissima; Pater enim est persona simplex; Ergò si Pater, communicauit Filio realitatem suæ essentiæ, etiam communicauit ei realitatem suæ Paternitatis.

Ad hoc Argumentum Greg. in p. dist. 33. Quæst. vnica Art. 3. putat esse contra fidem concedere Sequellam Cōcedunt tamèn eā Capræol. in 1. d. 29. Quæst. 1. ad 1. & Torres prima parte Quæst. 39. Art. 2. 3. Bellar. lib. 2. de Christo Cap. 16. & Vazq. hic disp. 121. Cap. 7. & disp. 121.

158. Cap.2. & eorum fundamentum eſt. Quia Damaſ.lib. 1. de fide Cap.9. & 10. Concilium Florent. ſeſs. vlt. in litteris S. Vnionis dicũt, Patrem omnia ſua dediſſe Filio, præter Paternitatem, ſed paternitas eſt aliqua realitas patris, Ergò non dedit illi omnem ſuam realitatẽ. Quare Capræol. concedit Sequellam, & negat Min. & ad primã probat.negat Conſequentiam: quia illa realitas, ſimul eſt abſoluta, & relatiua,& ità poteſt communicari, vt abſoluta, non communicata eadem,vt relatiua, quod ſufficit, vt dicatur non communicaſſe totam ſuam realitatem, quia realitas eſt communis abſolutę, & relatiuæ. Neq; hoc magis implicat, quàm implicet Filium eſſe realitèr genitũ, & non eſſe genitam eſſentiam, quæ eſt eadem ſimpliciſſima entitas: quia ad hoc ſufficit virtualis diſtinctio rationis ratiocinatæ.

Ad ſecundũ probationẽ. Negatur Sequella: Nã ſubſtantia Patris, vt dicit naturam, non diſtinguitur virtualitèr à ſeipſa, realitàs autẽ patris, licèt ſit ſimpliciſſima, & expers omnis compoſitionis, & partis, includit tamèn eſſentiam, & paternitatem, ratione ratiocinata diſtinctàm,& hæc diſtinctio ſufficit, vt communicata illa realitate, vt eſt eſſentia, & abſoluta, non communicetur tota eadem, vt dicit relationem &c.

Sed ſecundò R. ex D.Th. Quæſt.2. de Potentia Art.5. diſtinguẽdo Conſequens, quod non dederit Filio totam ſuam realitatem, quoad omnem eius modum, concedo Sequellam, quoad aliquem modum, Nego Sequellam: Nàm illa ſimpliciſſima realitas, vel forma, quæ eſt eſſentia, & paternitas, habet rationem abſoluti, & reſpectiui,& pater communicauit illam Filio, quantùm ad rationem abſoluti, & non quantùm ad rationem reſpectiui.

Hanc ſolutionem ſequitur Molina infrà Quæſt.39. 3.diſp.2.& Suarez lib.3. de Trin. Cap.2. vbi aduertit, melius dici, patrem non communicaſſe Filio omnem ſuam realitatem, quàm non communicaſſe illi totam ſuam realitatem. Ratio differentiæ eſt: Quia iſte terminus, OMNIS, ibi ſolùm poteſt diſtribuere pro rationibus, quas habet illa realitas, & pater non communicauit illam Filio ſub omni ratione, .ſ. relatiua: iſte verò terminus, TOTVS, diciur reſpectu partiũ, & teſte D.Tho. ſuprà Quæſt.8. Art.2. ad 3.& infrà Quæſt.76. Art. 8. ſolùm eſt totalitas ratione eſſentiæ. Et quia Pater, ità communicauit ſuam eſſentiam Filio integram, talitèr, quòd nõ eſt aliquid eſſentiale in illa, quòd non ſit communicatum, nequè aliqua pars eſſentiæ, quã non tribuerit Filio, ideò non debet dici, quod pater non communicauit Filio totam ſuam realitatem: quia ſignificaretur, quod

non communicauit ei quicquid pertinet ad essentiam illius realitatis, quòd est falsum: Nàm ratio relationis non pertinet ad essentiam, vt prædicatum essentiale illius, vt dictum est.

Ad secundũ principale. Nego Sequellam. Ad probationem distinguo Consequens, non est sola essentia sub præcisa ratione essentiæ, concedo Consequentiam, non est sola essentia, quasi simul sit essentia, & alia res distincta ab illa, Nego Consequentiam: Nàm licèt pater sit essentia, & Paternitas, paternitas tamèn est eadem res cum essentia, & Pater est essentia, & est paternitas. Licèt enim illa, quę constituuntur ex diuersis partibus, non sint singulæ eorum seorsum, qua ratione homo cõstitutus ex materia, & forma, nõ est materia: tamèn ea, quæ constituuntur ex his, quæ sola ratione distinguuntur, & reuera non sunt partes, licèt significentur per modum partium, sunt quodlibet eorum, ex quibus constituuntur, qua ratione homo constitutus ex Animali, & rationali, est Animal, & est rationalis. Et per hęc patet ad 3.

Ad quartum. Nego Consequentiam: Nàm hoc pertinet ad Mysterium Trinitatis, quod sicut tres personæ realitèr distinctæ, sunt vna res, ità proprietates personales realitèr identificentur, cum essentia communi, & tamèn ipsæ non sint communes, ad hoc enim sufficit distinctio rationis inter essentiam, & relationem &c.

Ad quintum. Nego Min. Ad probationem distinguo Antecedens, paternitas distinguitur à Filio se tota, totalitate propriæ rationis, quã explicat, Concedo Antecedens: totalitate realitatis, vt explicatum est, Nego Antecedens: Nàm realitèr includit essentiam, quæ realitèr identificatur Filio. Neq; est verùm, eadem prædicari de his, quæ solo modo significandi distinguuntur: Nàm solùm in modo significandi distinguuntur Deitas, & Deus, & tamèn Deus generat, & generatur; Deitas verò nec generat, nec generatur.

Circa litteram Caietani duo, sunt notanda, primum circa id, quod habet scilicèt circa Antecedens. Vbi ait ex sententia D. Thom. speciem relationis non sumi ex termino, sed ex fundamento. Insinuauit hoc D. Th. 3. p. Quæst. 35. Art. 5. vbi ait, vnitatem, vel pluralitatem relationum sumi ex causa, vel fundamento.

Sed hoc non sic intelligendum est, quasi ex fundamento sumatur proximè, & formalitèr species relationis, illa enim sic sumitur ex termino, sed, quòd radicalitèr sumatur ex fundamento, quatenus diuersitati fundamentorũ correspõdet diuersitas formalis terminorũ, & è contra.

Prima

Primũ patet: Nàm hic, & in 1. d. 27. Quæſt. 1. Art. 1. & alibi ſæpè docet ſpeciem relationis ſumi ex termino, & ideò hic probat paternitatem, & ſpirationem eſſe diuerſas relationes: quia habent diuerſos terminos, de quo latiùs Soncinas Quæſt. Mathaph. Quæſt. 32.

Secundum verò declaratur: Nàm ſpecies relationis debet ſumi per aliquid intrinſecum rationi formali conſtitutiuæ relationis realis, de qua loquimur: Hæc autem in ſuo eſſe conſtituitur per fundamentum, & terminum modo explicato, Ergò. Prob. Min. Nàm D. Th. ſuprà Quæſt. 13. Art. 7. & Quæſt. 28. Art. 1. ad relationem realem ait requiri fundamentum reale, ex natura ſua ordinatum ad terminum, Ergò.

Secundò: quia prima diuiſio relationis in tria genere ſumitur ex fundamentis, diuiditur enim primo relatio in eam, quæ fundatur ſuper actione, paſſione, qualitate &c. Ergò ſimilitèr ratio ſpecifica relationũ debet ſumi ex aliquo intrinſeco huic rationi, ſuperiori, in qua clauditur fundamentum.

Tertiò. Quia ſtatim dicemus, Paternitatem, & maternitatem, eſſe relationes differentes ſpecie partiali: quia earum fundamenta diſtinguuntur ſpecie partiali.

Sed hoc ſic intelligitur, quod ex fundamentis, vt ordinatis ad terminum, ſumatur radicalitèr ſpecies earum: proximè verò ex ipſis terminis; quia .ſ. vbi eſt talis diſtinctio formalis fundamentorum, quòd neceſſariò præexigat terminos formaliter diſtinctos, ibi eſt diſtinctio ſpecifica relationum. Et hoc modo poteſt intelligi D. Th. in contrarium citatus Vel loquitur de vnitate, vel pluralitate numerica relationum, non de ſpecifica.

Secundum eſt, quòd habet idem Caiet. hic §. ad ſecundum verò dubium Vbi D. Thom. dicentem, vni relationi ſecundum ſpeciem non poſſe correſpondere duas ſpecie diſtinctas, explicat, intelligendũ eſſe de relationibus diuerſarum rationũ formalium; Nàm, ſi ſint partiales, eidem relationi ſpecificæ poſſent correſpondere relationes ſpeciæ diuerſæ. Vocat autẽ Caiet. relationes partiales illas; quarum fundamenta partialitèr concurrunt ad eundem effectum; v. g. Paternitas, & maternitas, teſte D. Th. 3. p. Quæſt. 35. Art. 5. ad tertium ſunt relationes ſpecie diuerſæ, partiales tamen ratione dicta; & ideò eis correſpondet vna ſola relatio oppoſita, ſcili. Filiatio, quæ licèt reſpiciat vtrunq; parentem, eſt tamen vna tantum ſpecie.

Hanc Doctrinam Caiet. quæ habet fundamentum in D. Thom. & quã ſequitur etiã Torres hic, & alij, reijciunt Ferrar. 2. cõt. Gen. Cap.

tium: nec inadæquatum, quia relatio causat suum effectum indiuisibilitèr, & non potest conferre partem, & non totum.

Sed ad primũ respõdet Caiet. ibidem, D. Thom. ibi solum velle, Filiationem tantùm esse vnam relationem ex natura rei, secundum verò intellectum, habere diuersos respectus, sola ratione differentes, vt terminatur ad terminos partiali specie distinctos sicut licèt vna numero Paternitas tantùm sit in vno Patre, tamèn illa secundum rationem intelligitur multiplex, quatenùs intelligitur terminari ad plures Filios. Et quòd hoc sit de mente D. Th. probat Capræolus in p. dist. 29. Quæst. 1. ad 6. cõtra 1. exço, quòd idem D. Th. in p. dist. 27. Quæst. 1. Art. 1. ait esse impossibile eandem relationem realem esse in diuersis speciebus. Quando Ergò in 3. p. ait eandem Filiationem esse vnam secundum rem, & duplicem secundum rationem, solùm intelligit esse vnam speciem relationis, quæ secundum intellectũ concipitur, vt diuersa, quatenus terminatur ad diuersos terminos partiales: non verò, quòd in eadem realitate Filiationis coniungantur duæ species relationis reales.

Ad confirmationẽ, Nego sequellam. Ad probationẽ R. diffinitionem Patris esse, Qui habet Filium per generationem actiuam: diffinitionem verò Matris esse, habere Filium per subministrationem materiæ; & istæ sunt diffinitiones diuersæ.

Ad secundum Nego Antecedens. Ad probationẽ R. nullũ Filium produci ex solo actiuo concursu Patris, nisi mater simul ministret materiam; & ideò integrum, & totale fundamẽtum Filiationis, vt respicit Patrem, est, non quidem esse genitum per concursum actiuum solùm, sed esse genitum per talem actiuum concursum, matre subministrante materiam, & quia hoc tantum est vnum integrũ, & totale fundamentũ respectu vtriusq; parentis, ideò in Filio nõ est, nisi vna relatio Filiationis ad vtrumq;

Ad tertium Nego Antecedens. Ad probationẽ Nego Antecedens; Nàm licèt vterq; parens intra ordinẽ causarũ particularium generet Filium totaliter totalitate effectus (vterq; enim suo modo producit totum Filium) non tamen generat illũ totaliter totalitate causæ, quia neuter eorum, infra ordinẽ causarum particularium per se solùm est causa totalis Filij. Neq; est idem de Deo, & Sole; Nàm solus Deus est causa prima totalis, & similitèr Sol. sol in suo gñe. Ad cõfirmationem distinguo Antecedens, si illæ causæ specie distinctæ, sint totales, & diuersorum ordinum, transeat Antecedens: si eiusdem ordinis, & partiales, nego Antecedens; Nàm ad materiam, & formam, quæ

ARTICVLVS III.

An sint quinq; notiones.

Prima Conclusio.

Notiones sunt quinq;,scil. Innascibilitas, Paternitas,Filiatio, communis spiratio, & processio.

Secunda. Ex his quinq; notionibus quatuor sunt relationes:Nàm innascibilitas non est relatio,& quatuor sunt proprietates; Nàm communis spiratio non est proprietas: Tres verò sunt notiones Personales .s. Paternitas Filiatio, & Processio, quia constituunt Personas.

Circa Primam Conclusionem.

DVBITATVR PRIMO.

An illa sit vera.



IDETVR, quod non. Primò: quia ad rationem notionis sufficit esse aliquid negatiuum, quo explicetur aliqua conditio pertinens ad originem, vt patet in innascibilitate: sed in diuinis dãtur alia quatuor vel quĩq;negatiua,quę dicunt cõditiones,pertinẽtes ad originẽ, Ergò Min. probatur: Nàm sicut innascibilitas dicit priuationem omnis productionis, & est proprietas Patris, ità Inspirabilitas, vt dicit PRIVATIONEM negatiuam productionis passiuæ per voluntatem, est conditio negatiuè pertinens ad originem, conueniens Patri, & Filio,qui per illam posset innotescere. Similitèr etiam ingenitum, vt dicit negationem generationis propriè sumptæ, est conditio com-

munis Patri, & Spiritui Sancto negatiuè pertinens ad originem, quatenus neuter eorum propriè generatur. Item tertiò non generans, dicit conditionem communem Filio, & Spiritui Sancto negatiuè pertinens ad originem, quatenus neuter eorum generat alium Filium, & tandem quartò non spirare est proprietas Spiritus Sancti, negatiuè pertinens ad originē, quatenus ille non producit aliquā Personam per voluntatem: Ergò.

Secundò arguitur. Ad multiplicationem notionem satis est, scilicet inter eas, quæ habent cōditiones notionum, sit distinctio rationis ratiocinantis, vel ratiocinatæ: sed dantur aliæ plures, quam quinq;, quæ habent prædictas condiciones, & interse distinguuntur ratione: Ergò Maior patet: Nam innascibilitas, Paternitas, & communis spiratio distinguūtur in ratione nationis, quia licet interse distinguantur sola ratione, vt dicetur dub. 2., tamen habent conditiones requisitas ad esse notionem; Ergò. Min. verò probatur: Nam potentia generatiua, & spiratiua, & actualis generatio, & spiratio actiua, & passiua, sunt aliæ sex conditiones, ratione distinctæ interse, & à quinq; notionibus, quæ referuntur in Art. 3. per quas possunt innotescere Personæ diuinæ; habentq; cōditiones, requisitas ad esse notionis. Propter quod Aug. 5. de Trinit. Cap. 6. & Cirillus lib. 10. Thes. Cap. 6. inter notiones computant, esse genitum, vel genitorem: Ergò.

Tertio. Ordo originis est notio, & non aliqua istarum quinq; vt patet: Ergò datur sexta notio. Mai. patet: Nam reperitur in Deo, & non est essentia, nec Persona: Ergò notio; quicquid enim est in Deo, est essentia, Persona, vel notio. Idem argumentum potest fieri de visione Personæ diuinæ.

Confirmatur. Quia Pater, & Filius, conueniūt in esse principiū Spiritus Sancti datur specialis notio communis illis, .s. spiratio: Ergò, quia Filius, & Spiritus Sanctus conueniunt in hoc, quod est esse à Patre, vt à principio, habebunt specialem notionem sibi communem.

Quartò: Nam præter notiones hic relatas, singulis Personis conueniunt aliæ rationes distinctæ ab istis: Ergò sunt aliæ præter istas. Antecedens patet: Nam Patri conuenit esse fontale principium Deitatis, & ratione Paternitatis conuenit ei esse maiorem Filio, vt habent Athan. Art. 2. cōt. Arrianos, Hil. 9. de Tri. Damas. 1. de fide Cap. 4. Basilius 1. 3. & 4. contra Eunom. Nazianz. Orat. 35. & Cirillus 2. Thes. Cap. 3. Similiter Filio conuenit ratio Verbi, & Imaginis: & Spiritui Sancto conuenit ratio amoris, & doni, quæ ratione distinguuntur à Filiatione, & processione: Ergò.

Quintò.

Quintò. Quia Pater cognoſcitur poſitiuè,& per negationem, vel remotionem, dantur duæ notiones illius, .ſ. Paternitas, & innaſcibilitas. Sed eſse cognoſcitur per viam eminentiæ, & cauſalitatis, Nam ideò ad Eph. 3. dicitur, quòd à Patre cælesti denominatur omnis Paternitas in Celo, & in terra; Ergò debent etiam dari aliæ duæ notiones, quibus iſtis modis cognoſcatur. Et ſimilitèr pro Filio, & Spiritu Sancto dabuntur notiones, quibus cognoſcantur per viam remotionis, cauſalitatis, & eminentiæ.

Sed contra eſt auctoritas D. Thom.

In hoc dubio ſunt tres ſententiæ.

PRima eſt: non eſſe quinq; notiones, quia numerus quinarius requirit realem diſtinctionem rerum numeratarum; & iſtæ quinq; notiones non diſtinguuntur realitèr inter ſe, ità Gabriel in 1. diſt. 28. Art. 3.

Secunda eſt: addendã eſſe ſextã notionẽ, ſcilicèt, inſpirabilitatem, Ità Scotus ibidem Quæſt. 1.

Tertia eſt; tantum eſſe iſtas quinq; notiones, quæ numerantur in Art. Ità communiter DD. D. Thom. hic, & in 1. diſt. 26. Quæſt. 2. Art. 3. Durandus ibi Quæſt. 2. Rich. Art. 4. Quæſt. 2. Marſil. Quæſt. 29. Art. 2. & Alenſis p. p. Quæſt. 68. m. 3. & 4.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Notio in diuinis eſt ratio propria cognoſcendi diuinam Perſonam.

ITà D. Thom. hic, & Caiet. Art. 2. & Baſil. Epiſt. 43. vbi ait, notiones eſse inditia, vel notas, quibus Perſonæ dignoſcuntur. Explicantur autem ſingulæ particulæ. Prima .ſ. RATIO, ponitur loco generis, conuenit enim alijs à notionibus; vt Deitas, & ſapientia, ſunt rationes conſtitutiuæ Dei, & ſapientis, & tamen non ſunt notiones. Et quia ratio conſtitutiua alicuius debet ſignificari in abſtracto, quia ſignificatur, vt principiũ formale, quo aliquid eſt tale, ideò notiones ſignificantur in abſtracto, tamquam principia formalia cognoſcendi Perſonas, vt ſtatim explicabimus. Di-

Dices, Augustinum 5. de Trinit. Cap. 6. notionem vocare ipsam formalem notitiã, qua cognoscitur persona, ait enim; ALIA EST NOTIO, QVA INTELLIGITVR GENITOR, ALIA, QVA INGENITVS, Ergò notio non est formale principiũ cognoscendi, sed ipsa cognitio.

Secundò: Quia idem Augustinus in præfato loco, Cirillus p. Thes. Cap. 6. Basil. Epist. 43. & Nicenus lib. de differentia Vsiæ, & Hypostasis, recensent notiones in concreto, dicunt enim, genitum, & ingenitum esse notiones Patris, & Filij, Ergò non debent significari, vt notione in abstracto.

Ad primũ tamèn respõdetur, quòd sicut ratio significat cõceptũ, & eius obiectum, .s. diffinitionem, & quidditatem Dei, vt explicuimus Quæst. 28. Art. 2. d. 1. Concl. 4. ita notio aliquãdo accipitur pro notitia, aliquãdo pro ratione obiectiua illi correspõdente. Et ideò, licèt Suarez 5. de Trinitate Cap. 9. & Vazq. hic Art. 2. nu. 12. & disp. 136. Cap. 2. dicant, notiones ibi sumi ab Augustino pro notitia, nihil tamẽ vetat per notiones ibi intelligi ipsas rationes obiectiuas eius, existentes in ipsis personis, quibus, tamquam notis, & indicijs, distinguuntur. Et ità sẽsus Augustini erit. Alia est nota, vel, aliud est indiciũ, aut alia est ratio obiectiua, ex qua cognoscitur genitor, alia, ex qua cognoscitur ingenitus.

Ad secundũ verò Resp. SS. PP. cũ nõ esset Quæstio, cum hæreticis, de proprietate, vel formalitate loqutionis, sed de re, non curare de modo loquendi. Et ità SS. PP. allegati, in concretis intellexerunt abstracta: quia non erat illis, cum hæreticis lis de modo loquendi.

Secũda particula, scilicèt (propria) cũ cæteris; ponitur loco differentiæ. In hoc enim distinguuntur notiones ab abstractis essentialibus in Diuinis, quod ista sunt Communia omnibus personis, non verò notiones. Hoc autẽ nomine (propria) nõ significatur notionem vni soli personæ conuenire: Nam communis spiratio conuenit duabus; sed significatur, quod debeat esse forma singularis, nõ cõmunis omnibus, & quæ sit specialis, & determinata, non formalitèr diuisibilis. Id enim, quòd est omnibus cõmune, & indeterminatum, non est sufficiens nota, & principium cognoscendi aliquod determinatum. Et ideò ordo naturæ, esse ab alio, vel missio, licèt pertineant ad originem, non sunt tamen notiones: quia nõn dicunt aliquid singulare, & speciale formalitèr indiuisibile, diuiduntur enim in esse ab alio per intellectũ, & esse ab alio per voluntatem. Idem dicimus de prædicatis negatiuis, relatis in primo Argumento, quæ non dicunt aliquam

ratio-

rationem specialem, & determinatam, vt infra ostendemus.

Tertia particula scilicèt (cognoscendi) distinguit notionē à relatione, & proprietate etiam personali, & ostendit, quē ordinem habeant ista inter se. Primum patet: Nàm relatio dicitur in ordine ad correlatiuum, proprietas verò, in qua non conuenit omnibus, proprietas verò personalis dicitur, vt constituit personam, sed notio dicitur, vt est principium formale cognoscendi personam.

Secund verò etiam patet: Quia nihil potest esse principiū notificādi aliud, nisi sit illi proprium: & nihil est proprium alicui personæ, nisi ipsa sit constituta, & distincta ab alijs, & ideò priùs forma in Diuinis habet rationem proprietatis personalis, & relationis, qua persona constituitur, & distinguitur, secundò habet rationem proprietatis, & tertiò habet rationem notionis. Ità D. Th. in 1. d. 26. Quæst. 2. Art. 3.

Ex hoc sequitur notionem, vt sic, inuoluere respectum rationis: Nàm significat aliquod in ordine ad nostrum intellectum, quatenus per illud notificatur persona, non tamèn ideò erit nomen secundæ intentionis, vt vult Suarez 5. de Trin. Cap. 9. in fine: quia non significat relationem, fundatam super esse etiam cognitum, quod requiritur ad secundam intentionem, vt suppono ex logicis.

Quarta particula scilicèt (personā diuinā) insinuat, notionem significare aliquid pertinens ad originem, & dicens dignitatem personæ. Primum patet: Nàm notio est ratio propria cognoscendi personā diuinā. Sed non cognoscitur, secundum sibi propria, nisi cognoscatur secundum aliquid pertinens ad originem, & dicens dignitatem personalem: quia omnia propria sunt huiusmodi, Ergò.

Declaratur hoc Quæst. 29. Art. 3. diximus personam dicere aliquā dignitatem: quia dicit suppositum naturę intellectualis, quæ est perfecta. Ità hoc explicat D. Th. infrà Quæst. 40. Art. 3. ad 1. & in 1. d. 26. Quæst. 6. Art. 2. ad 3. omnes verò notiones dicunt aliquod pertinens ad naturam intellectualem, paternitas enim, & Filiatio dicunt easdem relationes, quas important dicens, & verbum, quæ certum est solùm pertinere ad rationem intellectualem, & per Consequens importare eius dignitatem, & idem est de spiratione, & processione: quia dicunt relationes, prouenientes ex actu voluntatis, qui solùm conuenit naturę intellectuali, similitèr innascibilitas: quia importat priuationem omnis principij, & productionis, quæ non potest reperiri, nisi in substātia intellectuali, Cōsequēter importat dignitatē &c.

Ex hoc sequitur, quare D. Th. hiç ad 4. ait non esse notionem Spi-

ritus Sancti, quod nullus ab eo procedat: quia hoc non dicit dignitatem. Ratio huius non est: quia aliqua dignitas, sit in Patre, quæ non sit in spiritus Sancto, vt voluit Suarez 5. de Trin. Cap. 10. & Vazquez hic disp. 137. dicentes singulas notiones dicere diuersas dignitates (cõtrarium enim docet D. Th. infrà Quæst. 42. Art. 4. ad 2. dicens, quod, quia in absolutis idem numero, & eodem modo reperitur in omnibus personis diuinis, & dignitas dicit aliquid absolutum, ideò eadem dignitas est, Patrem esse principium Filij, & Spiritus Sancti, & Filium esse productum à Patre, & producere Spiritum Sanctum, & Spiritum Sanctum nullius personę esse principium.

Ratio, Ergò quam D. Th. insinuat hic ad 4. ea est, quod .s. id, quòd explicatur per hoc nomen, nullius personæ esse principium, non necessariò supponit dignitatem naturæ intellectualis: quia potest verificari de inanimatis, & non entibus, & ideò non dicit dignitatem naturæ intellectualis, quam dicit innascibilitas: quia, vt est priuatiuum modo, quo explicabitur Quæst. Sequenti non potest reperiri, nisi in supposito naturæ intellectualis.

Dico secundò: Notiones diuinæ tantum sunt quinque.

HAec Conclusio est communis Theologorũ, & adeò certa, vt Seraphinus Capponius hic censeat contrarium esse temerarium; Ratio verò Concl. est, quæ habetur in Articulo; quam alitèr explicat D. Tho. in p. d. 26. Quæst. 2. Art. 3. & Durandus ibi Quæst. 2. Vide ibi.

Dico tertiò, Quando D. Tho. hic ait communem spirationem non esse proprietatem, non loquitur de omni proprietate Sed de proprietate Personæ, vel Personali.

PRobatur: Nàm idem D. Thomas infrà Quæst. 40. Art. 3. & 4. expressè docet communẽ spirationẽ esse proprietatẽ, & probatur primò: Nàm est notio, Ergò non propria &c. Ergò proprietas: Nàm ratio propria, cum sit abstractum, idem est, quod proprietas. Secundò; Quia, cum non sit aliquid absolutum, non est commune tribus personis: Ergò est aliquid proprium alicui, vel aliquibus personis, & per Consequens proprietas: quia ibi idem sunt abstractum, & concretum &c.

Secunda pars etiā prob. Nam idem D. Thom. primo ad Hannib. d. 27. Quæst. 1. Art. 1. ad 3. expræsse ait, communem ſpirationem nō eſſe proprietatem: quia non conſtituit perſonam, nec proprietatem perſonæ: quia non conuenit vni ſoli. Vocanda eſt, Ergò PROPRIETAS RELATIVA innominata. Ità eam vocat D. Th. in prædicto Art. 4. Quæſtionis Quadrageſimæ.

Ad primum, Ergò in contrarium. Nego Min. Ad primā probationem de inſpirabilitate varias ſolutiones aſſignant Theologi, & præter eam, quam habet Caiet. hic, ſolent adhiberi aliæ duæ. Prima eſt, inſpirabilitatem conſequi relationem, & originem, & non dicere ſpecialem dignitatem perſonalem, & ideò non eſse notionem, innaſcibilitatem verò præcedere Paternitatem, & dicere ſpecialem dignitatem Patris, quod ſcilicèt ſit omninò improductus, & ideò eſse ſpecialem notionem. Ità Suarez lib. 5. de Trin. Cap. 10.

Secunda eſt, differre inter inſpirabilitatem, & innaſcibilitatem; quod inſpirabilitas eſt aliquid negatiuum, nullam dicens dignitatē, & ideò non eſt notio. Innaſcibilitas verò eſt notio: quia licèt expræſsè, & formalitèr videatur dicere negationē, tamen materialitèr, & directè dicit poſitiuam dignitatem Patris, ſcilicèt plenitudinem, & fontalitatem primi principij. Ità Vazq. hic diſp. 137. Cap. 5.

Sed cōtra primum ſolutionē eſt, quod dignitas eadem, vt diximus, eſt in omnibus perſonis, & ideò innaſcibilitas non dicit ſpecialem dignitatem.

Secundò: quia ratio conſtitutiua perſonę, vt ſic, præcedit omnem eius proprietatem, vt in tertia parte .i. Concluſ. diximus ex D. Tho. in 1. d. 26. Quæſt. 1. Art. 3. Ergò innaſcibilitas, quæ eſt proprietas Patris, non præcedit, ſed ſubſequitur Paternitatem, quæ eſt conſtitutiua Patris, maximè quia eſt negatiua, & non poteſt primò intelligi in Patre: quia affirmatio intellectu eſt prior negatione, vel priuatione.

Contra ſecundā etiā ſolutionem facit: quia, ſi innaſcibilitas eſt notio: quia de materiali dicit rationem principij generantis, & ſpirantis, ſimilitèr inſpirabilitas, conueniens Patri, & Filio, erit notio: quia de materiali dicet rationem principij generantis, & ſpirantis, &c.

Secundò: Quia ratio pleni, & fontalis principij integratur ex ratione principij generantis, & ſpirantis, ſed ratio ſic integrata ex duabus notionibus, non eſt ſpecialis notio, aliàs ex Filiatione, & ſpiratione actiua conſurgeret alia ſexta notio propria Filio: Ergò. Maior negatur ab aliquibus recentioribus, qui cenſent, rationem fontalis

principij

principij esse vniuersalem respectû principij generantis, & spirãtis, & licèt hoc esset verùm, non posset esse specialis notio: quia, vt diximus, in 2.p. 1. Concl. notio debet dicere aliquid singulare, & nõ vniuersale. Sed, quod non dicat talem rationem vniuersalẽ, probatur duplicitèr. Primò: quia aliàs ratio fontalis principij cum reduplicatione prædicaretur de qualibet notione particularis principij diuini: Nàm superiora essentialia sic prædicantur de suis inferioribus: Consequens tamèn est falsum: quia Pater, vt spirans, non habet rationem fontalis, primi, & pleni principij Deitatis: Sed hæc ratio conuenit illi, vt est principium per intellectum simul, & voluntatem. Secundò: Quia aliàs talis ratio conueniret Filio, quod est falsum. Sequella patet: Nàm esse principium Spiritus Sancti eodem modo conuenit Patri, & Filio: Ergò si ratio fontalis, pleni, & primi principij Deitatis, conuenit Patri, quia est principium Spiritus Sancti tamquam superior ad istam rationem principij, dicetur etiã de Filio; habent enim communia omnia prædicata specialia, in quibus non opponuntur, & eorum superiora: non opponuntur autẽ in esse principij Spiritus Sancti. Hoc Ergò supposito, probatur nostra Maior: Nàm ratio fontalis, & pleni principij Deitatis est positiua, & propria Patri; & non dicit specialem relationem; distinctã à quatuor numeratis in Art., aliàs in Deo essent quinq; relationes reales; nec verò dicit rationem vniuersalem, vt probatum est: Ergò dicit rationem, veluti integratam ex illis duabus; quia non restat alia ratio, quam possit importare. Declaratur hoc exemplo. Integra, & totalis perfectio hominis, non dicit rationem vniuersalem in prædicãdo, & superiorem ad quamlibet perfectionẽ hominis: neq; verò dicit aliquam specialem perfectionem, distinctam à singulis, Sed dicit easdem perfectiones, vt integrè exornant hominem, vel rationem perfectionis integratam ex omnibus. Eodem Ergò modo debemus philosofari de ratione fontalis, & pleni principij Deitatis, quæ conuenit Patri.

His Ergò, & alijs solutionibus ommissis, vera ratio differentiæ assignatur à D. Th. in primo vbi supra, & in p. ad Hãnib. dist. 28. Quæst. 1. Art. 1. ad 3. . s., quod hæc est differentia inter negationem essendi ab aliquo principio in speciali, & negationem essendi generalitèr ab omni principio; quòd prima non potest esse notio, quia non significat aliquid speciale, pertinens ad dignitatem naturæ intellectualis: quia, quo affirmatio est magis specialis, eo negatio illius est communior, & vniuersalior. v. g. NON HOMO est quid cõmunius, quàm NON

ANI-

ANIMAL, quia omne non Animal est non homo, & non è contra. Et ideò negatio essendi à principio speciali, .s. voluntate, potest conuenire suppositis naturæ inanimatæ, & ideò non dicit dignitatem naturæ intellectualis, requisitæ ad Personam: Negatio verò essendi à principio in generali, dicit aliquid specialius, pertinens ad dignitatē naturæ intellectualis; quia, vt dictum est, solùm supposito illius potest competere non esse ab aliquo principio, & ideò illa potest esse notio. Differentia Ergò est, quod innascibilitas, quia dicit negationem essendi à principio in generali, dicit aliquid speciale, pertinens ad dignitatem Personæ, & ideò est notio: inspirabilitas verò non, quia dicit negationem essendi à principio, in speciali; & ideò non dicit aliquid speciale, pertinens ad talem dignitatem. Hanc solutionem quam etiam sequitur Capræol.in 1.dist.28.reijcit Caiet.hic, sed eius argumentum soluetur Quæst.seq. Art.4. Et per hæc patet, ad cæteras probat. Nàm, quia illæ negationes essendi principium speciale, vel à principio speciali, non dicunt aliquid speciale pertinens ad dignitatem Personæ, ideò non sunt notiones.

Ad secundum. Nego Min. Nàm notio debet esse forma, quæ ratione sui sit propria, & significetur in facto esse, quia est principium cognoscendi Personam perfectam, & in facto esse. Illæ verò sex notiones relatæ in argumento significant in recto essentiam, vel actum intellectus, & voluntatis, connotando in obliquo relationem, vt dicemus Quæst.40. Art.2.dub.1. Concl.2. & ideò, cum per se non dicant in recto aliquid proprium, sicut relationes, non sunt notiones. Et prætereà, quia origines non significantur, vt forma in facto esse, sed in fieri, & per modum viæ. Augustinus verò, & Cirillus loquūtur de genitore, & genito, ratione relationum, quas important.

Ad tertium. Nego Antecedens, quia, vt dictū est Concl. prima, non dicit aliquid determinatum, sed vniuersale, respectu generationis, & spirationis. Ad probationem verò ratio D. Thom. infrà Quæst. 42. Art. 3. ad 1. satis esse, si dicat rationem communem notionis, & non aliquam in speciali. Similiter ad confir.

Ad quartum. Nego Antecedens. Ad 1.prob.in sol.ad 1.diximus, quod ratio fontalis principij non est specialis notio, nec per illam cognoscitur Pater, alitèr, quàm per Paternitatem, & spirationem simul. Ad secundum probat. R. illam Maioritatem solùm significare Patrem esse principium Filij, & ità illa non est distincta notio à Paternitate. Ad aliàs probationes D. Thom. infrà Quæst.34.Art.2.ad 3. ait per rationem Verbi, & imaginis, importari eadem relationem, &

notio-

notionem, quam importat Filius. Dequo diximus suprà Quæst. 27. Art. 2. d. 2. & ideò non dicunt speciales notiones; eo vel maximè, quòd, si verbum, vel imago, aliquo modo distinguitur à Filio, est, vel, quia dicunt aliquam rationem superiorem ad Filium diuinum; & ideò non dicunt speciales notiones; vel, si in ratione verbi includitur aliquis respectus ad Creaturas, quem non dicat Filius, & ratione illius distinguantur, illum respectum importat ratione essentiæ, inclusæ in Verbo, vt diximus præd. d. 2. & ideò, vt sic, talis respectus conueniet omnibus Personis ratione essentiæ, & non erit specialis ratio cognoscendi Filiũ. Ratio etiã amoris non distinguitur à ratione spirationis, & ratio boni est superior ad rationem amoris, omnis enim amor donatur, & ideò istæ rationes non sunt notiones speciales, sed distinctæ.

Ad quintum. Nego Antecedens; Nàm, quia vnam Personam excedere Creaturas, non dicit relationem oppositam cæteris Personis, ideò talis eminentia est communis omnibus, & non potest esse specialis notio alicuius, nec ratio propria cognoscendi illam. Similiter ex causalitate Creaturarum non potest sumi aliqua ratio propria, quia talis causalitas, est communis omnibus Personis, sicut & potẽtia Dei. Locus autẽ citatus, vt explicat gl. ibi, loquitur de Patre per Creationem, vel adoptionem, quod est commune Trinitati. Quod autem subditur, Domini nostri Iesu Christi, nõ habetur in græco, & potest intelligi de humanitate Christi, cuius Pater, idest cõditor, fuit Deus Vel dicatur, quod ratio Patris prius dicitur de Patre notionalitèr sumpto, quam de Patre Creato, vt explicat D. Thom. Quæst. seq. Art. 2. ad 4. & Art. 3. & ideò ibi nõ significatur, à Patre notionalitèr sũpto causari Paternitatem Creaturarum; sed, quod denominatio Patris Creaturis conuenit, quia prius, & principalius dicitur de Patre diuino notionalitèr sumpto.

Circa secundam Conclusionem.

Dubitatur secundò. An Paternitas, & Spiratio actiua, distinguantur realitèr, vel formalitèr ex natura rei.

VIdetur, quòd sic: Primò Nàm teste D. Th. hic, & suprà Quæst. 28. Art. 4. sunt duæ relationes reales: Ergò sunt duæ res, vel duæ formalitates reales. Probo Consequentiam: Quia relatio realis est essentialitèr inferior ad rem, vel formalitatem realem: Sed multiplicato

cato

cato inferiori, multiplicatur inferius essentialiter: Ergò multiplicata relatione reali, multiplicantur res, vel formalitates reales.

Confirmatur primò; Quia, si essent vna res, vel vna tantùm formalitas realis, non essent vna res relatiuæ, sed absoluta: consequens est falsum, quia aliàs non magis identificarentur, quam Paternitas, & Filiatio, quæ sunt vna res absoluta, scilicèt essentia: Ergò; sequella patet: Quia, si essent vna res, vel formalitas relatiua, essent vna relatio, & non duæ; Nàm relatio, & res, vel formalitas relatiua, sunt idem formalitèr: Ergò habent eamdem vnitatem, vel multiplicitatem.

Confirmatur secundò. De ratione numeri (etiam transcendentalis) est actualis distinctio: Sed istæ relationes, quia sunt duæ relationes reales, constituunt determinatiuũ relationum realium: Ergò habent actualem distinctionem, realem, vel formalem.

Secundò arguitur. Istæ relationes habent terminos, ex natura rei, & realitèr distinctos, & oppositos: Ergò habent distinctos respectus reales, & per consequens, distinguuntur realitèr in esse relationis. Antecedens patet: Nàm realitèr distinguuntur, & opponuntur Filius, & Spiritus Sanctus, qui sunt termini talium relationum. Consequentia verò pro prima parte probatur: Quia vnus respectus formalis, non potest terminari ad distinctos, & oppositos terminos. Pro secunda verò parte, probatur eadem consequentia: Quia iste respectus, qui vocatur AD, est vltima formalitas relationis: Ergò, illo realitèr multiplicato, relatio multiplicabitur realitèr.

Tertiò. Realitas respectiua, quæ est Paternitas, est verum AD reale, quia est vera relatio realis: Sed non est tantùm AD Paternitatis, vel tantùm AD spirationis, vel AD commune vtriq;: Ergò sunt duo AD, formalitèr, vel realitèr distincta. Min. pro 1. & 2. parte probatur: Quia, si esset tantùm AD Paternitatis, non esset formalitèr spiratio; & si esset tantùm AD spirationis, non esset formalitèr Paternitas: Ergò. Pro tertia etiã parte probatur: Quia illi non correspondet ex parte Filij, & Spiritus Sancti, vnus terminus communis, sed duæ relationes distinctæ, & oppositæ: Ergò.

Quartò. Istæ relationes habent diffinitiones reales, distinctas ex natura rei ante omnem actum intellectus: Ergò ex natura rei saltem distinguuntur. Consequentia probatur: Quia diffinitio, dicit essentiam specificam, aut quasi specificam: Ergò quæ habent diffinitiones distinctas ex natura rei, habent essentias, eodem modo distinctas. Antecedens verò probatur: Nàm, Pater, est, qui habet Filium; spirator verò, qui producit Spiritum Sanctum: istæ autem diffinitiones,

quia dicunt terminos distinctos ex natura rei, eodem modo debent ipsæ distingui, cum aliquid ex natura rei includat vna, quòd non dicit altera.

Quinto Relationes producentis, & producti, nō sunt eadem relatio realitèr: Ergò Filiatio, quæ est relatio producti, & spiratio in Filio, quæ est relatio producentis, non sunt eadem relatio realis; & per consequens, nec Paternitas, & spiratio, quia est eadem ratio de vtraq;

Confirmatur. Quia aliàs, Paternitas esset spiratió: consequens est falsum: Ergò, Sequella probatur: Nàm, quæ sunt idem formalitèr, prædicantur inuicem de se, vt iustitia Dei, est eius materia; vt docent Greg. 18. mor. Cap. 24. Aug. 6. de Trinit. & Bern. 5. de Consid. Ergò Paternitas, prædicabitur de Spiratione, si sunt idem formalitèr. Min. verò probatur: Quia sunt duæ species, condistinctæ relationis, & vna species, non prædicatur formaliter, de altera condistincta.

Sed Cont. est D. Thom. hic ad 3. dicens, Istas relationes, non distingui realitèr.

In hoc dubio, sunt quattuor sententiæ. Prima est, Istas relationes esse vnam solam, & sola voce differre; & ità neq; in Deo, esse quattuor relationes, neq; in Patre duas. Ità Ocham in 1. dist. 27. Quæst. 1. & Gabr. ibidem, & dist. 28. & etiam esse probabilem, putat Suarez 4. de Trin. Cap. 7.

Secunda est; spirationem distingui Paternitate, non tamquam aliud suppositum, sed tanquam rem, vel formam relatiuam, ex natura rei, distinctam à Paternitate, maiori distinctione, quàm sit inter essentiam, & relationes; quàm authores huius sententiæ, dicunt, esse ex natura rei. Ita dur. in 1. dist. 13. Quæst. 2. & Bassolis ibidem.

Tertia est; Istas relationes, non distingui in esse rei, benè tantùm, distingui, quasi specificè in Genere relationis, quia distinguuntur per proprias differentias relationum. Ità insinuat D. Thom. in 1. d. 27. Quæst. 1. Art. 1. & Capræolus d. 13. Quæst. 1. Art. 2. & Palatius ibid. disp. 2.

Quarta est, Illas, solùm distingui ratione ratiocinata, virtualiter, vel eminentèr. Ità Daniel hic, & Caiet. Art. 2.

Sed

Sed pro explicatione:

Dico primò. Paternitas, & spiratio, sunt duæ relationes reales.

QVæ dicemus de Paternitate, & spiratione, quoad identitatem, vel distinctionem, intelliguuntur etiam dicta de Filiatione, & spiratione.

Hæc Conclusio est D. Thom. hic, & suprà Quæst. 28. Art. 4. & est communis Theologorum; &

Probatur primò. Quia illis correspondent duo termini reales, & formaliter diuersi, & eiusdem ordinis, Ergò. Antecedens patet: Nam Paternitati, correspondet Filiatio, & spirationi, Processio, qui sunt termini, quasi specificè distincti, & eiusdem ordinis, & reales; Consequētia verò probatur: Quia relationes reales, multiplicātur iuxtà talem distinctionem terminorum.

Secundò, Intèr principium, & id, quòd est à principio, si sit eiusdē ordinis, est relatio mutua: sicut Pater, & Filius, sunt principium reale Spiritus Sancti, qui est eiusdem naturæ, & ordinis, Ergò spiratio, quæ est relatio eorum ad illam, est relatio realis, & est distincta à Paternitate, cum habeant diuersum terminum, Ergò.

Tertiò. Datur realis origo actiua Spiritus Sancti, distincta à generatione Filij, Ergò dantur duæ relationes reales, scilicèt Paternitas, & Filiatio. Antecedēs patet ex dictis Qu. 27. & consequentia probatur: Quia origines diuinæ, vel sunt relationes, vel includunt illas, vt dicemus Quæst. 41.

Hinc sequitur, quòd PP. qui parùm meminerunt relationis, quæ dicitur spiratio, intellexerunt illam, sub nomine originis spiratiuæ, quæ includit talem relationem.

Dico secundò. Paternitas, nec realitèr, neque actualitèr formalitèr, aut ex natura rei, distinguitur à spiratione.

ITà D. Tho. hic ad 3. & Aegidius in p. d. 27. Art. 1. Quæst. 1. & Argent. ibi Quæst. 1. Art. 2. & Scholastici communitèr, ibi, & dist. 13.

Et prima eius pars est adeò certa, vt oppositum sit error, vel valdè proximum errori, & patet primo. Quia in Diuinis omnia, quæ non opponuntur relatiuè, sunt eadem res; sed paternitas, & spiratio sic opponuntur, Ergò.

Secundò: quia aliàs, in Diuinis, esset numerus quaternarius rerum, quod est contra Concil. Lateranense, imò, & quaternitas personarũ, quia si spiratio, realitèr distinguitur à Paternitate, & Filiatione, erit quatuor personę: quia est relatio substantialis, & esset incommunicabilis pro identitate, cum realitèr distinguatur à Paternitate, & Filiatione.

Tertiò: Quia aliàs, Pater componeretur ex duabus rebus, scilicèt Paternitate, & spirationi, quarum altera scilicèt haberet, vt actus, altera, vt potentia, & Spiritus Sanctus, esset simpliciter Pater.

Hæc, & alia Argumenta formabamus contra Durandum suprà Quæst. 28. Art. 2. D. 1. Con. 2. & militant contra istam sententiam: Ibidem esse Con. 5. ostendimus contra Scotum, relationes non distingui formaliter ab essentia: quia aliàs, in Deo esset quaternitas rationũ formalium, & quia Pater esset compositus, & quia illæ rationes non opponuntur interse, Et omnia ista, & cætera probant eodem modo paternitatem, non distingui à spiratione, ex natura rei.

Dico tertiò. Istæ relationes aliquo modo distinguuntur, veluti specificè intra genus relationis.

HAec sententia est D. Th. vbi citatus est in tertia sententia, & quomodo: Quia aliàs in Deo darentur plures rationes, solo numero differentes, quòd est impossibile, vt ostendetur infrà Quæst. 41. Art. 6. Sequella patet: Nàm sunt plures relationes, vt dictum est, Ergò, si non sunt plures veluti specie, erunt plures saltèm numero.

Secundò: quia terminantur ad terminos, veluti specie, distinctos: Ergò iuxta istam sententiam D. Thò. Art. 2. hic, ipsæ etiam debent etiam plures velutispiratio: Nàm relatio vna specie, non terminatur ad plures totales relationes, specie distinctas.

Tertiò. Hoc probat quartum Argumentum factum à principio: quia scilicèt aliquod clauditur in difinitione vnius, quòd non clauditur in difinitio alterius.

Ex hoc sequitur; Istas relationes aliquo modo, & secundum quid distingui

ſtingui realitèr, non intrinſecè, ſed extrinſecè, penes terminos, quos reſpiciunt: Nàm diſtinguuntur penes terminos reales, realitèr diſtinctos, ſed termini ſunt illis extrinſeci, Ergò diſtinguūtur realitèr aliquo modo, & ſecundum quid, ſcilicèt extrinſecè penes terminos.

Dico quartò. Iſtæ relationes, quantùm ad totum, quod dicunt, intrinſecè ſolum diſtinguuntur ſpecie virtualitèr, & eminentèr.

HAec Concluſio videtur eſſe D.Th. hìc ad 3. & Quæſt.40. Art.5. ad 1. vbi inter has relationes ponit eandem diſtinctionem, quæ eſt inter eſſentiam, & relationes: ſed illa ſolùm eſt virtualis, & eminens, Ergò.

Secundò. In Diuinis, quæ non opponuntur relatiuè, eſt admittēda omnis formalis identitas poſſibilis; hoc enim pertinet ad omnimodam perfectionem, & ſimplicitatem Dei: ſed iſtæ relationes non opponūtur relatiuè inter ſe, Ergò habent inter ſe omnimodam identitatem formalem actualem, & ſolùm virtualitèr diſtinguuntur: quia ſcilicèt, ſunt vna ſimpliciſſima forma, ità eminentior, vt æqui polleat duabus, & exequatur propria vtriuſq; ac, ſi eſſent duæ res diſtinctæ, ſicut Quæſt. 28. Art. 2. D. 1. diximus in ſimili de eſſentia, & relatione.

Ad primum, Ergò Reſp. ex Caiet. Art. 2. D. Tho. ſolùm velle illas relationes eſſe duas virtualitèr, vel eminētèr, nō actualitèr formalitèr. Verificatur autem in Deo eſſe quatuor relationes: quia tres earum sūt realitèr actualitèr diſtinctæ, quarta autem ſolùm virtualitèr diſtinguitur à paternitate, & Filiatione, & ità ſicut paternitas, & ſpiratio, nō ſunt duæ relationes diſtinctæ actualitèr realitèr, vel formalitèr, ſed ſolùm virtualiter, ità non ſunt duæ res, vel duæ formalitates actualiter diſtinctæ, ſed ſolùm virtualitèr.

Ad p. Confirmationem. Nego Sequellam: Nàm Capræol. in 1. d. 13. Quæſt. 1. Art. 2. ad 3. Dur. contra primam concedit, paternitatem, & Filiationem eſſe vnam rem relatiuam, ſcilicèt ſpirationem. Ad probationem etiam nego Sequellam: quia licèt relatio, & res relatiua ſignificent eamdem rem, ſignificant tamèn illam ſub diuerſis rationibus. Relatio ſignificat illam, vt reſpicit terminum, res verò, vt in ſe eſt quædam forma, & quia in ſe eſt vna ſimplex forma, reſpiciens tamen plures terminos; ideò eſt vna res relatiua, & duæ relationes.

Ad secundam. Confirmat. distinguo Antecedens, de ratione numeri actualis, Concedo Antecedens: numeri virtualis, Nego Antecedens, numerus autèm istarum duarum relationum, est virtualis, sicut earum distinctio.

Ad secundum principale distinguo Consequens, respectus reales, virtualitèr distinctos specie, Concedo Consequentiam, actualitèr distinctos, Nego Consequentiam, respectus autem, qui realitèr est tantùm vnus, & virtualitèr multi, teste Caiet. Art. 2. potest terminari ad terminos, actualitèr specie distinctos.

Ad tertium. Nego Consequentiam; quia satis est, si sint duo AD realia, solùm virtualitèr distincta.

Ad quartum distinguo Antecedens, diffinitiones ex natura rei distinctas, quoad extrinseca, scilicèt terminos, Cōcedo Antecedēs, quoad intrinseca, Nego Antecedens: Nàm intrinseca realitas illius AD, eminentèr continet, & exequitur propria paternitatis, & spirationis, & ità vnica adæquata diffinitio illius complectetur propria vtriusq; quoad sibi intrinseca.

Ad quintum distinguo Antecedens, Relatio producentis, & producti, respectu eiusdem: Non potest esse eadem res, vel eadem relatio, Concedo Antecedens, relatio producentis, & producti, respectu diuersorum, non potest esse eadem res, vel relatio realitèr eadem, & virtualitèr distincta, Nego Antecedens, & ità contingit hic.

Ad Confirmationem Gabriel concedit sequellam. Negat tamen illam D. Th. hic ad tertiū. Scotus, Aegidius &c. differentia est; quia in hac, iustitia est misericordia, misericordia Dei nō prædicatur de illa iustitia secundum id, in quo differt ab ea, quia solum differunt ratione secundum diuersos conceptus; & talis distinctio non importatur in illa prædicatione: importatur autem in hac, Attributum iustitiæ est attributū misericordiæ; quia attributum iustitiæ significat illam, vt cōcepta cōceptu imperfecto, distinguitur à cōceptu misericordiæ; & est sēsus, quod iustitia, vt à nobis cōcipitur, est misericordia, cōcepta sub cōceptu misericordię: In hac vero Paternitas est spiratio, prędicatur de Paternitate spiratio, vt distinguitur ab illa ratione, & veluti specie; Nàm Paternitas significatur, vt ratio, & forma relatiua, veluti exercens actum referendi suum subiectum ad proprium terminum; & est sensus, quòd Paternitas, vt est ratio referendi ad Filium, est ratio referendi ad Spiritum Sanctum, quod est falsum, quia distinguuntur, vt referuntur ad diuersos terminos, vt dictum est. De quo latius Caiet. hic in sol. ad 3. *Art. 4. Vide in D. Tho, Caiet. & Capponio.*

Articu-

QVÆSTIO XXXIII.

DE PERSONA PATRIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

An competat Patri esse principium. Conclusio est affirmatiua.



IRCA istum Articulum notandum est, quod præter hoc nomen, Pater, quod explicabitur Art. sequen. SS. PP. tribuunt alia quinq; nomina primæ Personæ Trinitati. Primum est, principium, secundum fons, & origo, tertium, Author, quartum, Initiabilis, quintum, causa. Quorum singula explicanda sunt.

Patrem vocari principium, patet ex illo Ioa. 1. In principio erat Verbum, idest in Patre: & ex illo Psal. 109. Tecum principium &c. quæ loca, licèt habeant alias expositiones, debere tamen intelligi de Patre, quod sit principium, docent Aug. lib. 6. de Trinit. Cap. 2. & Psal. 109. Cirillus lib. 1. in Ioan. Cap. 2. & Orig. hom. 1. in diuersos.

Sed est notandum, quòd hoc nomen, principium, absolutè sumptum, non est proprium Patri, benè tamen, si aliquid addatur.

Primum patet: Nàm Filius etiam vocatur principium, & quia est principium Spiritus Sancti, vt dicitur in Cap. firmiter de Sum. Trin. & habet Aug. 13. de Trin. Cap. 13. & quia etiam est principium Creaturarum; ideò enim de Filio intelligitur illud Gen. 1. In principio fecit Deus cęlum, & terram, idest in Filio, vt exponunt Aug. 4. de Gen. ad litteram Cap. 5. Glosa interl. & alij, & in eodem etiã sensu dixit Christus de se Io. 8. Ego principium, qui & loquor vobis. Ita exponunt Ambros. 3. de fide Cap. 4. & lib. 5. Cap. 5. & 1. Hen. Cap. 2. &

4. Aug. Psal. 109. & lib. 10. de Ciuit. Cap. 24. & lib. 11. Cap. 32. & lib. 5. de Trin. Cap. 13.

Secunda etiam explicatur: Nàm Ideo à Sanctis Patribus Pater non solùm vocatur principium, Sed cum addito principium Filij, vel (quòd est secundum nomen) fons, vel origo, aut principium totius Deitatis, ità vocant eum Aug. 4. de Trin. Cap. 20. Dionis. Cap. 3. de diuinis nominibus Concil. Tollet. VI. & XI. vtrumq; in confessione fidei, quòd non sic intelligitur quasi Pater sit principium Deitatis producendæ: quia diuinitas non producitur, nec Deitatis quomodocumq; communicandæ: Nàm etiam Filius est principium illius communicandæ per voluntatem, sed quia est principium omnis communicationis ad intra, quæ conuenit Deitati, vel, quià est principium, fons, & origo omnium personarum, quæ procedunt in diuinis. Ità Mag. in 1. dist. 29. vel sumitur in eodem sensu abstractum pro concreto, & est distributio commoda non pro omnibus personis, sed pro omnibus, quæ procedunt, in quo etiam sensu Concil. Bermacense in confessione fidei, vocat Patrem principium totius Trinitatis, idest, omnium personarum, quæ in Trinitate procedunt.

Dubitant autem Theologi, an hoc nomen, principium, dictum de Deo, vt est principium diuinarum personarum, & Creaturarum dicatur vniuocè, an Analogicè, Henric. enim, & alij, quos refert Capræol. in 1. dist. 29. Quæst. 1. cont. 3. Conclusionem, tenent esse vniuocum: alij verò tenent esse æquiuocum, vel Analogum: Dicendum tamen est, quòd aut nomine principij significamus formam, ratione cuius conuenit Deo relatio principij ad intra, & ad extra, aut significamus ipsam relationem principij ad intra, & ad extra, Si loquamur de principio primo modo, sic dicetur vniuocè: quia eadem est forma, scilicèt, Deitas, quæ est principium quo ad intra, & ad extra. Ità D. Thom. in 1. dist. 7. Quæst. 1. Art. 3. Neq; incōuenit, multa nomina vniuocè prædicari de essentialibus, & notionalibus, sicut res, forma, quiditas &c. Si verò loquamur de principio secundo modo, & tertio, sic dicitur Analogicè de Deo, vt est principium ad intra, & extra: quia, vt est principium ad intra, dicit relationem realem: vt verò est principium ad extra, dicit relationem rationis, & nihil est vniuocum vtriq; relationi.

Tertium nomen scilicèt AVCTOR, teste Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 24. dupliciter sumitur, vno modo propriè, vt dicit principium sine principio. ità D. Thom. in 1. dist. 29. Quæst. 1. Art. 1. Alio modo largè, vt significat principium quodcumq; etiam si sit ab alio. In

prima

prima acceptione est nomen proprium patri, quòd tribuunt illi Aug. lib.3.contra Maximinum Cap. 14. & Hylar. 4. de Trinit.: quia ipse solus est principium sine principio.

In secunda autem acceptione Filius vocatur auctor Spiritu Sancti. Ità Hylar.2.& 4.de Trinit., & patet ratione D.Thom.4.contra Gent. Cap. 24. Nàm Persona diuina mitens aliam, est auctor illius, vel habet auctoritatem suprà illam, sed Filius mittit Spiritum Sanctum, vt dicitur. Ioan.15. Ergò. Hac ratione Euadius lib. contra Arrianos, qui habetur Tomo 5. Bibliothæcæ veterum Patrum, vt distinguat Patrem à Filio vocat eum auctorem sine auctore, idest, sine principio. Videndus est autem D.Thom.infra Quæst.36. Art.4. ad 7. quo modo hoc nomen AVCTOR aliquandò sumatur adiectiuè pro eo, quod est spirans, & sic proprie conuenit etiam Filio.

Quartũ. Nomen, scilicèt INITIABILE tribuit Patri Hylar.lib. 4.de Trinitate, sumitur autem initiabilis pro initiatiuo, ità D.Thom. in 1.dist.29.in expositione litteræ vbi Magist., ait, Patrem sic vocari: quia omnia sunt ab illo; intelligitur autem hoc de omnibus Personis diuinis procedentibus: Nàm si tantum intelligeretur de Creaturis, tale nomen esset commune omnibus Personis diuinis: quia omnes sunt principium Creaturarum, verum est, quòd initium significat principium durationis, quo carent Personæ diuinæ, & ideò acceptio prædicta INITIABILIS non debet esse in vsu.

Quintũ. Nomen est CAVSA, quod apud Græcos significat idem, quod principium sine aliqua imperfectione, & ideò illud aliqui tribuunt Patri. Ità Orige. hom.2. in diuersos Basil. lib.1.2.3., & 4.cõtra Eunomium. Nicenus in Opusc. Quod non sint tres Dij. Nazian. Oratione 29. Damasc.lib.1. de fide Cap.8. & 11.Hylar. lib.9.de Trin. Aug.lib.83. Quæstionum Quæst.16. & Concilium Floren. sessione vltima, & alij relati à D. Tho. Opusc.1. Cap.1. Sed, quia teste eodem D.Th. in 1.d.29. Quæst.1. Art.1. Causa apud Latinos significat, id quod producit aliud distinctum secundum esse, & hoc non reperitur in diuinis personis ad intra, ideò nulla earum est dicenda causa alterius apud Latinos, quicquid dicat Aureolus. De quo Caiet. hic circa solutionem ad primum. Vidè, quæ diximus Quæst.27.Art.1. dub.1. Ad Confirmationem tertij.

ARTICVLVS II.

An hoc nomen PATER sit proprium primæ Personæ diuinæ.

Conclusio est affirmatiua.

DVBITATVR.

An conclusio sit vera.



IDETVR quod nõ, primo, quia vt dicitur in c. De proprio, propriũ sẽper cõuenit ei, cuius est propriũ, sed primæ personæ diuinæ non semper cõuenit esse Patrem, Ergò. Min. patet: Nàm generatio est prior Filio, Ergò in illo priori prima persona non erat Pater: quia debet esse simul cum Filio.

Secundò, Arguitur contra rationem Art. pater, vt dicetur quæstione 36. non distinguitur ab Spiritus Sancto per paternitatẽ, sed per spirationem, Ergò esse patrem non est proprium primæ personæ. Probo Consequentiam: quia, vt dicitur in Articulo nomen proprium Patris est, quòd significat id, quo Pater distinguitur ab omnibus alijs.

Tertiò, non est aliqua ratio propter quam Paternitas competat solùm primæ personæ, Ergò non est nomen proprium illius. Antecedens patet: Nàm non conuenit ratione solius essentiæ, aliàs conueniret omnibus, nec ratione alterius prioris proprietatis: quia in Patre solùm damus duas proprietates illi soli conuenientes, scilicèt Paternitatem, & innascibilitatem: innascibilitas autèm, quia est negatiua, & negatio supponit affirmationem, non potest esse prima proprietas, Ergò.

Sed contra est auctoritas D. Th.

In hoc dub. sunt tres modi dicendi.

PRimus est. Hæreticorum, qui primo Argumento conuincti dicebant primam personam Trinitatis ab æterno, quidem fuisse Deum: Patrem verò non fuisse ab æterno, sed ex tempore, quo genuit Filium, & ità esse Patrem non fuisse semper proprium personæ diuinę. Ità Eunomius, vt refert Basil. 2. contra Eunom. & Cyrilus lib. 1. Thesaur. Cap. 6. Idem tenuit Menas Arrianus, vt hic refert Caponi.

Secundus. Hoc nomen PATER non esse, ità proprium primę personæ, quasi significet proprium, & substantiale constitutiuum illius: quia ille constituitur innascibilitate, & ideò esse Patrem est illi extraneum, idest, adiacens illi extra suam substantialem constitutionem, ita Vazq. infrà disp. 159. Cap. 5.

Tertius, est Beati Cyrili loco citato, & lib. 11. in Ioann. Cap. 18. vbi ait duo. Primum est primam personam Trinitatis prius fuisse Patrem, quam Deum: quia Ioan. 20. dixit Christus ASCENDO AD PATREM MEVM, ET PATREM VESTRVM, DEVM MEVM, ET DEVM VESTRVM, vbi patet prius vocari, & per cõsequens prius esse Patrem, quam Deum: quià est Pater respectu Filij, Deus verò respectu creaturarum, & Filius est prior creaturis.

Secundum dictum Cyrili est. Primæ personæ Trinitatis dignius esse esse Patrem, quam esse Deum. Probat hoc duplicitèr.

2. Primo: Quia Christus ferè semper primam personam nominabat Patrem, quandò aliquid maius aut dignius illi volebat tribuere, vt Matth. vltimo. Baptizantes eos in nomine Patris, &c. & Ioan. 14. Qui videt me, videt, & Patrem, si autèm aliquid dignius importaretur nomine Dei dixisset vtiq; Baptizantes eos in nomine Dei, & qui videt me videt, & Deum.

Secundò: Nam ratio Patris dicitur ad Filium, & cognoscitur ex illo, iuxtà illud modo citatum: Qui videt me videt, & Patrem, Deus verò, vt dicitur ad Rom. 1. cognoscitur ex creaturis, & dicitur in ordine ad illas quatenus habet prouidentiam earũ; sed dignius est dici ad Filium, & cognosci per illum, quam dici ad creaturas, & cognosci per illas; Ergò.

Sed pro explicatione.

Dico primo. Hoc nomen PATER est proprium primæ Personæ dicens proprium, & substantiale constitutiuum illius, & proprium distinctiuum eius semperq; illi conueniet.

PRima pars huius Conclusionis est de fide; & patet ex illo Math. vltimo BAPTIZANTES EOS IN NOMINE PATRIS, ET FILII &c. vbi, cum traditur distincta cognitio personarũ per ea, quæ sunt illis propria, vocatur Pater, eodem nomine distinguitur sæpè in scripturis ab alijs personis, vt Ioan. 14. EGO ROGABO PATREM, ET ALIVM PARACLETVM DABIT VOBIS, & Cap. 15. PARACLETVS AVTEM SPIRITVS SANCTVS, quem PATER MITTET &c. & primæ Ioan. 5. TRES SVNT, QVI TESTIMONIVM DANT IN CAELO PATER VERBVM, & SPIRITVS SANCTVS. Idem patet ex illo Ioann. 17. MANIFESTAVI NOMEN TVVM HOMINIBVS, quod explicans Cyril. lib. 11. in Ioann. Cap. 18. ait, nomen primæ personæ manifestatum à Christo, & proprium illi per, quod constituitur, & distinguitur, esse nomen Patris.

Secundò probatur ratione Articuli. Hoc nomen PATER significat de formali proprium, & substantiale constitutiuum primæ personæ, & distinctiuum eius ab omnibus alijs personis diuinis, & creatis, Ergò est proprium illius, Antecedens, quod est secunda pars Conclusionis, est D. Cyrili loco modo citato, & pro prima parte de personis diuinis patebit ex dicendis Quæst. 40. Art. 2. dub. 1. Conclusione tertia, vbi contra Vazq. ostendemus illum constitui paternitate, & non innascibilitate, & fæcunditate, patebit etiam ex dicendis Quæst. 36. vbi ostendemus Patrem paternitate distingui immediatè à Filio, eadem verò paternitate mediatè, & radicalitèr distingui ab Spiritus Sancto, si non relatiuè, saltim penes habere, vel non habere, vt ibi explicabimus ex D. Th. Quodlib. 4. Quæst. 4. Art. 2. vel 6. & hoc sufficit, vt dicatur paternitate distingui ab Spiritus Sancto, eo vel maximè quod, cum paternitas formalitèr sit spiratio, ità quòd non distinguitur ab illa actualitèr, vt diximus Quæstione præced. in fine hoc sufficit vt dicatur paternitate, distingui ab omnibus personis diuinis: Nã à Filio distinguitur paternitate, vt exercet actum paternitatis, ab Spiritus Sancto verò distinguitur eadem paternitate non, vt exercet actum

Paterni-

paternitatis, sed vt idẽtificatur spirationi, & exequitur propria illius. Vidè de hoc, Capræol. in 1. dist. 11. Quæst. 1. Art. 2. ad 1. contra primum.

Pro secunda etiam parte, idem Antecedẽs explicatur benè à Caiet. hic, vbi ostendit, quod, licèt hoc nomen Pater, sit analogicè commune Patri æterno, & creaturis: tamẽ: quia analogum per se sumptum stat per famosiori significato, & primum analogum habet conceptum distinctum à cæteris, ideò conceptus Patris absolutè sumpti, designabit Patrem æternum secundum sibi propria, vt est distinctus à cęteris Patribus temporalibus.

Tertia verò pars Conclusionis, quod esse Patrem, semper, & ab ęterno conueniat primæ personę, etiam est de fide, & patet ex illo psalmus secundò, HODIE ego GENVI TE, idest, hodie, idest, ab æterno, ità Aug. & glosa inter linea, ibi, & psal. 109. Ante Luciferum genui te, idest, ab æterno antè omnia tempora. Ità glosa ibi, & Eccles. 24. Ab initio, & ante sęcula creata sum, & Michęę quinto. Egressus eius à diebus æternitatis, quę loca intelliguntur de ęterna Filij generatione, idẽ significatur in illo Symboli Athanasij ęternus Pater &c. ostendunt hanc veritatem latè Cyril. & Basil. vbi suprà Hylar. psal. 2. & Aug. ser. 38. de Tempore in fine, & lib. de Cognitione verè vitæ, circa medium.

Dico secundò. Prius conuenit Personæ diuinæ esse Patrem notionalitèr, quàm esse Deum quoad actum, à quo imponitur nomen Dei: quoad rem verò significatam prius ei conuenit esse Deum, quàm esse Patrem.

PRo huius declaratione, supponendum ex D. Tho. suprà Quæst. 13. Art. 8. hoc nomẽ Deus, teste Dionisio Cap. 12. de diuinis Nominibu, simponi ab operatione Dei circa creaturas, scilicèt à prouidentia eius.

Hoc supposito; prima pars Cõclusionis probatur; Quia Pater prius est Pater Filius naturalis, quàm eius prouidentia actu terminetur ad Creaturas existentes, Ergò prius conuenit illi esse Patrem, quàm esse Deum, quoad actum à quo imponitur nomen Dei.

Secunda verò pars Conclusionis videtur negari, à Cyrillo, vbi suprà dicente; primæ personæ, magis conuenire nomen Patris, quàm nomen Dei; quia nomen Dei, est nomen dignitatis, significans illum, vt dominum

num

num creaturarum: Nomen verò Patris, significat substantialem proprietatem constitutiuam eius, & ità etiam quoad id, ad, quod significandum, imponitur nomen DEVS, videtur non conuenire illi, prius, quàm nomen Patris: quia erat Pater ante sæcula: Dominus verò, non fuit actu ante Creatorem Mundi.

Sed nostra Conclusio, est D. Th. ibidem dicentis, hoc nomen Deus impositum fuisse ad significandam ipsam essentiam Dei, & non aliquã eius operationem, vel relationem ad Creaturas, & Art. seq. ad primum ait, Nomina absoluta, conuenire Deo priusquam personalia, Deus verò est nomen absolutum, Ergò. Cyrillus verò, erit intelligendus de eo, à quo nomen imponitur, hoc enim nomen DEVS imponitur à prouidentia, vt dictum est, Prouidentia autèm Dei, vt actu terminatur ad Creaturas, competit ei: quia cõdidit eas, vt habet D. Th. suprà Quęst. 22. Art. 2. & quia Deus ex eo, quod est Creator rerum, habet differentiam earum, quod est maxima dignitas in Deo, ideò bene dixit Cyril. hoc nomen DEVS, importare differentiam, & dignitatem, scilicèt modo prędicto, quantùm ad id, à quo nomen imponitur.

Ex his sequitur, quòd licèt Patri, nobilius sit esse Patrem, quàm esse Deum, quo ad actum, à quo tale nomen imponitur ei, vt terminatur ad Creaturas; Maiorem enim nobilitatem importat habere Filium, quàm eius prouidentiam terminari ad Creaturas: quia illud est ens reale, & dicit infinitam perfectionem: quia includit essentiam: hoc verò est ens rationis, in Deo tamèn, non est nobilius Patri esse Patrem quàm habere naturam, quam significat hoc nomen Deus. Probatur: Nàm de Filio dicitur ad Philip. 3. quod Deus dedit illi nomen, quod est super omne nomen, quem locum Ambro. 3. lib. de Spiritus Sancto Cap. 19. Et idẽ Cyril. lib. 11. in Ioan. Cap. 22. & lib. 3. Thesaur. Cap. 2. in fine, explicant de nomine Dei, Ergò Nomen Dei saltem virtualitèr, & eminentèr, importat maiorem perfectionem, quàm nomen PATER, vt sic, vt dicit relationem, aliàs, nomen Dei, non esset nomen super omne nomen.

Secundò probatur: quia Paternitas, vt sic, ratione sui AD. nullam dicit perfectionem, licèt includat perfectionem Deitatis, Ergò non dicit aliquid perfectius, quàm Deus,

Tertiò: quia, si Deus, vt sic, non diceret omnimodam perfectionem (etiam imaginabilẽ) non esset maius omni, quod potest excogitari, & per Consequens, non esset Deus Pater, Ergò nullam maiorem perfectionem dicat, quàm Deus.

Ad Argumẽtum verò Cirilli pro suo primo dicto; Respondeo, quod

quia,

quia, teste Aug.ibi; Christus loquebatur de se, secundum vtramq; naturam suam, diuinam, scilicèt, & humanam, debuit prius loqui de diuina, quæ est prior humana, & dignior illa, & quia Pater, non est Deus Filij, secundum naturam diuinam per superioritatem, prouidentiam, & curam illius, sed solùm est Pater illius, vt sic, ideò prius nominauit Patrem, quē postea (ratione humanitatis) vocauit Deum: non verò: quia intellexit Patrem dicere aliquid excellentius, quàm dicat Deus.

Respondeo secundò. In his rationibus non attendi maiorem, vel minorem dignitatem rei significatæ, vt anteponantur, vel post ponantur: In scriptura enim, Deus, qui hic ponitur post Patrem, sæpè anteponitur illi, vt ad Ephes. 3. flecto genua mea ad Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi.


Ad primum verò Argumentum pro secundo dicto eiusdem Cyrilli, Respondeo, Christum in illis locis nominasse potius patrem, quàm Deum: quia volebat notificare eum, per sibi propria, vt distinctum ab alijs Personis diuinis, non quia intellexit per tale nomen, importare aliquid nobilius, quàm per nomen Dei.

Ad secūdam verò eiusdem Cyrilli, Respondeo, Deum non perfectè cognosci ex Creaturis, neq; dici in ordine ad illas, nisi quātùm ad actū à quo imponitur nomen Deus, & ideò non oportet esse imperfectionem Patre naturam, quę sic imperfectè cognoscitur ex Creaturis, & ad quam significandam, imponitur tale nomen.

Ad primum verò Argumentum contra Conclusionem Ar. factum à principio. Nego Min. Nàm vt probatum est, Pater, generatio, & Filius fuerunt ab æterno, & in eis nulla reperitur prioritas durationis, sed originis, quæ non tollit æternitatem.

Ad secundum, Conclusione prima, ostēdimus quomodo Pater paternitate distinguatur à Spiritus Sancto.

Ad tertium suprà Quæst. 27. Art. 5. Conclusione secunda, ostendimus, quomodò Paternitas immediatè, & per se, coniungatur essentiæ, vt personalitas determinans illam ad suppositum speciale.



ARTI-

ARTICVLVS III.

An hoc nomen Pater, dicatur in diuinis per prius, secundùm, quòd Personalitèr sumitur.

Conclusio Prima est affirmatiua.

Conclusio Secunda, in solutione ad primum. Nomina essentialia absoluta, sunt secundum intellectum, priora personalibus, communia verò respectiua ad extra, sunt posteriora Personalibus.

DVBITATVR.

An ista secunda Conclusio sit vera pro vtraquè parte.



IDETVR, quòd non. Et Arguitur primo contra primam probationẽ. Quia notitia intuitiua, quam Deus de se habet, est perfectio essentialis absoluta, conueniens toti Trinitati, & tamèn non est prior personis, Notitia enim intuitiua, nõ potest esse rerum, quæ non concipiuntur, vt præsentes, & existentes, sed vt posteriores, & futuræ, Ergò; Idem Argumentum potest fieri de Beatitudine Dei, quæ, vt patet, est aliquid essentiale, & absolutum. Imò est ipsa essentia Dei, cum sit eius intellectio, & tamèn non intelligitur esse priorẽ personis, Ergò. probatur Min. Nàm talis beatitudo, est visio essentiæ, & personarum, personæ autèm videri nequeunt prius, quàm intelligantur esse.

Secundò Volitio, complacentia, qua Pater vult esse generationem Filij, est essentialis, & absoluta, & tamèn, non est prior ipso Filio. Mai. patet. Nàm conuenit omnibus Personis diuinis, & nulli earum, opponitur relatiuè. Min.

Min. verò probatur dupliciter. Primò. Nam D. Thom. de Potentia Quæst.2. Art.3. ad 2. ait talem voluntatem, neq; etiam per intellectum præcedere generationem Filij.

Secundò: quia complacentia est de obiecto præsenti, & non de obiecto posteriori, & futuro. Ergò non est prior ipso Filio, aliàs esset de obiecto posteriori, & futuro.

Confirmatur. Nàm Personas diuinas intelligere se, in Verbo, vt in obiecto secundario est aliquid essentiale, & commune cum non opponatur relatiuè alicui Personæ, & non dicit respectum ad Creaturas, & tamèn non est secundum intellectum prius, quàm Personalia: Nàm implicat intelligere aliquid in Verbo prius, quàm intelligatur Verbum esse, Ergò.

Tertiò. Naturam diuinam esse fæcundam, & communicabilem est essentiale illi non dicens respectum ad Creaturas, & tamen non est prius Personalibus secundum intellectum, Ergò. Mai. patet: Nàm conuenit Deitati ratione suæ infinitatis, quæ est illi essentialis, & non est prædicatum Personale, Sed essentiale: non enim datur medium inter prædicata essentialia, & Personalia in diuinis, & quæ competunt Deo ratione infinitatis essentialis sunt essentialia. Min. verò probatur: Nàm illa communicabilitas non est potentialis, sed summè actualis, & ità essentiale est Deitati esse actu communicatam tribus Personis diuinis, vt diximus Quæst.28. Art.2. dub.2. Conclusione 1. Ista autem actualis communicatio essentiæ diuinæ ad Personas nequit intelligi, vt ibidem ostendimus, sine Personis, & relationibus, Ergò non est prior intellectu, quam personalia.

Confirmatur. Propria indiuinis sunt de conceptu essentiæ, & cuiuslibet prædicati essentialis, & absoluti, Ergò sunt priora, quàm essentia, & quàm prædicata communia essentialia absoluta. Antecedens patet ex dictis Quæst.28. Art.2. dub.1. Conclusione 3. vbi ostendimus relationes esse de essentia essentiæ. Et consequentia probatur: quia ideò D. Thom. hic ad 1. probat communia absoluta esse priora proprijs: quia sunt de conceptu eorum, Ergò etiam propria erunt priora communibus, & absolutis: quia sunt de eorum essentia.

Quartò. Arguitur contra secundam partem Conclusionis. Intelligere Creaturas per scientiam simplicis intelligentiæ est commune dicens ordinem ad Creaturas, & tamen præsupponitur ad personalia: Nàm, vt dicetur Quæst. sequenti Verbum procedit ex cognitione, & simplici intelligentia omnium Creaturarum possibilium, Ergò.

Confirmatur tripliciter. Primò Deum esse liberum in actu secundo dicit ordinem ad Creaturas fundatum in actione libera Dei ergà illas, & tamen est prius Personis, Ergò. Mai. pro prima parte patet: quia Deus in ordine ad se est naturalitèr determinatus, & solum habet actualem in differentiam; & libertatem respectu Creaturarum: quia non sunt omne bonum. Pro secunda etiam parte patet eadem Mai. quia ordo agentis ad obiectum est similis modo actionis, vt scilicèt liberè, vel necessariò respiciat obiectum iuxta conditionem actionis liberæ, vel necessariæ. Min. verò patet: quia ad Personalia præsupponitur omnimoda, & essentialis perfectio Dei: libertas autem Dei in actu secundo requiritur ad hanc omnimodam perfectionem, ità quòd Deus non esset summè perfectus, si non esset liber respectu Creaturarum.

Secundò. Deum esse Creatorem, vel iustificatorem, dicit aliquid commune importans respectum ad Creaturas existentes, fundatum in actione transeunte, & libera, & tamen est prius Personalibus, Ergo. Min. patet: Nàm, vt dicitur in post prædicamentis Cap. De priori, illud est prius, à quo nō valet subsistendi cōsequētiā, non valet autem hæc cōsequētia: Hoc est creator, vel iustificator, Ergò est Pater: quia potest esse Filius, Ergò esse Creatorem, vel iustificatorem, est isto moprius Patre.

Tertiò. processiones Personarum non sunt rationes productionis Creaturarum secundum sibi propria; & Personalia, sed vt includunt attributa essentialia, scilicèt intellectum, & voluntatem; sed hoc non sufficit, vt Personalia sint priora his, quæ dicunt respectum ad Creaturas existentes, Ergò, ratio, quàm D. Thom. assignat pro hac parte Conclusionis non est sufficiens. Maior est D. Thom. infrà Quæst. 45. Art. 6. cuius ratio est: Quia in processionibus Personarum reperitur essentiale, & relatio Personalis, relatio autem cùm non sit actiua: quia solum respicit suum terminum, & est simul cum illo, non potest esse ratio productionis Creaturarum, Ergò processionem personarum esse rationem productionis Creaturarum conuenit eis ratione essentialiū attributorum, quæ includunt. Min. verò probatur duplicitèr. Primò, Nàm tales processiones Personarum includunt prædicta attributa, quæ sunt priora Patre, & tamèn non ideò Personæ procedentes, & earum proprietates, sunt priores Patre, Ergò nec illæ rationes sunt priores Creaturis.

Secundò: Nàm productio Creaturarum, v. g. creatio, aut iustificatio, dicit actum intellectus, & voluntatis diuinæ cum relatione ad

Creaturas, & talis actus est prior Personis, Ergò si includere illum sufficit, vt processio Personæ sit prior productione Creaturarum, sufficiet etiam, vt productio Creaturarum, quæ includit illum, sit prior Personalibus.

Quintò Arguitur. Quia D. Thom. diuertere videtur à prioritate perfectionis ad alios modos priores, quod derogat ordini doctrinæ. Declaratur hoc. D. Thom. in Art. intendit ostendere hoc nomen PATER. de Patre Diuino personalitèr sumpto, dici prioritate perfectionis, quam de eodem Patre sumpto essentialitèr: quia in Patre primo modo saluatur ratio paternitatis perfectius, quam in Patre sumpto secundò modo: at verò in argumento sè contra solùm probat Patrem personalitèr dictum, esse priorem duratione: quia paternitas illa respectu Filij naturalis, est æterna, respectu verò Creaturarum est temporalis, & in solutione ad primum, ex prioritate perfectionis diuertit ad prioritatem secundum intellectum, dum ait, quod communia absoluta sunt intellectu priora proprijs.

Confirmatur. Nàm distinctio facta in solutione ad 1. non videtur conueniens: Nàm in 1. parte ait, communia absoluta esse secũdum intellectum priora proprijs, in secunda autem parte ait, communia, quæ important respectum ad Creaturas, esse posteriora proprijs secundũ perfectionẽ, deberet autem dicere in 1. parte quòd cõmunia absoluta non sunt priora dignitate, vel in secunda dicere, quod ea, quæ dicunt ordinem ad Creaturas non sunt intellectu priora: Nàm isto modo, membra huius distinctionis essent opposita secundum idem, quòd non seruatur in dist. D. Thom. non enim opponuntur, esse prius intellectu, & posterius dignitate, vniuersaliora enim sũt priora intellectu, & subsistendi cõsequẽtia, posteriora verò dignitate: quia differentia specifica inferiorum addit aliquam perfectionem.

Sed contra est auctoritas D. Thom.

In hoc dubio sex reperio sententias.

PRima. Nullum ordinem secundum se reperiri intèr essentialia, & personalia, sed solum reperiri ordinem intèr ea ex nostro modo concipiendi. Ità Bannez infrà Quæst. 45. Art. 6. in fine.

Secunda. Non omnia essentialia præcedere proprietates personales, etiam si loquamur de essentialibus absolutis. Ità insinuabat

Cyril. vt citauimus Art. 2. & tenet Molin. infrà Quæst. 41. Art. 2. disp. 2. §. Ad primum argumentum.

Tertia. Essentialia præcisè, & abstractè concepta esse priora personalibus subsistendi Cõsequẽtia, non tamen esse priora, si concipiantur, vt coniuncta cum aliquo personali, vt si dicas intelligere res in Verbo. Hoc enim non est prius quam Verbum. Ità Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 11. Vazq. hic disp. 160. Cap. 4. & Suar. 6. de Trinitate Cap. 4. num. 4.

Quarta. Essentialia communia, quæ important respectum liberum ad Creaturas, vt visio Creaturarum, aut prædestinatio hominum non esse secundum naturam priora personalibus, quæ verò dicunt relationem ad Creaturas conuenientem Deo ex tempore nullo modo, neq; etiam subsistendi Cõsequẽtia esse priora personalibus. Ità Molina, & Vazq. hic. Imò idem Vazq. infrà disp. 143. sentit illa etiam essentialia, quæ dicunt necessarium ordinem ad Creaturas, qualis est cognitio earum, non præcedere personalia, vnde infert cognitionem Creaturarum possibilium per se non supponi ad productionem Verbi. Idem tenuit Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 13. dicens Verbum produci, vt in eo Deus intelligat res: non quòd intellectio earum præcedat Verbum.

Quinta. Communia absoluta secundum intellectum esse priora personalibus: respectiua verò, quæ dicunt ordinem ad Creaturas fundatum in actionibus Dei transeuntibus esse illis posteriora; ea verò, quæ dicunt respectum ad Creaturas fundatum in actione immanente Dei, & necessaria, vt intelligere Creaturas esse priora personalibus. Ità Caiet. vt colligitur ex his, quæ dicit hic, & infrà Quæst. seq. Art. 3.

Sexta est. Omnia communia, quæ dicunt respectum ad creaturas etiam necessariò esse posteriora notionalibus. Ità Capræol. in 1. d. 35. Quæst. 2. Art. 2. ad 2. primo loco contra primum.



Sed

Sed pro explicatione.

Dico primò. Communia absoluta in Deo, saltem virtualitèr, & eminenter, sunt priora proprijs dignitate, intellectu, subsistendi Cõsequentia, logicè, & quia sunt rationes propriorum.

PRima pars probatur. Eiusmodi communia absoluta, dicunt perfectionem simplicitèr infinitam: propria verò, vt sic, non dicunt in Deo aliquam perfectionem: quia sunt relatiua, & relatio, vt sic, nullam dicit perfectionem, vt diximus Quæst.28. Art.2. & ad summum, vt alij volunt, dicit perfectionem infinitam, non simplicitèr in genere entis, sed intra speciem talis relationis, Ergò. Probo Consequentiam: quia, vt docent Arist. 5. methaph. tex. 16. & D. Thom. infra Quæst. 82. Art.3. ad 2. & Quęst.85. Art.3. ad 1., Id quod est perfectius, saltem virtualitèr, etiam virtualitèr saltem, est prius eo, quod non est eodem modo æque perfectum.

Secunda verò pars. Probatur supponendo ex eodem Arist. ibidem. Illa esse intellectu priora, quæ vniuersaliora, & simpliciora: Nã distincta cognitio alicuius toti⁹, depẽdet secũdũ se, ex cognitione vniuersalium, & simplicium, ex quibus constat. Similitèr ibidem docet Arist. illa esse intellectu priora, quæ supponuntur ad alia, & possunt intelligi sine illis.

Secundò supponendum est ex Quæst.40. infrà Art.1. Personas cõstitui ex absolutis, & proprietatibus relatiuis, Imò verò, ipsæ proprietates relatiuæ intrinsicè, claudunt absoluta, vt docet D. Thom. hic ad 1. & ostendimus suprà Quæst.28. Art.2. dub.1. Conclusione 5.

His suppositis. Probatur 2. pars Conclusionis: Nàm communia absoluta, in Deo sũt vniuersaliora, & saltem virtualitèr simpliciora ꝓprijs, & supponuntur illis, Ergò secundumũ intellect sunt priora illis. Antecedens pro prima parte probatur: Nàm communia, vt bonus, prædicantur de pluribus, quàm propria, vt Pater, & ideò, licèt propriè nõ sint vniuersalia: quia non diuiduntur in natura, & esse in suis inferioribus, tamen habent modũ vniuersalis, quatenus prędicantur de pluribus suppositis distinctis, quod non habet Pater v.g. Ergò. Secunda pars eiusdem Antecedentis patet: Nàm hęc communia absoluta, sunt de intellectu Personarum, & constituunt eas per modum cõpositionis, vt dicemus Quæst.40. Art.1. Ergò sunt saltem virtualitèr

ſimpliciora: Nàm ſaltìm virtualitèr eſt ſimplicius id, ex quo aliquid conſtituitur per modum compoſitionis, quam id, quod ex illo, & alijs conſtituitur.

Tertia pars Antecedentis probatur: Nàm iſta communia abſoluta deſignant eſſentiam, vel aliquod prædicatum veluti eſſentiale illius: natura autem diuina quoad omnia ſua prædicata eſſentialia ſupponitur proprietatibus, tanquam natura determinabilis per ilas, & poſſumus, noſtro modo intelligēdi, intelligere Deum perfectum in ſua eſſentia non intellectis proprietatibus perſonalibus, vt ait D. Thom. hic ad 1. Ergò.

Tertiò verò pars Concluſionis probatur, ſupponendo, quòd, licèt multa non ſint priora ſubſiſtendi cōſequētia phyſicè, ſunt tamen priora ſubſiſtendi cōſequētia logicè. Ità Caiet. opuſc. de nominum Analogia Cap. vlt. & patet in ente, quòd non eſt ſubſiſtendi cōſequētia phyſicè prius, quam Deus: quia ſemper valet EST DEVS, Ergò EST DEVS, eſt tamen prius ſubſiſtendi cōſequētia logicè: quia non valet iſta cōſequētia HOC (SIGNATO ANGELO) EST ENS,) Ergò HOC EST DEVS. Eodem modo loquendum eſt de rationibus abſolutis, & communibus Dei: quia illæ non ſunt phyſicè ſubſiſtendi cōſequētia priores proprijs. Valet enim: EST DEVS, VEL EST INFINITVS, Ergò EST PATER, VEL FILIVS, VEL SPIRITVS SANCTVS: quia nulla iſtarum rationum poteſt reperiri ſine omnibus Perſonis. Diximus enim Quæſt. 28. quòd non eſſet Deus, ſi non eſſet Trinus, non valet tamen iſta cōſequētia HOC, SIGNANDO FILIVM, EST DEVS, Ergò, EST PATER, & hoc ſufficit, vt iſtæ rationes dicantur priores ſubſiſtendi cōſequētia logicè.

Tandem vltima pars Concluſionis probatur, ſupponendo ex Ariſt. illa eſſe abſolutè priora alijs, quæ ſunt cauſa eorum. Ità habet in poſtprædicam. Cap. de priori: In diuinis autem non reperitur ad intra ratio formalis cauſæ: reperitur autem ratio cauſæ virtualitèr, ideſt, ratio formalis, propter quam aliquid Deo competit, quo modo dicemus eſſe Trinitatis, non eſſe cauſam, eſſe tamen rationem formalem ipſam Dei immutabilitatem, hic Ergò modus prioritatis reperitur etiam in rationibus communibus, & abſolutis Dei reſpectu propriorum: Nàm ex perfectione Dei ſimplicitèr infinita prouenit, vt eius eſſentia communicetur tribus Perſonis diuinis, ſed quælibet ratio abſoluta Dei dicit illam infinitam perfectionem, Ergò quælibet illarum eſt ratio, ob quam reperiuntur in Deo iſtæ proprietates relatiuæ, & per conſequens eſt prior illis iſto modo prioritatis.

Dico

Dicto secundo. Licèt communia, quæ dicunt ordinem ad Creaturas, sint omnibus istis modis priora Personalibus ratione perfectionis essentialis, quam includunt proprietates, tamen Personales sunt simpliciter priores intellectu, & dignitate respectibus, quos ad Creaturas dicunt talia essentialia.

HAec Conclusio est D. Thom. in 1. dist. 7. Quæst. 1. Art. 3. ad 4. &c. prima pars Conclusionis patet in omnipotentia, misericordia, vel iustitia Dei, & in intellectione, qua intelligit, vel prædestinat Creaturas: Ista enim omnia dicunt in Deo aliquam perfectionem communem, & essentialem, scilicèt actum intelligendi v. g. cum respectu tamen necessariò, vel libero ad Creaturas. De illo essentiali, diximus Conclusione prima esse multis modis prius personalibus, loquendo autem de respectu rationis, quem importat ad Creaturas.

Secunda pars probatur. Proprietates personales sunt relationes reales, quæ includunt ipsammet essentiam Dei, illi verò respectus ad creaturas sunt relationes rationis, quę sunt minoris perfectionis, & cognoscibilitatis, quolibet ente reali, nec dum, & à fortiori, diuinis relationibus, Ergò solùm potest esse difficultas, quantùm ad hoc, de innascibilitate: Nàm cum sit priuatio, & per Consequens, ens rationis, non apparet, vndè sit perfectione, & intellectu prior prædictis relationibus rationis: Nàm ex sua propria ratione, cum sit priuatio, videtur esse imperfectior tali relatione, quæ est, quid positiuum: positiuum enim perfectius est in suo genere, & ordine, quam priuatiuum, vel negatiuum, similitèr non excedit prædictos respectus rationis, ratione fundamenti: Nàm, si innascibilitas supponit pro fundamento, vel subiecto, ens diuinum, idem supponit relatio rationis producentis, ad rem productam, talis enim respectus rationis non potest fundari, nisi in actione, quæ sit ipsa essentia diuina: Nàm, si fundatur in actione creata, erit relatio realis: quia tunc producens, & productum erunt eiusdem ordinis, & generis ratione actionis, per quam producens ordinatur ad productum. Nihilominus tamèn dicendum est, innascibilitatem esse priorem dignitate talibus relationibus rationis: excedit enim eas: quia ex parte fundamenti, non tantùm supponit infinitatem essentiæ, sed etiam realitatem Paternitatis, vt habet D. Th. in 1. dist. 28. Quæst. 1. Art. 2. ad 2. & ideò ex hac parte magis accedit ad reali-

ratem realem, quam respectus rationis, & ideò potest esse prior illis.

Dico tertiò. Licèt respectus ad Creaturas, fundatus in actione necessaria Dei, cõpetat illi prius, quàm relationes Personales; tamèn proprietates Personales, cõpetunt illi prius ratione, quam respectus fundatus in actione libera Dei. Nihilom. verò, oĩa, quæ dicunt huiusmodi respect⁹, siuè necessarios, siuè liberos sunt priora Personalibus subsistendi Consequentia logicè.

PRima Pars huius Conclusionis probatur. Primò: quia essentia Dei perfecta, quoad omnia prædicata, sibi essentialia, supponitur personalibus, vt dictum est, sed inter eiusmodi prædicata, computantur illa, quæ dicunt prædictos respectus necessarios, Ergò. Min. patet: Nàm inter illa prædicata numerẽtur Omnipotentia, Misericordia, IVSTITIA Dei, & illum esse Ideam omnium Creaturarum, & habere cognitionem compræhensiuam sui: hæc autẽ omnia, nequeunt intelligi, sine respectu ad creaturas, vt patet: quia solùm in ordine ad illas, saluatur ratio omnipotentiæ, misericordiæ, & iustitiæ, & Ideæ, & quia Deus non compræhendit se, nisi: quia cognoscit se, secundum omnia, quæ habet: habet autèm prædictas perfectiones in ordine ad Creaturas, Ergò vt se compræhendat, debet etiam intelligere, illas dicere respectum ad Creaturas.

Confirmatur: quia Quæstione Sequenti dicemus, Verbum procedere ex cognitione creaturarum, Ergò productioni Verbi, supponitur respectus ad creaturas, fundatus in necessaria cognitione illarum.

Secundò priùsquam intelligantur personalia in Deo, intelligitur ipse Deus, vt excedẽs in perfectione, omnes creaturas, Iste autèm excessus est respectus rationis necessariò fundatus in eminentia Deitatis, Ergò.

Vltimò: quia ratio D. Th. hic ad primũ, non procedit de his, licèt enim processiones personarum sint rationes productionis creaturarũ, vt statim dicetur, non sunt tamèn primæ rationes fundandi respectum necessarium ad illas, vt intellectas, vel producibiles, hoc enim,

primò

primò conuenit Deo, ratione attributorum essentialiũ, quæ sunt priora personalibus, Ergò.

Secunda pars Conclusionis esset certa, si esset verum in Deo nõ dari subsistentiam absolutam, ratione cuius posset operari, sed solùm dari subsistentias relatiuas, in quibus Deus subsistens operatur ad extra: tunc enim ad operationem, in qua fundatur respectus liber Dei ad creaturas supponerentur personalia: quia semper supponitur subsistentia causæ ad suam operationem, esset etiam certa, si esset verum, quòd voluit Henric. creaturas, scilicèt, non produci à Deo per scientiam, & amorem essentialem, sed per notionalem: tunc enim notionalia supponerentur talibus actionibus, & respectibus liberis fundatis super eas, Sed quia primam sententiã reiecimus suprà Quæst. 29. Art. 2. dub. 2. & 2. sententia damnatur erroris. Infrà Quæst. 45. Art. 6. Ideò alitèr probanda est Conclusio.

Probatur Ergò Conclusio. Primò. Voluntas Dei, prius, debet operari, vt natura amando se ipsum, vt vltimum finem, quàm operetur, vt voluntas amando creaturas proptèr se ipsum, sed ex illo amore naturali procedit Spiritus Sanctus, ex isto verò amore libero, procedunt omnes respectus fundati in actione libera Dei, Ergò omnes illi supponunt productionem Spiritus Sancti, & per Consequens, omnia personalia, quæ sunt origine priora tali productione.

Secundò probatur ratione Ar. Personæ diuinæ procedentes, procedunt, vt principium productionis creaturarũ, Ergò sunt priores productione earũ, & respectu liberè Dei, fundato in tali productione. Antecedens declaratur: Nàm, licèt personæ diuinæ procedentes, sint rationes productionis creaturarum, secundum attributa essentialia, sibi apropriata: hoc tamèn solũ arguit, illa attributa esse simplicitèr priora productione creaturarum, & respectibus fundatis super illam, non verò arguit, ipsas personas non esse suo modo secundaria principia talis productionis, ratione suarum proprietatum concurrentium, vt conditiones, & per Consequens non arguit, quòd ipsæ non sint priores v. g. Deus rationẽ suæ sapientiæ, & Idearum, quas habet, est primum principium exemplare creaturarum, Filius tamèn: quia ratione suæ specialis processionis procedit, vt similis per intellectum, ideò ex vitalis processionis communicatur ei esse exemplar, secundarium tamèn creaturarum, cui ipsæ assimilentur, & à quo producantur, vt diximus Quæst. 27. Art. 2. dub. 2. Conclusione quinta. Similitèr, licèt amor Dei, sit primum principium applicans Potentiam Dei ad productionem creaturarum: tamèn: quia Spiritus Sanctus, procedit per vo-

luntatem,

luntatem, ideò ratione suæ processionis habet esse secundariò principium productionis earum per modum impulsus, & amoris.

Tertia pars Conclusionis patet ex dictis: Nàm, licèt hæc nomina IVSTIFICATOR, v.g. vel CREATOR, non sint priora physicè subsistendi Consequentia, quàm personæ: quia nunquam datur Creator, quin sint tres personæ, tamèn logicè non valet. Hoc, signato Filio, est Creator, Ergò est Pater, & hoc sufficit ad hanc prioritatem subsistendi Consequentia logicè.

Dico quartò. Nomina essentialia limitata ad aliqua Personalia, vel notionalia sunt illis posteriora.

DEclaratur hoc. Nàm, licèt aliqua talia esentialia supponant personas productas, non tamèn omnia supponunt illas v.g. Velle generare, aut spirare, vel velle generari, aut spirari, vel intelligere res in Verbo, vt in obiecto secundariò, sunt essentialia limitata ad notionalia, & supponunt personas productas: Nàm essentia non potest segenerare, vel spirare, aut se generari, vel spirari, hoc enim solùm competit ipsis personis producẽtibus, vel productis, & per Consequẽs supponit illas. Similitèr dicendũ est de alijs, vt intelligere res in Verbo, supponit Verbũ esse, & essentiam esse actu communicatam tribus Personis, etiam si esset essentiale, nõ esset prius Personis: implicat enim essentiam communicatam esse tribus Personis, & tamen ipsas Personas non esse: Visio autem intuitiua personarum aliquid esentiale dicit limitatum ad Personas, & tamen non est posterius illis, vt diximus Quæst.27.Art.2.dub.2. ad Confirmationem secundi, & dicetur Quæst. seq. Similitèr volitio, & complacentia, de productionibus Personarum dicit aliquid esentiale limitatum ad notionalia, & tamen est prius illis, vt dicetur Quæst.41.Art.2. dub. 1. Conclusione 5. Ratio differentiæ inter hæc est. Quia aliqua esentialia respiciunt Personalia, vt virtualitèr futura, vel possibilia: alia verò respiciunt ea, vt actu existentia; quæ sunt primi generis, sunt priora Personalibus, non verò, quæ sunt secundi generis, v. g. volitio de generatione Filij, vt dicetur Quæst.41.Art.2.dub.1.in solutione ad 2., habet virtualitèr rationem desiderij, & quia desiderium respicit suum obiectum, vt futurum saltìm virtualitèr, ideò illa volitio potest esse prior generatione. Similitèr notitia intuitiua solum postulat (coexistentiam obiecti visi cum duratione propria ipsius visionis, licèt ipsum obiectum in

propria

propria mensura sit posterius, vt Deus intuitiuè cognoscit futura, & quia licèt in propria mensura sint posteriora Deo, & eius cognitione, saltim virtualitèr, tamen habent coexistentiam cum supperiori mensura visionis Dei, qua ipsa videt, & ideò similitèr quia Personæ diuinæ coexistebant æternitati, qua mensuratur intuitiua cognitio Dei, possunt cognosci sciētia visionis, licèt ipsa visio intelligatur esse prior illis. At verò: quia suppositum elliciens operationem necessariò supponitur, vt existens ad illam, & velle se generare, aut spirare dicit ordinem ad suppositum, quòd est principium talis operationis, ideò nō potest esse prius illo. Similitèr intelligere creaturas in Verbo dicit ordinē ad ipsum Verbum, vt ad obiectum præsuppositum, & veluti motiuum ad intelligētiam ipsarum creaturarum, & ideò persupponitur Verbum tali intellectioni, vt terminatur ad creaturas: quia omni intellectioni præsupponitur obiectum motiuum, vel quasi motiuum, & Verbum, ratione suprà dicta, habet veluti rationem obiecti motiui secundarij respectu cognitionis creaturarum.

Ad primum Ergò. Nego Min. Explicuimus enim, quòd vt notitia sit intuitiua, & rei præsentis satis est, vt sit obiecti coexistentis æternitati mensuranti talem visionem, hoc tamèn non tollit ipsam visionem priorem esse illo, vt diximus de Visione Dei respecte futurorum, & idē dicendum est ad aliud Argumentum de Beatitudine Dei.

Ad secundum. Nego Min. Ad primam probationem Respondeo D.Thom. solùm negare talem Volitionem esse priorem generatione, tamquam principium illius, non verò negat eam supponi generationi, vt priorem ea, vt explicabimus infrà Quæst. 41. Art. 2. dub. 1. ad 1.

Ad secundam probationem ibidem ostendemus, illam complacentiam virtualitèr habere rationem desiderij, & ideò posse ferri in generationem, vt virtualitèr futuram, & esse virtualitèr priorem illa.

Ad confirmationem, dictum est, personas diuinas intelligere se in Verbo, dicere aliquid essentiale limitatum ad personalia, vt actu existentia: hæc autèm essentialia, vt dictum est, non sunt priora personalibus.

Ad tertium suprà Quæst. 28. Art. 2. dub. 1. Conclusione 1. dixi illud prædicatum non esse essentiale, quod si esset essentiale non esset, vt sic, prius personalibus: quia non dicit essentiale, nisi vt limitatum ad personalia, vt actu existentia, de quibus diximus, quod, vt sic, non sunt priora notionalibus.

Ad Confirmationem ibidem ostendimus differre inter essentiam, & re-

& relationem, quòd essentia est prædicatum essentiale ipsarum relationum, & ideò clauditur in conceptu earum, sicut omne prædicatum essentiale, clauditur in conceptu eius, cuius est prædicatum essentiale. Relationes verò sunt de essentia essentiæ, vt modi, & determinationes eius, & ideò non sunt priores illa: quia modus, & determinatio supponit saltem secundum intellectum, rem, cuius est modus, & determinatio.

Ad quartum patet ex prima Conclusioe, illud commune dicere respectum ad Creaturas fundatum in actione necessaria Dei, & ideò posse esse prius personalibus.

Ad primam Cōfirmationem, Aliqui senserunt, illum respectum fundari in actione libera Dei gratia Creaturarū; debent enim Deum necessario habere gratia Creaturarū aliquem actum, quo determinato velit, vel non velit producere Creaturas, vt in tali actu reperiatur actualis libertas Dei. Sed: quia hanc sententiam reprobauimus supra Quæst. 19. Art. 3. dub. 2. Conclusione 3. Ideò dicendum est, talem actualem Dei libertatem, fundari in ipso necessariò amore Dei, quo se naturalitèr amat, quatenus ille est independens à Creaturis, & indifferens ad eas volendas propter earum imperfectionem, & ita: quia talis respectus fundatur in conditione necessaria Dei, potest esse prior, quàm Personalia.

Ad secundam Confirmationem Respondeo. Illa prædicata non esse secundum se, intellectu priora Personalibus, sed ex parte nostri imperfecti modi concipiendi, quia prius concipimus consequentia, quam propria: quia procedimus à potentia ad actum, vt aliàs, duplicitèr D. Thom. autem loquitur de eo, quod secundum se, est intellectu prius, & iam explicatum est, Consequentia absoluta, vel, quæ dicunt necessarium respectum ad Creaturas, esse isto modo priora Personalibus.

Ad tertiam Confirmationem distin. Mai. Secundum sibi propria, & Personalia, vt rationes formales Concedo Mai. Vt conditiones, ratione quarum, Personis procedentibus ex vi suarum processionum competat esse rationes secundarias processiones Creaturarum, vt suprà explicatum est. Nego Mai. & hoc sufficit ad prædicamentalē prioritatem.

Ad primam verò probationem minoris, quatenus potest militare contra istam doctrinam; Nego Consequentiam: Differentia est: Nàm intellectus, & voluntas, non sunt rationes alicuius processionis, conuenientes Patri: quia Pater non procedit, sunt autem rationes produ-

ctionis

ctionis creaturarum, & ideò personæ, quibus ex vi suarum processionum apropriant sibi causalitatem talium attributorum, possunt esse rationes secundariæ productionis creaturarum, eo vel maximè, quòd etiam Pater includit intelligere, & velle, & ità nihil habent, ratione cuius sint Patre priores.

Ad secundam probationem nego Consequentiam Differentia est; quia, licèt actiua productio creaturarum, vt est actio Dei, dicat talia attributa, non tamèn dicunt, vel includunt illa passiua productio creaturarum, aut eius terminus, scilicèt creaturę productæ, passiuæ verò processiones diuinarum personarum, & earum termini, scilicèt ipsemet personę procedentis includunt prædicta attributa, vt dictum est, & ideò ipsæ personæ productæ, & passiuæ, processiones earum dicunt aliquid prius passiua productione creaturarum, loquendo verò de productione actiua earum, vt dicit actionem Dei, & non respectum ad ipsas creaturas, sic teste D.Th. in 1. d. 29. Quæst. 1. Art. 2. ad vlt. illa est prior productione personarum: quia talis actio secundum se præintellecta proprietati personali est sufficiens principium productionis Creaturarum non tamen est principium Personarum sine proprietate Personali, & quia ipsa actio sola secundum se est prior se ipsa, vt coniuncta proprietati Personali, ideò productio Creaturarum secundum prædictam rationem est prior productione Personarum.

Ad quintum Respondeo ad complementum doctrinæ oportuisse explicare, quid sentiendum sit de omnibus modis prioritatis, qui possunt reperiri inter ista prædicata, & ità D.Thom. egit de omnibus illis in argumento, sed contra de prioritate durationis in corpore Art. de prioritate perfectionis in solutione verò ad 1. de prioritate secundum intellectum, & causalitatem, & hoc non derogat ordini doctrinæ.

Ad Confirmationem Respondeo D. Th. ibi non comparare solum Communia cum personalibus, Sed comparat personalia, & communibus respectiuis dicentibus ordinem ad Creaturas, & ait personalia esse intellectu posteriora communibus absolutis, priora verò perfectione prædicatis relatiuis, vt dicunt ordinem ad Creaturas Quo significat prædicta personalia esse saltìm virtualitèr posteriora dignitate, & intellectu secundum se posteriora, quàm prædicta communia absoluta, & nihilominus intellectu secundum se, & dignitate esse priora prædictis relatiuis, vt dicunt ordinem ad Creaturas: quia, quod secundum se est prius aliquo, secundum intellectum, & magis cognoscibile est etiam prius illo dignitate, & ità prioritas respectu vtriusq; membri sumitur eodem modo.

ARTI-

ARTICVLVS IV.

An esse ingenitum sit proprium Patri.

Conclusio est affirmatiua.

DVBITATVR.

An doctrina huius Art. sit vera.



IDETVR quod non. Primò: quia Sancti Patres nollunt quatuor de causis hanc vocem accommodari Patri æterno. Primò: quia significat id, quod non est creatum, & ità si esset proprium Patri, Filius, & Spiritus Sanctus essent creati, quod est contra fidem. Ità Athan. in Ora. 2. contra Ar. & in Epist. de decretis Synodi Nicenæ.

Secundò: quia significat Deum nullam habere generationem, qua suam naturam alicui Personæ communicaret, vnde inferunt Hæretici, quod si Pater est ingenitus, Filius non est genitus de substantia Patris, & de natura eius, Ità Basil. lib. 1. contra Eunomium.

Tertiò: quia significat Patrem in ordine ad Creaturas, & ideò significabit illum secundum aliquid commune toti Trinitati, & non secundum aliquid sibi proprium: quia omnes personæ conueniunt in hoc, quod est respicere Creaturas. Ità Cyril. lib. 1. Thesauri Cap. 2.

Vel quartò reijciunt hoc nomen: quia nec significat naturam Dei, cum non sit commune toti Trinitati, nec relationem, cum non dicatur ad conuertentiam, non enim dicitur, quod ingenitum est geniti ingenitor, vel quia non reperitur in scripturis. Ità Epipha. hære. 73. & Ambros. lib. de Incarnatione Cap. 8. & 9.

Secundò Arguitur. Esse ingenitum non est notio Patris, Ergò nec proprium illi. Consequentia patet à negatione superioris ad negationem inferioris: Nàm D. Th. Quæst. præcedenti Art. 3. docuit, notionem esse superiorem ad proprietatem. Antecedens autèm probatur: Nàm ingenitus potest sumi duobus modis. Primò, vt significet nega-

negationem generationis passiuæ propriè,& sit idem,quòd nõ Filius, vt habent D.Th. hic ad 1.& Aug.5.de Trin. Cap.16.

Secundò,vt significet idem,quòd nullo modo productum est,quam significationem admittit D.Th. hic ad secundum.Sed neutro istorum modorum est notio, Ergò.

Min. pro prima parte probatur dupliciter. Primò: quia qu. præcedenti Art.2.ostendimus ex D.Th.quod esse inspiratum non est notio: quia dicit negationem essendi à principio speciali, & talis negatio nõ est notio, sed ingenitum sumptum primo modo significat negationem essendi à principio speciali, scilicet per intellectum, Ergò non est notio.

Secundò: quia aliàs aliqua notio propria Patri conueniret illi intellectu,& ratione posterius, quàm Filio conueniret Filiatio. Consequẽs non debet admitti, Ergò. Sequella patet: Nàm positiuum cognoscitur prius suo priuatiuo, sed ingenitum dicit priuationem generationis, & Filiationis, vt ait Aug. vbi suprà, & Filiatio est propria notio Filij, Ergò esse ingenitum, quòd est notio Patris,est posterius notione Filij. Min.verò probatur: quia Basil. lib.4. contra Eunomiũ, Quòd ingenitum subsistẽtiam significat, negat id posse admitti:quia Pater prius intelligitur habere esse,quàm producere aliam personam, sed habet esse non ab alio,quod est esse ingenitum, Ergò prius intelligitur esse ingenitum, quàm intelligatur generare Filium, vel Filium generari.

Secunda etiam pars Min. probatur. Triplicitèr. Primò: Nàm,licèt esse creatum dicat relationem ad Deum, vt habet D.Thom. infrà Quæst.45. Art.3. tamèn,teste eodẽ D.Th. hic ad tertiũ esse increatũ non dicit relationem, sed essentiam, Ergò similitèr, licèt,teste D.Th. Infrà Quæst.41. Art.1. ad 1. productio diuina dicat relationem, esse ingenitum, vel improductum non dicit relationem, & ità non dicet proprietatem Patris, quæ debet esse relatiua: quia omnia absoluta sunt communia.

Secundò idem docet Cyril. 1. Thesau. Cap.2. vbi ait, quòd Pater, vt Patèr,dicitur in ordine ad Filium,vt ingenitus verò,dicitur in ordine ad creaturas, sed quòd dicitur de Deo in ordine ad creaturas est commune, Ergò.

Tertiò esse genitũ non significat esse quocumq; modo ab alio:aliàs enim Spiritus Sanctus, esset genitus: quia est ab alio per spirationem, Ergò esse ingenitum, quòd est priuatio, vel negatio geniti,non negat esse vniuersalitèr ab alio, sed solùm ab alio non generari: quia nega-

tio

tio solùm negat suum habitum oppositum, & per Consequens ingenitum non potest sumi pro omninò improducto.

Confirmatur. Non esse ab alio non dicit aliquam specialem relationem, vel conditionem, Ergò non est notio propria Patri. Consequentia patet: quia notio importat aliquid speciale, vt suprà dictum est, Antecedens verò probatur: Nàm esse ab alio dicit rationem generalem procedendi in diuinis, & in creatis, Ergò negatio essendi ab alio non dicit specialem rationem: quia negationes distinguuntur penes positiua, quibus priuant, & admittunt diuisionem, quàm admittit habitus positiuus, quem negat.

Tertiò principalitèr Arguitur, & probatur, quòd ingenitum significet aliquid merè negatiuum, & non priuatiuum, vt hic ait D. Tho. Nàm ità videntur docere Cyril. 1. Thesaur. Cap. 2. & 3. Aug. 5. de Trin. Cap. 7. Dum ait, quòd esse ingenitum est esse non Filium, & D. Th. ad ter. dum ait ex sententia Aug. ibidem, quòd sicut non homo, & non album reducuntur ad genus substantiæ, vel qualitatis: quia negatio reducitur ad genus sui positiui. Ità: quia esse genitum significat relationem in diuinis, & esse ingenitum significat negationem illius, ideò reducitur ad genus relationis, sed non homo, vel non album non dicunt priuationem, sed negationem, Ergò idem erit de ingenito.

Quartò Arguitur, & probatur, quod hoc nomen significet aliquid positiuum: Nàm Iustinus Mar. in expositione fidei. Nazian. oratione 23. Cyril. 1. Thesaur. Cap. 3. & 4. & lib. 11. Cap. vn. Basil. 4. contra Eunom. vbi suprà, & Damas. lib. 1. de fide Cap. 9. dicunt ingenitũ non significare substantiam Patris, sed modum existendi eius, vel subsistentiam eius, sed subsistentia, & modus existendi substantiæ est positiuum, Ergò.

Quintò probatur idem. Ingenitum est notio Patris, vt diximus Quæst. 32. Ergò dicit aliquid positiuum. Probo Consequentiam: quia notio debet dicere aliquam dignitatem Personalem: negatio autem non dicit dignitatem, Sed remouet positiuum, quòd est perfectio, & dignitas. Ergò debet dicere aliquid positiuum.

Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

In hoc dubio insinuantur duo.

Primum. An ista vox INGENITVS sit accõmodanda Patri.

Secundum. An significet aliquid positiuum.

CIRCA primum, Montanistæ, & Sabeliani, qui dicebant eamdem personam esse Patrem, & Filium, asserebant subindè Patrem esse genitum de Virgine, & ideò non posse vocari ingenitum, ità refert Atha. in disp. cum Arrio, habita Laudiceæ. Santi Patres verò citati in primo Argumento, & alij relati à Vazq. hic disp. 140. Cap. 1. formidant, vti tali voce, aut eam Patri, accomodare propter rationes commemoratas in primo Argumẽto, specialitèr propter primam. Quia scilicèt Arriani vtebantur ea ad significãdũ, Patrem esse increatum: quia, licèt reuera ille sit omninò increatus, & improductus; ex vsu tamèn istius vocis, inferebant Filium esse factum, & creatum, formantes tale Argumentum.

Genitum, & ingenitum, idest, creatum, & increatum, vel factum, & non factum differunt natura, sed Pater, est ingenitus, & Filius genitus, Ergò Pater, & Filius, differunt secundum naturam.

Circa secundum autèm sunt quatuor sententiæ Theologorum.

Prima. Hoc nomen Ingenitum significare quamdam realem, & positiuam relationem oppositam relationi genitoris, sicut inæquale, significat relationem realem, & positiuam, oppositam relationi æqualitatis; ità quidam relati à Bonauen. in 1. d. 28. Quæst. 1.

Secunda. Hoc nomen, significare rationem quamdam positiuam, scilicèt fontale, vel vniuersale principium, vel plenitudinem omnis principij, respectu personarum diuinarum procedentium. Ità Aureol. in 1. d. 28. Art. 1. & Bonau. ibidem Quæst. 1. & 2. & 3.

Tertia. Hoc nomẽ de formali, & exp̃sso significato, importare negationẽ, aut priuationẽ, materialitèr tamẽ, sed directè significare quãdam dignitatem, & rationem positiuam Patris, scilicèt rationem primi principij, ità Vazq. hic disp. 140. Cap. 3. & existimat, hanc esse sententiam D. Th. & aliorum, quos sibi refert, subdit autèm, hanc positiuam rationem esse positiuam relationem, non realem, sed rationis constitutiuam tamèn Patris. Ità habet expressè disp. 159. Cap. 5. &

7. per materiale autem, & eius directum significatum, non intelligit fundamentum talis negationis, vel priuationis, quòd connotatur in obliquo per tale nomen, sed intelligit ipsam positiuam relationem primi principij, distinctam à Paternitate esse id, quòd significatur per tale nomen sub forma, vel conceptu negatiuo, vel priuatiuo, ità se explicat in prædicamento Cap. 7. sicut suprà disp. 127. Cap. 2. dixerat personam directè, sed materialitèr significare relationem: quia, relatio formalitèr est idem persona, & persona non significat illam sub conceptu relationis, sed sub conceptu rationalis naturę, indiuiduæ substantiæ.

Quarta est. Hoc nomen in obliquo, & pro fundamento, importare aliquid positiuum, directè tamèn nō significare: nisi negationem, aut priuationem, ità expresè D.Th. hic, & in 1. d. 28. Quæst. 1. Art. 1. ad 1. Scotus Quæst. 2. Capræol. Quæst. 1. Conclusione prima, & ibi Durandus, & ægidius, Caiet. & Torres hic, & alij Thomistæ, quos falsò Vazq. refert pro sua sententia.

Pro explicatione.

Dico primò. In Ecclesia possumus, vti nomine ingeniti, vel innascibilis, tamquam proprio Patri.

DIco, VEL INNASCIBILIS: quia illo vtuntur Damas. vbi suprà Hylar. 9. de Trin. Basil. 2. contra Eunom. & Scholastici cōmunitèr: significat enim, quòd ingenitum.

QVo supposito: Prima pars huius Conclusionis patet: quia tali nomine vtuntur Concil. Tolletanum 6. & 11. & Bermacense in Confessione fidei, & Ecclesia canens in festo Trinitatis, Te Patrem Ingenitum &c. Ignatius in Epistola ad Ephes. relata ab Athanasio in Epistola de Synodis Arimini, & Scaleutiæ Aug. vbi suprà, & lib. 15. de Trin. Cap. 26. Hylar. 4. & 9. de Trin. Nazian. Iustin., Damas. & alij, vbi suprà.

Secunda verò pars Conclusionis est de fide, ità docet Fulgentius ad 7. obiectionem Arianorum Damas. lib. 1. de fide Cap. 8. & sequētibus. Nazian. Oratione 23. & 36. & ità diffinitur in Concilijs allegatis, & in Concilio Niceno, vbi referente Athanasio in Epistola ad Seraphionē sub Anathemate fuit præceptum, vt solùm Patrem vocaremus, & crederemus

-deremus ingenitum, vt sciamus autem, in qua significatione, hoc nomen Ingenitum secundum fidem sit proprium Patri, sciendum est ex Athanasio in prædicta Epistola de Synodis, & Damasc. vbi suprà, & alij hoc nomen INGENITVM, habere tres significationes.

Primò significat idem, quòd æternum, & non factum, vel increatum.

Secundò significat id, quòd, licèt ab alio producatur, tamèn non est terminus productus per generationem propriè sumptam, quomodo August. 5. de Trinit. Cap. 6. & 7. ait significare idem, quòd iste terminus. Non Filius.

Tertiò significat, id, quòd non habet auctorem, neq; aliquod principium sui.

Rursus in istis duabus vltimis significationibus teste D.Th. in 1. d. 13. Quæst. 1. Art. 4. in eo potest duplicitèr sumi vno modo, vt negatio IN. sit absoluta, & non determinata ad aliquod genus, & significet, id, quòd nullo modo generatur, aut habet principium, alio modo, vt negatio illa determinetur ad aliquod certum genus, & habeat similitudinem, cum priuatione, quæ est negatio formæ in subiecto determinato, & actu habere illam.

In secunda Ergò parte Conclusionis, non loquimur de hoc nomine INGENITVM in prima significatione, nec in secunda, siuè negatio sumatur absolutè, siuè determinata ad rem, vel personã diuinam, neq; in tertia, si negatio sit absoluta, sed sumitur in secunda, si negatio determinetur ad principium, quòd ad intra, vel in tertia, si negatio determinetur ad rem positiuam, & realem.

Declarantur ista: Nàm Ingenitum in prima significatione, teste D.Th. in 1. d. 28. Quæst. 1. Art. 2. ad 3. est prædicatum essentiali toti Trinitati, propter quòd Igna. vbi suprà, & Crisos. Hom. 35. imperfecti, Filium vocant ingenitum, & Epipha. hæres. 76. & Damàs. lib. 1. Cap. 9. essentiam, & tres personas, vocant ingenitas.

Rursus in secũda significatione negatione sumpta absolutè, hoc nomen dicitur de omni innanimato: Nàm illud non est terminus productus per propriam generationem, Ergò est ingenitum, & ità non erit proprium Patri esse ingenitum isto modo, neq; etiam, si negatio determinetur modis prædictis: Nàm essentia diuina, est res diuina, & nõ est terminus productus per generationem, Ergò erit ingenita, Isto modo similitèr Spiritus Sãctus est persona diuina, & quia non est productus per generationem, ideò aliquandò vocatur ingenitus isto modo. Ità D. Thom. hic ad secundum, & eodem modo vocant eũ. Na-

zian. in ser. de Epiphan. & Nicetus super Orationem 39. Nazianzeni Tādem, quòd hoc nomen, non sit proprium Patri in tertia significatione negatione sumpta absolutè patet: Nàm de quacumq; re impossibili possumus dicere, quòd est ingenita, isto modo, idest, improducibilis, & cui repugnat habere sui auctorem.

Erit Ergò, hoc nomen Ingenitum proprium Patri, si sumatur in secunda significatione, & negatio determinetur ad principium Quod ad intra.

Probatur: Nàm Patri, & nulli aliæ rei creatæ, vel increatæ, conuenit esse principium Quòd ad intra, non procedens per generationem, sed significatur hoc nomine ingeniti, in ista acceptione, Ergò hoc nomen in hac acceptione, soli Patri conuenit Mai. patet: Nàm nulla res creata est principium Quòd ad intra diuinarum personarum, & nulla res, diuina (præter Patrem) est principium, quòd ad intra, cui repugnet generatio: Nàm Filio, qui est principium quod ad intra, non repugnat generatio, essentia vero, & Spiritus Sanctus, quibus repugnat talis generatio, vt terminis illius, non sunt principium quod ad intra, Ergò idem dicimus de ingenito in tertia significatione, si negatio determinetur ad ens reale positiuum: Nàm tunc nomen INGENITVM, in illa significatione, etiam erit proprium Patri, vt dicemus Conclusione tertia.

Dico secundò. Hoc nomen INGENITVM, non significat relationem realem positiuam, oppositam relationi genitoris.

Probatur. Primò: quia aliàs in diuinis essent quinq; relationes reales, scilicèt Paternitas, Filiatio, Spiratio, Processio, & ista relatio ingeniti, cuius contrarium suprà ostendimus.

Secundò: Quia aliàs talis relatio, cum esset incommunicabilis pluribus suppositis, & subsistens, constitueret Personam: constituit enim illam in diuinis relatio subsistens, & incommunicabilis.

Tertiò. Quia non habet terminum realem, ad quem referatur, Ergò. Antecedens ostenditur, Nàm non refertur Pater realitèr per illam ad essentiam, cum ab illa non distinguatur realitèr, neq; ad Creaturas: quia non sunt eiusdem ordinis, neq; ad Filium, vel Spiritum Sanctum: Nàm, licèt principium realitèr referatur ad rem, quam producit (tamquam producens ad productum) non tamen refertur ad

eam alia relatione reali tamquam non productum ad non producentem, aliàs in Filio, & Spiritu Sancto esset alia relatio realis non genitoris, respectu Patris, & in qualibet causa, præter relationem causæ ad effectum, esset alia, qua ipsa causa non producitur ab effectu, & similitèr in effectu, prȩter relationē effectus ad causam, poneremus aliam realem quatenus non producit causam, Ergò.

Confirmatur. Nàm si relationes diuinæ requirunt aliquod fundamentum, ista relatio non habet aliam actionem notionalem distinctam in qua fundetur tamquam distincta relatio.

Dico tertiò. Ingenitum, vt est notio Patris, potest sumi duplicitèr, & vt dicit negationem generationis passiua propriè sumpta, & vt dicit negationem omnis processionis, determinatam ad ens positiuum.

PRima Pars Conclusionis est D. Thom. hic ad 1. & Caiet. Quæst. 32. Art. 2. & Videtur esse Aug. 5. de Trin. Cap. 6. & 7. vbi ait, ingenitum esse notionem Patris, & significare negationem passiuā generationis, ità vt sit idem, quod non Filius.

Potest autem hoc duplicitèr explicari. Primò: Nàm generatio propria, potest alicui conuenire tamquam termino producto per illam, vt conuenit Filio, vel tamquam formæ, & naturæ communicatæ per illam, vt conuenit essentiæ, quæ communicatur per generationem Filio, vel tamquam supposito, quod ad suam processionem eam præ requirit, quomodo conuenit Spiritu Sancto, cuius processio, vt pote, quæ est per voluntatem, supponit processionem per intellectum, quæ est generatio Filij, vt diximus Quæst. 27. Si Ergò ingenitum sumatur, vt id cui repugnat generatio omnibus istis modis, & negatio limitetur ad ens reale, & positiuum certum est, quod esse ingenitum isto modo solum conuenit Patri: non enim præter illum, est dabile aliquod ens reale, & positiuum, quod, vel non sit terminus generationis, vel non communicetur per generationem, vel non supponat ipsam generationem: Nàm saltìm Spiritus Sanctus, & creaturæ, suppponunt propriam Filij generationem, & ità ingenitum, isto modo explicatum, est proprium Patri.

Secundò id explicatur: Nàm, licèt ingenitum solum significet id, quod non est terminus generationis propriè sumptæ, si prædicta ne-

gatio limitetur ad principium, quod ad intra, etiam est notio propria Patri: Nàm vt ostendimus Conclusione 1. In diuinis nullum datur principium, quod ad intra, quod non sit terminus generationis nisi Pater.

Secunda pars Conclusionis etiam est D. Thom. hic ad 2. & Aug. lib. 15. de Trinit. Cap. 26. vbi ait; PATER SOLVS NON EST AB ALIO, & IDEO SOLVS APPELLATVR INGENITVS, est etiam D. Athan. in Epist. ad Seraphio. vbi ait, Concilium Nicenum declarasse soli Patri esse proprium, quod sit ingenitus, & inprincipiatus, vbi pro eodem accipit esse ingenitum, & esse in principiatum, quod est non esse ab alio &c.

Et probatur ratione hoc. Nullum ens reale, præter Patrem, potest dari, quod non sit ab alio, vel simplicitèr in aliquo supposito: Nàm Personę diuinæ procedentes, & Creaturę, producuntur ab alio, scilicèt Patre. Essentia verò diuina, licèt non producatur à Patre, tamen ab illo habet esse in Filio, & Spiritu Sancto: communicauit enim eis Pater, suam essentiam, propter quod supra diximus, illum vocari principium Deitatis, Ergò soli Patri conuenit, esse ingenitum, vt hoc nomen significat omnem negationem principij auctoris, vel processionis, determinatam ad ens positiuum: quia soli illi conuenit omnis negatio ista, procedendi ab alio.

Neq; ex his sequitur, hoc nomen, istis diuersis modis sumptum, significare diuersas notiones primæ Personæ: quocumq; enim modò sumatur, importat eamdem notionem illius, vt scilicèt illa est simplicitèr prima Persona, nullo modo procedens ab alio: Nàm esse principium, quod ad intra, non terminans generationem, vel esse ens reale positiuum, cui nullo ex prædictis modis conuenit generatio, & esse ens reale positiuum, quod nullo modo habet esse ab alio, vel, vt simplicitèr sit, vel, vt sit in aliquo, nihil aliud est, quàm esse primum suppositum naturæ diuinæ, antequod non est aliud, & ità per hæc omnia, significatur eadem conditio primæ Personæ, scilicèt quod est simplicitèr prima, & improducta, & ità, solùm dicit vnam notionem illius.

Ex dictis sequitur, non esse eamdem rationem de inspirabilitate, vt sit notio Spiritus Sancti, quocumq; modo eius negatio limitetur ad principium, quo ad intra, vel ad extra, vel ad ens reale, & positiuum.

Declaratur hoc, Si negatio importata per inspirabile, determinetur ad principium, quod ad intra, non potest conuenire Spiritui Sancto, qui non est principium, quod ad intra, Si determinetur ad principium,

cipium, quod ad extra, conuenit Deitati præintellectæ Personis, quæ, vt sic, nec spirat, nec spiratur, & est principium, quod Creaturarum, si tandem determinetur ad ens positiuum, & reale, Creaturæ non spirant, & ità hoc non erit proprium Spiritui Sancto, Si verò inspirabile sumatur, vt neget omnem rationem spirationis, ità, vt nec sit terminus, nec terminus productus per spirationem, neq; communicatus per illam, nec supponens eam, tunc tale nomen, non potest conuenire Spiritui Sancto, & ità, neq; esse, esse notionem eius.

Dices saltìm inspirabile sumptum passiuè, vt eius negatio limitatur ad principium, quod ad intra, potest esse notio Patris, & Filij, sicut communis spiratio: quia dicit aliquid illis specialitèr conueniens, & importans dignitatem requisitam ad rationem personæ, scilicèt quod sit in natura diuina.

Respondeo tamen, hanc non posse esse notionem distinctam patris: quia includitur in ratione ingeniti modis explicatis, id enim, quod non supponit generationem, & nullo modo procedit ab alio, spirari non potest, ratio autem includens aliam, & ipsa inclusa, non sunt distinctæ notiones, vt diximus de Paternitate, & formali principio.

Sed Respondeo secundò. Hanc non posse esse notionem Patris, & Filij: quia spiratio actiua est notio eorum, & eidem supposito nequeunt conuenire relationes reales oppositæ spirantis, & spirati, & ideò: quia affirmatio vnius oppositi, est remotio alterius, propterea non alia nota cognoscuntur, per hoc, quod dicantur spirata, quàm per hoc, quòd dicantur principia non spirata, sicut eadem notione cognoscitur Filius: quia est genitus, & quia est principium non generans, & Pater: quia conceptu Filij, includitur remotio Paternitatis, & generationis actiuæ. Vnde Epiphan. hæres. 73. ait in nomine PATER apparet, quod ipse Pater non est Filius.

Sed rursus vrgebis. Ad esse Patrem sequitur esse ingenitum, vt dicit negationem passiuæ generationis propriè limitatam ad rationem principij. Quod ad intra, & tamen esse ingenitum, est specialis notio Patris, Ergò idem erit de non spirato.

Respondeo duplicitèr. Primò negando Antecedens: Nàm, vt aduertit Aug. 5. de Trin. Cap. 6. si ad rationem Patris, vt sic, sequeretur esse ingenitus, nullus Pater esset ingenitus. Secundò Respondeo transeat Antecedens, & nego Consequens. Differentia est duplex. Prima: quia prædicta negatio generationis confert negationem omnis processionis: principium enim per intellectum primæ processioni, (qualis est illa generatio) non potest procedere per aliã: alias enim

gatio limitetur ad principium, quod ad intra, etiam est notio propria Patri: Nàm vt ostendimus Conclusione 1. In diuinis nullum datur principium, quod ad intra, quod non sit terminus generationis nisi Pater.

Secunda pars Conclusionis etiam est D. Thom. hic ad 2. & Aug. lib. 15. de Trinit. Cap. 26. vbi ait; PATER SOLVS NON EST AB ALIO, & IDEO SOLVS APPELLATVR INGENITVS, est etiam D. Athan. in Epist. ad Seraphio. vbi ait, Concilium Nicenum declarasse soli Patri esse proprium, quod sit ingenitus, & inprincipiatus, vbi pro eodem accipit esse ingenitum, & esse in principiatum, quod est non esse ab alio &c.

Et probatur ratione hoc. Nullum ens reale, præter Patrem, potest dari, quod non sit ab alio, vel simplicitèr in aliquo supposito: Nàm Personę diuinæ procedentes, & Creaturę, producuntur ab alio, scilicèt Patre. Essentia verò diuina, licèt non producatur à Patre, tamen ab illo habet esse in Filio, & Spiritu Sancto: communicauit enim eis Pater, suam essentiam, propter quod supra diximus, illum vocari principium Deitatis, Ergò soli Patri conuenit, esse ingenitum, vt hoc nomen significat omnem negationem principij auctoris, vel processionis, determinatam ad ens positiuum: quia soli illi conuenit omnis negatio ista, procedendi ab alio.

Neq; ex his sequitur, hoc nomen, istis diuersis modis sumptum, significare diuersas notiones primæ Personæ: quocumq; enim modo sumatur, importat eamdem notionem illius, vt scilicèt illa est simplicitèr prima Persona, nullo modo procedens ab alio: Nàm esse principium, quod ad intra, non terminans generationem, vel esse ens reale positiuum, cui nullo ex prædictis modis conuenit generatio, & esse ens reale positiuum, quod nullo modo habet esse ab alio, vel, vt simplicitèr sit, vel, vt sit in aliquo, nihil aliud est, quàm esse primum suppositum naturæ diuinæ, ante quod non est aliud, & ità per hæc omnia, significatur eadem conditio primæ Personæ, scilicèt quod est simplicitèr prima, & improducta, & ità, solùm dicit vnam notionem illius.

Ex dictis sequitur, non esse eamdem rationem de inspirabilitate, vt sit notio Spiritus Sancti, quocumq; modo eius negatio limitetur ad principium, quo ad intra, vel ad extra, vel ad ens reale, & positiuum.

Declaratur hoc, Si negatio importata per inspirabile, determinetur ad principium, quod ad intra, non potest conuenire Spiritui Sancto, qui non est principium, quod ad intra, Si determinetur ad principium,

cipium,quod ad extra,conuenit Deitati præintellectæ Perſonis, quæ, vt ſic, nec ſpirat,nec ſpiratur,& eſt principium,quod Creaturarum, ſi tandem determinetur ad ens poſitiuum , & reale,Creaturæ non ſpirant, & ità hoc non erit proprium Spiritui Sancto, Si verò inſpirabile ſumatur, vt neget omnem rationem ſpirationis, ità, vt nec ſit terminus, nec terminus productus per ſpirationem, neq; communicatus per illam, nec ſupponens eam, tunc tale nomen, non poteſt conuenire Spiritui Sancto,& ità, neq; eſſe, eſſe notionem eius.

Dices ſaltìm inſpirabile ſumptum paſſiuè, vt eius negatio limitatur ad principium,quod ad intra,poteſt eſſe notio Patris,& Filij,ſicut communis ſpiratio: quia dicit aliquid illis ſpecialitèr conueniens,& importans dignitatem requiſitam ad rationem perſonæ,ſcilicèt quod ſit in natura diuina.

Reſpondeo tamen,hanc non poſſe eſſe notionem diſtinctam patris: quia includitur in ratione ingeniti modis explicatis, id enim, quod non ſupponit generationem, & nullo modo procedit ab alio,ſpirari non poteſt, ratio autem includens aliam, & ipſa incluſa,non ſunt diſtinctæ notiones,vt diximus de Paternitate, & formali principio.

Sed Reſpondeo ſecundò. Hanc non poſſe eſſe notionem Patris, & Filij: quia ſpiratio actiua eſt notio eorum, & eidem ſuppoſito nequeunt conuenire relationes reales oppoſitæ ſpirantis, & ſpirati, & ideò: quia affirmatio vnius oppoſiti, eſt remotio alterius, propterea non alia nota cognoſcuntur, per hoc,quod dicantur ſpirata,quàm per hoc, quòd dicantur principia non ſpirata, ſicut eadem notione cognoſcitur Filius: quia eſt genitus, & quia eſt principium non generans, & Pater: quia conceptu Filij,includitur remotio Paternitatis, & generationis actiuæ. Vnde Epiphan. hæreſ.73. ait in nomine PATER apparet, quod ipſe Pater non eſt Filius.

Sed rurſus vrgebis. Ad eſſe Patrem ſequitur eſſe ingenitum, vt dicit negationem paſſiuæ generationis propriè limitatam ad rationem principij. Quod ad intra, & tamen eſſe ingenitum,eſt ſpecialis notio Patris, Ergò idem erit de non ſpirato.

Reſpondeo duplicitèr. Primò negando Antecedens: Nàm,vt aduertit Aug.5. de Trin. Cap.6. ſi ad rationem Patris, vt ſic, ſequeretur eſſe ingenitus,nullus Pater eſſet ingenitus. Secundò Reſpondeo tranſeat Antecedens, & nego Conſequens. Differentia eſt duplex. Prima: quia prædicta negatio generationis confert negationem omnis proceſſionis: principium enim per intellectum primæ proceſſioni,(qualis eſt illa generatio) non poteſt procedere per aliã: alias enim

illa non esset prima, Negatio autem ista omnis processionis notificat Patrem, vt primum: Negatio verò passiuæ spirationis etiam limitata ad principium, quod ad intra, non notificat Patrem, & Filium, vt primum principium, aut alia ratione, quam innotescat per proprias suas notiones, & ideò non est notio diffinita.

Secunda est: Quia ratio principij QVOD ingeniti, est vna formalitèr indiuisibilis: quia, vt dicetur Conclusione 5. fundatur in Paternitate, quæ est vna formalitèr indiuisibilis: ratio verò principij QVOD non spirati, non dicit vnam, sed plures rationes principij: Nàm Pater, vt generans, dicit rationem distinctam principij à se ipso, & Filio: vt spirantibus: specialis autem notio, debet dicere rationem formalitèr indiuisibilem, vt diximus Quæst. 32. Art. 3. dub. 1. Conclusione 1.

Dico quartò. Hoc nomen INGENITVM, non significat directè aliquid positiuum: supponit tamen, vel connotat illud.

ISta Conclusio est expresse Aug. 5. de Trin. Cap. 7. vbi multis probat, tale nomen nihil aliud significare: nisi negationem generationis passiuæ, & quod Pater non habet genitorem, idem docet Concil. Tolet. XI. vbi suprà, & Cyril. 1. Thesauri Cap. 2. & 3. & lib. 11. Cap. vni. Basil. 5. contra Eunomium, & Epiphan. hæres. 73. qui omnes id expresse docent, & ex eo probant, tale nomen non significare essentiã Dei: quia illa est aliquid positiuum, & hoc nomen est negatiuum indicans, non quid sit Deus, sed quid non sit.

Secundò probatur testimonijs D. Th. qui id expresè docet, quicquid illi imponat Vazq. Etenim hic in Corpore Art. & in 1. dist. 28. Quæst. 1. Art. 1. ait, Patrem duplicitèr notificari. Primò, vt est principium aliarum personarum, & sic innotescit Paternitate, & spiratione. Secundò, vt non est ab alio, & sic innotescit innascibilitate, quam significat nomen ingeniti. Similitèr hic in solutione ad 1. D. Thom. reijcit sententiam Bonauenturæ dicentis, hoc nomine significari rationem positiuam plenitudinis formalis principij.

Dices cum Vazq. D. Thom. solum velle ibi, quod non significet positiuum formalitèr, & expresse, & per se primo: non verò negare, quod non significet aliquid positiuum.

Sed contra hoc est: Nàm D. Thom. expresse negat hoc nomen

vtrumq; ſimul ſignificare,aut importare, poſitiuum ſcilicèt, & negatiuum: quia teſte Aug.vbi ſuprà,ſignificat idem,quod non Filius,ſed vtrumq; ſimul importaret, ſi diceret poſitiuum directè, licèt importaret illud materialitèr, & non eſſet idem, quod non Filius: quia hoc nomen nihil dicit poſitiuum, Ergò.

Tertium teſtimoniũ eiuſdem D. Thom.eſt hic ad 2.& in 1.diſt. 3. Quæſt.1. Art. 4. vbi ait,quod, ſi hoc nomen ingenitum non intelligatur conuenire principio,quod ad intra,conueniret Spiritui Sancto, & non erit proprium Patri,& in ſolutione ad 3.ait,tale nomen ſignificare negationem relationis Filij, & ideò pertinere ad generans relationis reductiue, ſicut negatio reducitur ad generans poſitiui,ſed,ſi tale nomen directè ſignificaret poſitiuam rationem principij producti nõ poſſet conuenire Spiritui Sancto,qui non habet talem rationem principij, nec reduceretur ad genus relationis,ſicut negatio illius, ſed poneretur in eo directè,tamquam ſignificans illam, ſicut Perſona diuina ſine reductione ponitur in prædicamento relationis, Quia, licèt, vt vult Vazq. ſignificet relationem materialitèr, ſignificat tamen illam directè, & non in obliquo, Ergò.

Quartũ teſtimonium D.Thom. eſt, quod habet in Quæſt.40. Art. 3.ad 3.vbi expreſſe ait, quod remota Paternitate,& remanente innaſcibilitate in Patre, non remanet aliqua ratio hypoſtaſis; quia ingenitum nihil ponit, ſed negatiuè dicitur.

Tamdem D.Thom.in 1.diſt.28.Quæſt.1.Art.1.ad 1.expreſsè negat tale nomen ſignificare aliquam poſitiuam rationem principij in communi,& in ſpeciale, Ergò falsò Vazq.imponit D.Th.quod contra ſententiam Sanctorum dicat, hoc nomine ſignificari aliquid poſitiuum.

Tertiò probatur Concluſio rationibus: Nàm poſitiuum, quod dicitur importari tali nomine, ratione cuius ſit ſpecialis notio, non eſt ratiò principij,vt eſt principium,nec ratio formalis principij, nec ratio principij, vt eſt primum, Ergò nihil importat poſitiuum. Conſequentia patet: quia ideò Vazq.ait importare aliquid poſitiuum:quia importat aliquam ex prædictis rationibus. Antecedens pro prima parte patet: quia ratio principij, vt ſic, eſt communis principio generatiuo,& ſpiratiuo, & in ratione illius,non poterit eſſe ſpecialis notio,quæ debet importare rationem ſpecialem,& indiuiſibilem, vt dictum eſt.

Secunda pars eiuſdem Antecedentis probatur:Nàm ratio formalis principij,non dicit rationem vniuerſalem,& communem principij,vt oſten-

ostendimus Quæst. præcedenti Art. 3. dub. 1. sed importat, vt ibi probauimus, rationem veluti compositam ex duplici ratione principij generatiui, & spiratiui, sed ratio ista, veluti composita, non est specialis notio, vt ibi ostendimus, Ergò hac ratione INGENITVM non est specialis notio: quia importat rationem formalis principij, quæ est positiua. Mai. patet: Nàm D. Thom. hic ad primum ait, quod ratio formalis plenitudinis principij, includit Paternitatem, & spirationem, sicut commune includitur in proprio: non loquitur autem de communi per prædicationem, sed per compositionem, vel ad vna tamen plurium: Nàm sicut dicimus, quòd Deus est omne bonum, non per prædicationem, sed per inclusionem: quia includit omnem rationem bonitatis per formalissimam identitatem, ità formalis plenitudo principij, non est communis per prædicationem: non enim prædicatur de principio spiratiuo, vt sic, sed per inclusionem omnis rationis principij: quia talis plenitudo formalis principij solum potest competere habenti vtramq; rationem principij generatiui, & spiratiui.

Tandem pro tertia parte probatur idem Antecedens: Nàm vel ratio primi principij, vt est primum, dicit habitudinem positiuam ad secundum, & hæc ratio in Trinitate non est alia, nisi Paternitas, & ideò nequit constituere distinctam notionem. Vel dicit habitudinem ad priorem personam producentem, & hæc habitudo, non est positiua, sed negatio prioris principij, Ergò.

Quartò illud positiuum, quòd dicitur importare ingenitum, nō est relatio realis, neq; rationis, Ergò nihil. Consequentia patet: quia notio positiua, cum sit personalis, pertinens ad originem, debet importare aliquam relationem.

Antecedens autèm pro prima parte patet: quia aliàs darentur in Deo quinquè relationes reales, scilicèt Paternitas, Filiatio, spiratio, processio, & ratio ingeniti, quod suprà damnauimus.

Pro secunda etiam parte patet: Nàm relatio rationis, non dicit maiorem dignitatem, nequè perfectionem, quàm negatio, vel priuatio, sed Ingenitum: quia est notio, dicēs dignitatem personæ, asseritur non importare aliquid negatiuum, Ergò eadem ratione asserendum est non importare relationem rationis.

Confirmatur; Alijs personis competunt aliæ propriæ relationes rationis, & tamèn non sunt speciales notiones earum, Ergò neq; ingenitum erit specialis notio, si dicat relationem rationis. Antecedens patet: Nàm ex proprietate personali secundariò, repræsentare, aut ma-

nifestare creaturas, & personas, dicit relationem rationis, propriam Verbo, & esse donum ex vi suę processionis, includit relationem rationis ad creaturas, propriam Spiritui Sancto, & tamèn istæ non sunt notiones Filij, & Spiritus Sancti, Ergò.

Secunda pars Conclusionis est D. Th. Capræol. Duran. & aliorum in 1.d.28. vbi suprà.

Et probatur: quia omnis negatio, cõpetens enti reali positiuo, supponit in eo aliquid positiuum, ratione cuius conueniat, Ergò idem dicendum est de negatione, quam importat INGENITVM, & quæ conuenit Patri.

Antecedens est D.Th. 1.2. Quæst.72. Art.6. & in 1.d.35. Quæst. 1. Art.1.ad 2. & de Potentia Quæst. 101. Art.5. v.g. Homini conuenit non esse irrationalem: quia conuenit ei positiua rationalitas, Ergò.

Secundò: Nàm hoc nomen INGENITVM, vel dicit priuationem, vel negationem determinatam ad aliquod ens positiuum, vt suprà explicuimus, sed priuatio requirit fundamentum, & negatio determinata distinguitur ab absoluiue: quia importa aliquod positiuũ, saltem in obliquo, vt diximus Conclusione prima, Ergò.

Quomodo verò, ratio ingeniti non constituat Patrem, ostendetur infrà Quæst.40. Art.2.dub.1. Conclusione tertia.

Dico quinto, & vltimo. Positiuum, quod supponit, vel connotat ingenitum, est Paternitas.

HAnc Conclusionem negant Duran. vbi suprà num.9. asserens negationem ingeniti, fundari in ratione vniuersalis principij, & Aureol. vbi suprà dicens, illam fundari in essentia.

Sed nostra Conclusio est D. Th. in 1.d.28. Quæst. 1. Art.2.in Corpore, & ad 2. & Capræoli ibidem ad 5. contra 3.

Probatur quæ. Primò: Nàm teste D.Th.ibidem ad tertium, & hic Quæst.40. Art. 2. ad 3. remota Paternitate, non manet in Patre ratio ingeniti, Ergò illa non fundatur in sola essentia, sed supponit etiam Paternitatem.

Confirmatur. Id, quòd conuenit alicui Personæ ratione essentiæ, conuenit omnibus, & non est spiritualis notio illius, Ergò, si ratio ingeniti conuenit Patri, ratione essentiæ, illa erit communis, & non spiritualis notio Patris, quòd verò Paternitas, sit fundamentum sufficiẽs

istius

istius negationis probatur: quia Paternitas, vt sic, constituit suppositum, quòd est principium originis primæ antequam non intelligitur alia, Ergò ex propria ratione est sufficiens fundamentum innascibilitatis. Antecedens patet: Nàm constituit Patrem, qui vt sic, est principium generationis, antequam non intelligitur alia Origo.

Consequentia verò probatur: quia sufficiens fundamentum negationis importatæ tali nomine, est illud positiuum, quòd tribuit Patri esse ante omnem originem: tribuit autèm hoc, quod tribuit ei esse principium primæ originis.

Secundò plenitudo principij, vt includit rationem principij generatiui, & spiratiui, non tribuit Patri innascibilitatem ratione spirationis, Ergò tribuit illā ratione Paternitatis, & ità illa erit sufficiens fundamentum innascibilitatis. Antecedens patet: Nàm spiratio actiua non est fundamentum, ratione cuius repugnet alicui procedere; conuenit enim Filio procedenti. Consequentia verò probatur: quia in illa ratione plenitudinis principij, nihil aliud (pratèr Paternitatē) remanet, quod fundet talem priuationem.

Vltimò, quia primum Pater constituitur Paternitate, vt præintelligitur spirationi actiuę, intelligitur ingenitus, Ergò sola paternitas intelligitur sufficiens fundamentum innascibilitatis. Antecedens patet: quia Pater in illo priori rationis intelligitur existens, cum intelligatur generare, & non intelligitur, vt existens ab alio, Ergò intelligitur, vt existens non ab alio, & per Consequens, vt ingenitus.

Ad primum Ergò Respondeo, quod hoc nomen INGENITVM, in significatione, qua tribuitur Patri, vt patet ex Conclusione prima, non negatur à Sanctis Patribus esse proprium illi, neq; asseritur significare, eum in ordine ad creaturas, aut negare omnem generationem in diuinis, sed significari aliquid proprium Patri, scilicèt negationem relationis, & generationis, & ideò non dicitur in ordine ad terminū: Nàm, licèt relatiua, & positiua, vt Pater, & Filius, dicantur ad conuertentiam: non tamèn sic dicuntur ea, quæ significant relationis negationem, vt non dicimus Non Filius est Patris, non Filius, nec non Patris non Filius, nec econtra, neq; verò Sancti Patres, absolutè reijciebant illud nomen, eo quòd non inueniretur in scripturis, sed arguebāt contra Arrium ad hominem, quod, si nomen consubstantiale non admittebat dici de Filio: quia non habetur in scripturis, nequè deberet admittere nomen INGENITVM: quia non reperitur in illis. Ea, quæ diximus de hoc nomine INGENITVM, suo modo applicanda sunt huic nomini GENITVRA, Basil. enim lib. 2. contra Eunom.

non admittit illud dici de Filio. Primò ad hominem: quia non habetur in scripturis. Secundò: quia Eunomius sumebat illud, vt significaret idem, quòd creatum, & factum, sicut sumebat ingenitum pro increato, & nõ facto, & ità cum Filius, non esset creatus, non poterat vocari genitura in ista significatione.

Cæterum idem Basil. postea in sermone contra Sabelianos, & Arrium sumens hoc nomen pro eo, quòd est genitum, vt est oppositum, huic nomini INGENITVM, quatenùs significat negationem generationis tribuit illud Filio dicens FILIVS EST VIVVM VERBVM, ET GENITVRA PATRIS, & iterum, Filius veluti genituram coessentialitatem conseruat.

Ad secundum nego Antecedens. Ad probationem nego Min. In tertia enim Conclusione diximus vtroque illorum modorum, esse notionem Patris.

Ad primam probationem pro prima parte Min. ibidem diximus differre inter ingenitum, & inspiratum, quod ingenitum, licèt formalitèr, & expressè solùm neget esse à principio speciali per generationẽ; tamen implicitè virtualitèr, & consequenter, negat omnem aliam processionem & dicit negationem essendi ab omni principio, & ità potest esse notio, inspiratum verò neq; consequentèr negat esse ab omni principio, & ideò non dicit dignitatem, ratione cuius possit esse notio, vt ibi explicuimus.

Ad secundam probationem nego sequellã: Nàm ratio ingeniti conuenit Patri in illo priori originis, quo conuenit ei Paternitas, & ideò conuenit ei prius origine, quã Filiationi competat generatio.

Ad probationem verò contra hoc Respondeo, quod aliud est ingenitum supponere cognitionem geniti: aliud verò supponere, quòd ratio geniti, conueniat Filio prius, quã ratio ingeniti conueniat Patri. Primum enim verùm est: Nàm positiuum est prius cognitione, quàm priuatio. Secundum tamèn falsum est, sicut ratio finiti, & temporalis, quæ est positiua, prius intelligitur, quàm ratio priuatiua infiniti, & æterni: nulli tamèn conuenit prius ratio finiti, & temporalis, quàm conueniat Deo ratio æterni, & infiniti.

Ad primam verò probationem pro secunda parte Min. nego Antecedens. Ad primam eius probationem nego Consequentiam. Differentia est: quia esse creatum in creaturis, solùm dicit relationem ad Deum, & ità esse increatum, non negat relationem realem personarum diuinarum ad inuicem, sed solùm relationem earum ad principium extrinsecum producens eas ex nihilo, & ità negatio conuenit omnibus

personis,

personis, & essentiæ, Esse verò productum, est commune omni producto per creationem, generationem, vel aliam processionem, & ideò esse omnimodè improductum, non tantùm negat relationem ad principium extrinsecum, sed etiam relationem realem personarum procedentium ad intra, & ideò dicit aliquid relatiuum negatiuum, proprium Patri.

Ad secundam probationem, Respondeo Cyrillum sumere ingenitum pro non facto, vt est commune Trinitati.

Ad tertiam probationem nego Consequentiam: Nàm significatio nominum pendet ex vsu, & Theologorum vsus obtinuit, vt hoc nomen Ingenitum, significet negationem omnis processionis, & simile huic reperitur in alijs: rationale enim significat determinatum modum intelligendi per discursum: irrationale verò, non solùm negat illum modum intelligendi, aliàs Deus, & Angeli essent irrationales, sed negat omnem modum intelligendi, etiam per simplicem apprehensionem.

Ad confirmationem nego Antecendens. Ad probationem nego Consequentiam: Nàm ratio motus est generica, sicut & ratio peccati, quorum sunt multæ species, & tamèn esse immobile, quod importat priuationem omnis motus, est vna ratio indiuisibilis competens soli Deo, & innocentia, vt dicit immunitatē ab omni peccato proprietato, tantùm est vnius speciei. Similitèr Ergò, licèt ratio processionis sit generica, habēs distinctas species: omnimoda tamē necessariò omnis processionis est vna ratio specialis: quia teste D.Th. in 1. dist. 26. Quæst. 2. Art. 3. quantò positiuum est communius, tantò est specialior negatio eius, sicut non homo dicit rationem communiorem, quàm non Animal: quia Animal est communius homine.

Ad tertium principale Conclusione prima diximus, Ingenitum dicere negationem determinatam, & quia teste D.Thom. in 1. dist. 13. Quæst. 1. Art. 4. negatio determinata, assimilatur priuationi: quia supponit genus determinatum, sicut priuatio supponit fundamentum, ideò indiferentèr dicitur ingenitum importare priuationem, vel negationem: quia importat negationem determinatam, in quo assimilatur priuationi.

Ad quartum Respondeo S.S Patres per modū existendi, non intelligere aliquid positiuum, sed conditionem propriam Patri negatiuam, quòd non habet esse ab alio, vndè dicunt hoc nomen potius dicere, quid Pater non sit, quàm quid sit.

Ad quintum nego Consequentiam: Nàm Quæst. 32. Art. 3. & hic

Conclu-

Conclusione tertia, ostendimus negationem omnis processionis dicere dignitatem requisitam ad personam, quia dicit Aliquid pertinens ad naturam rationalem.

Explicit trigesima tertia Quæstio.

QVÆSTIO XXXIV.

DE PERSONA FILII.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Verbum in diuinis, sit nomen Personale.

Conclusio est affirmatiua.

DVBITATVR.

An hæc Conclusio sit vera.



IDETVR, quòd non. Primò dicere est essentiale, & non Personale, Ergò, & Verbum. Consequentia patet: quia dicere, & Verbum, sunt proportionabilia: quia sunt productio, & terminus, & ideò, si productio est essentialis, terminus non est Personalis.

Antecedens verò probatur tripliciter. Primò: quia D. Thom. hic ad 2. ait nihil eorum, quæ pertinent ad intellectum dici Personalitèr, nisi Verbum, Ergò dicere, quod pertinet ad intellectum, non est Personale, sed essentiale.

Secundò: quia Ansel. in Monologion Cap.6.ait, quod dicere Dei est cogitando intueri, & Cap.34.ait, quòd dicere Dei est intelligere, & in eodem Cap.6.ait, quòd Pater Filius, & Spiritus Sãctus, sunt vnus dicens,

dicens, cui conſonat Aug. 7. de Trinit. Cap. 1. vbi ait, quòd omnes Perſonæ diuinæ dicunt, Sed in diuinis intueri cogitando, & intelligere, & quicquid eſt commune tribus Perſonis, eſt eſſentiale, & non Perſonale, Ergò.

Tertiò. Nullus actus notionalis terminatur ad ſe ipſum, vel ad Perſonam producentem, vel ad Creaturas: quia eſt productio Perſonæ procedentis, quæ ad eam tantùm terminatur, vnde Pater, neq; generat, neq; ſpirat ſe, nec ſuos actus notionales, neq; creaturas, ſed dicere terminatur ad hæc omnia: Nàm Pater, per Verbum dicit omnia diuina, & creabilia, Ergò.

Confirmatur; Noſtrum Verbum, & noſtrum dicere, non ſunt relatiua de genere relationis, Sed abſoluta de prædicamento qualitatis, vel actionis, Ergò dicere, & Verbum diuinum ſignificant aliquid abſolutum, & eſſentiale, non relatiuum, & Perſonale.

Antecedens patet: Nàm Verbum eſt per ſe terminus conditionis: relatio verò, vt dicitur 5. phyſ. tex. 18. non eſt per ſe terminus alicuius motus, vel actionis, Similitèr dicere, eſt actio immediatè elicita ab intellectu, relatio verò non eſt actio, Ergò. Conſequentia verò probatur: quia teſte Cyrillo lib. 1. Theſaur. Cap. 7. hoc nomen Verbum tribuitur Filio propter ſimilitudinem ad noſtrum Verbum: cognoſcimus enim diuina ad noſtrum modum, & quæ in nobis dicunt abſolutum, vel reſpectiuum, proportionabilitèr in Deo debent dicere abſolutum, vel reſpectiuum.

Secundò Arguitur. Verbum diuinum eſt idem, quòd intelligere Dei, Ergò eſt eſſentiale. Conſequentia patet: quia intelligere Dei, & ſic, cùm ſit commune tribus perſonis, eſt eſsentiale. Antecedens verò probatur: Nàm Verbum pertinet ad intellectum, vt eſt formalitèr intelligens; & non vt ſpecies, neq; vt potentia intellectiua, Ergò, vt ipſum intelligere. probo iſtam Conſequentiã: quia ad intellectum, (vt eſt formalitèr intelligens) ſolum iſta pertinent: in diuina enim intellectione eſſentiali, reperiuntur omnia, quæ per ſe pertinent ad intellectum, vt eſt intelligens, & ſolùm reperiuntur iſta tria.

Confirmatur hoc: Nàm Aug. 9. de Trin. Cap. 7. & lib. 15. Cap. 11. 12., & 16. & in lib. de Cognitione veræ vitæ, & in ſer. de Ioan. Bapt. Anſel. Monologi Cap. 31. & Damaſ. lib. 1. de fide Cap. 18. dicunt Verbum nihil aliud eſſe, quàm ipſam cognitionem, ſed hæc eſt eſſentialis in Deo, Ergò.

Tertiò. Non eſt de ratione Verbi, quòd ſecundum rem procedat à dicente, ſed ſatis eſt; ſi procedat ab eo ſecundum rationem, Ergò non

eſt

est de eius ratione, quòd sit personale. Consequentia patet: quia ideò intellectio, & volitio Dei, sunt essentiales: quia non procedunt ab eo secundum rem, sed secundum rationem, satis enim est veræ actioni, si procedat à principio secundum intellectum.

Antecedens verò probatur: quia ex nullo principio constat emanationem secundum rem, esse magis de ratione Verbi, quàm de ratione actionis, cum etiam actio in sua diffinitione includat, quod sit ab alio, sed hoc non obstante satis est actioni diuinæ, quod sit à suo principio secundum rationem, & non secundum rem, & hoc non tollit illi, quod sit essentialis, Ergò idem erit de Verbo, quod satis erit illi, quod procedat secundum rationem, & ità erit essentiale.

Quartò Arguitur, Verbum formalitèr dicit sapientiam genitam, vel notitiam productam, vt habet Aug. 7. de Trin. Cap. 2. & lib. 9. Cap. 10. Sed sapientia genita, vel notitia producta principalius, & prius important absolutum, quàm relationem, Ergò idem erit de Verbo. Min. patet: Nàm dicunt essentiale limitatum ad personas: huiusmodi autem essentialia principalius, & prius dicunt absolutum, quàm relationem, vel aliquid Personale, vt si dicas Deus genitus, Ergò.

Quintò idem probatur tertio, & quarto argumento, cum suis confirmationibus factis Quæst. 27. Art. 2. dub. 2. illa enim probant, Verbum significare aliquid essentiale.

Sed contra est auctoritas D. Th.

In hoc dubio sunt septem sententiæ.

PRima. Hoc nomen, neq; sumi personalitèr, neq; essentialiter in diuinis: quia ibi nullum est Verbum, ità Alogiani, de quibus Epipha. Hæres. 51. & Aug. lib. de Hæresibus Cap. 30.

Secunda. Hoc nomen tantùm dici essentialitèr in diuinis. Ità Rabbi Moyses, qui damnatur de hoc in Directorio Inquisitorum parte 2. Quæst. 4. §. 6. num. 3. Consonat huic sententiæ alia, quam refert Athan. in Oratione contra Greg. Sauelij, quod: quia in Deo non est nisi vna Persona, ideò Verbum in Deo, dicitur essentialitèr, sicut Deus, & non significat aliquid personale, realitèr distinctum ab alijs Personis.

Tertia. Verbum esse omninò essentiale, & solùm per similitudi-

nem, & non propriè applicari secundæ Personæ, ità Orig. vt refert D. Thom. ad primum. Cui aliquomodo consonat, quantum ad hoc, quod non dicatur propriè, Duran. in 1. dist. 27. Quæst. 3. vbi ait, Filium vocari Verbum non propriè, sed per similitudinem: quia sicut processio Verbi mentalis, est prior processione amoris, ità processio Filij, quàm ipse, vt diximus Quæst. 27., ait, fieri per actum naturæ est prior processione Spiritus Sancti.

Quarta. Verbum in diuinis posse sumi essentialitèr, & Personalitèr, essentialitèr pro essentia, vt est forma intelligibilis, actualitèr repræsentans omne cognoscibile: personalitèr verò pro Filio intelligibilitèr, procedente per actum intellectus Paterni tamquam expræssa similitudo illius, ità D. Thom. in 1. dist. 27. Quæst. 2. Art. 2. & de veritate Quæst. 4. Art. 2. sequũtur illum Capræol. in 1. dist. 27. Quæst. 2. Conclusione 4. & Val. Quæst. 1. de Trinitate puncto 1. §. 3. in fine.

Quinta. Verbum importare simul absolutum, & relatiuum, sed principalius absolutum, & ideò magis esse essentiale, quàm Personale. Ità Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 13.

Sexta est. Quod dicere, aliquando in diuinis sumitur essentialitèr pro intelligere, aliquando verò notionalitèr pro generare: Verbum verò, solùm sumitur personalitèr: quia est terminus dictionis notionalis, idest, generationis. Ità quidam relati à D. Thom. in 1. vbi suprà.

Septima est. Verbum, & dicere, semper sumi notionalitèr, & personalitèr. De Verbo id asserit D. Thom. hic in corpore, & ad 2. & in 1. ad Anib. dist. 27. Quæst. 2. Art. 1. Caiet. hic Scotus in 1. dist. 27. Quæst. 1. Gabr. Quæst. 2. Bonauentura Aegidius Ricardus, & alij ibidem.

De dicere verò id asserit D. Thom. hic ad 3.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Verbum propriè, & formalitèr dicitur de mentali, & vocali, de illo dicitur per prius secundum ordinem naturæ: de isto verò per prius quoad nos.

PRimam partem huius Conclusionis negarunt quidam relati à torres suprà Quæst. 27. Art. 1. disp. 3. dicentes, Verbum non dici

proprium

proprium de mentali, sed tantùm de vocali.

Sed nihilominus, illa prima pars Conclusionis est vera, quam asserunt D.Thom.hic, & Aug.15.de Trinit.Cap.11. Et probatur In mente est vera, propria, & formalis locutio, Ergò ibi est verum proprium, & formale Verbum, sine quo talis locutio nequit reperiri: quia Verbum est, quod locutione profertur. Antecedens patet ex illo Ecclesiastes primo. LOCVTVS SVM CVM CORDE MEO, & Cap. 2. LOCVTVS SVM CVM MENTE MEA. Sapientiæ 1. DIXERVNT IMPII INTRA SE COGITANTES, & Math.9. DIXERVNT INTRA SE. HIC BLASPHEMAT, ET CVM VIDISSET IESVS COGITATIONES EORVM, DIXIT VT QVID COGITATIS MALA. Vbi patet, cogitationem vocari dictionem, vel locutionem. Verba autem scripturæ sumuntur proprie, & formalitèr, vbi ratio in contrarium non cogit.

Secundò Nàm primæ Chorin. 13. tribuuntur linguæ Angelis; illi autem non loquuntur Verbis vocalibus, sed mentalibus, Ergò.

Tertiò Filius Dei dicitur propriè Verbum, vt patebit Conclusione 3. Ergò, & Verbum mentis. Probo Consequentiam: quia, vt testantur Cyrillus lib.2.de Trin.& Fulgen.lib.3.ad Monimum, Filius ea ratione, proprie, & formalitèr vocatur Verbum, qua conceptus mentis vocatur Verbum.

Quartò. Ratio formalis, & propria Verbi, est esse formam productam manifestatiuam eius, quod est in mente, siue per speciem, siue per actualem intellectionem, sed conceptus productus per intellectũ, quem appellamus Verbum, est propriè forma manifestatiua eius, quod est in mente, vel in actu primo per speciem, vel in actu secundo per intellectionem, Ergò. Mai. est Basilij Hom.in primum Ioann. Hylar.lib.2.de Trinit.ad medium D.Thom.4.contra Gent. Cap. 11. & de veritate Quæst.4.Art.2.& in 1.dist.27.Quæst.2. Art. 1. in corpore, & ad 3. Min.etiam manifesta est: Nàm Verbum alicuius procedit ex specie, & intellectione eius, quam habemus in mente, & iuxtà earum diuersitatem formalem, vel virtualem, producuntur diuersa Verba.

Secunda pars Conclusionis, quod ratio Verbi formalitèr, & propriè competat vocali, negatur à Durando in 1.d.27.Quæst.2.num.7. & 27. vbi sentit Verbum vocale esse Verbum impropriè, & denominatione extrinseca: quia est signum Verbi mentalis, sed asseritur à D. Th. & Cai. hic, & probatur.

Primò: quia in scriptura, voces significatiuę, vocantur Verba, vt Lu-

cæ4. MIRABANTVR IN VERBIS GRATIAE, QVAE PROCEDEBANT DE ORE EIVS, Actorum 2. ALIIS ETIAM VERBIS PLVRIMIS TESTIFICATVS est &c.& 2.Reg. 23. HAEC SVNT VERBA NOVISSIMA, QVAE DIXIT DAVID. Similitèr vocalis locutio absolutè vocatur locutio, vt psalm. 16. OS EORVM LOCVTVM EST SVPERBIAM psalm. 40. OS MEVM LOQVETVR SAPIENTIAM, Math. 12. EX ABVNDANTIA CORDIS, OS LOQVITVR, Quæ loca debent intelligi propriè: quia nulla ratio cogit habere sensum improprium, Ergò Verba vocalia, sunt propriè Verba: quia propria locutio, & formalis, nequit reperiri sine proprio, & formali Verbo sibi proportionali: quia loqui, est proferre Verbum.

Secundò probatur. Ratio propria, & formalis Verbi, vt dictum est, est esse formam expressam, & manifestatiuam eius, quod est in mente, sed id habet Verbum vocale, scilicèt vox imposita ad significādū: Nā profertur ore, & propriè, & formalitèr significat ea, quę sunt in mente, vt habet Arist. in Periarmenias, quæ immeritò negat Vazq. suprà disp. 75. Cap. 3. Ergò.

Vltimò Verbum, vt dicemus in quarta parte Conclusionis, prius quoad nos significat vocale, quàm mentale, Ergò non significat vocale per attributionem, & denominationem extrinsecam à mentali.

Probo Consequentiam: quia in illo priori, vox significatiua erat Verbum, & non per ordinem ad mentale: quia tunc erat ignota ratio Verbi mentalis sub tali ratione Verbi, & nulla vox imponitur ad significandum per extrinsecam denominationem ab aliquo ignoto.

Tertia pars Conclusionis est Aug. 15. de Trin. Cap. 11. dicentis nomen Verbi magis conuenire mentali, quàm vocali, est etiam D. Tho. hic, & de Veritate, vbi suprà.

Et probatur. Nomina propriè dicta de Deo, & creaturis, per prius secundum ordinem naturæ dicuntur de Deo, quàm de creaturis: quia ratio importata per ea perfectius reperitur in Deo, & ab illo dimanat in creaturas. Ità D. Thom. suprà Quæst. 13. Art. 6. Sed ràtio Verbi, perfectius reperitur in mentali, & ab illo dimanat ad vocale, Ergò.

Min. pro prima parte patet: Nàm manifestatio Verbi mentalis est manifestatio similitudinis naturalis: manifestatio verò Verbi vocalis, est ab arte, quæ non attingit perfectionem naturæ.

Secun-

Secunda etiam pars Min. ostẽditur à D. Th. de veritate, vbi suprà: quia Verbum mentalis est finis vocalis, ad illud enim significandum, vel repræsentandum ordinatur vocale, est etiam veluti causa efficiens illius: Nàm, teste Athan. in Epistola de sententia Dionisij contra Arrium, Verbum oris per linguam prosilit ab ea ratione, siuè Verbo, quod est in corde, Cuius ratio est: quia, cum habeat manifestationẽ à voluntaria impositione, & illa proueniat à Verbo mentis, sicut omnis volitio causatur ab illo, vt disputatur 1. secundæ Quæst. 9. Art. 1. necessariò Verbum mentis debet esse causa efficiens vocalis.

Secundò id probat D. Th. de veritate Quæst. 4. Art. 1. ad 7. quia manifestatio non conuenit Verbo vocali, nisi per mentalem, Ergò prius conuenit mentali.

Quarta pars Conclusionis, negatur à Molina suprà Quæst. 27. Art. 1. disp. 6. sed est expressa Cyrili primo Thesaur. Cap. 7. à medio, & D.Th. de veritate Quæst. 4. Art. 1. & probatur. Nàm sicut cognoscimus, ità imponimus nomina, sed quia nostra cognitio oritur à sensu, prius cognoscimus sensibilia, inter quæ computatur Verbum vocale, quàm intelligibilia, inter quæ numeratur mentale, Ergò.

Secundò nomina propriè dicta de Deo, & creaturis, quantũm ad nominis impositionem dicuntur prius de creaturis, quam de Deo, vt habet D. Thom. suprà Quæst. 13. Art. 6. licèt ratio importata per ea prius ordine naturæ, & principaliùs reperiatur in Deo, nec sequitur aliquod inconueniens ex hoc, quod talis ratio prius, & principaliùs reperta in Deo, aliquandò non fuerit vocata tali nomine, Ergò multò minus est inconueniens nomen Verbi, quantùm ad nominis impositionem prius dici de vocali, licèt quantùm ad rem significatam principaliùs dicatur de mentali, neq; ex hoc sequitur, vt obijcit Molina, Filium Dei, aut conceptum expressum aliquandò non fuisse Verbum, idest, non conuenire illi rationem formalem importatam per hoc nomen, sed solùm sequitur, aliquandò non fuisse vocatum Verbum, quòd nullũ est inconueniens. Neq; rursus sequitur, vt obijcit idem Molina, Verbum vocale esse principalius Verbum: Nàm, licèt nomen aliquã-dò per prius, & principalius, quo ad rem significatam dicatur de eo, ad quòd significandum primò imponitur, quandò scilicèt illud est principalius in se, & nobis notius, quomodò, Videre, prius quoad nominis impositionem, & rem significatam dicitur de actu visus, quã de actibus aliorum sensuum exteriorum, non tamèn id sæpè cõtingit, vt patet de nominibus dictis propriè de Deo, & creaturis, quæ quoad rem significatam, per prius, & principalius dicuntur de Deo quamuis

quoad nominis impositionem per prius dicantur de Creaturis: quia res importata per ea, principalius reperitur in Deo.

Dico secundò. Licèt Verbum imaginationis, sit propriè Verbum, aliquandò tamèn est Verbum formalitèr, aliquandò: nisi sola extrinseca denominatione.

Pro huius declaratione, suppono duo.

PRimum. Imaginationem, quæ etiam vocatur phantasia, teste D.Th. infrà Quæst.78. Art.4. esse Potentiam conseruatiuam specierum receptarum per sensus: quia ad hoc ordinatur per se Primò, licèt secundariò, possit habere actum cognoscitiuum alicuius obiecti ità Alber. 3. de Anima tract. 1. Art. Cap.6. vsq; ad 9. quòd etiam insinuat D.Th. Nàm infrà Quæst. 84. Art.8. ad 2. tribuit imaginationi aliquòd iudicium, & Quæst.81. Art.3. ad 2. ait, appetitum moueri ab imaginatione, mouetur autèm, media cognitione, Ergò. Item in 1.d.27. Quæst.2. Art.1. ait, in imaginatione formari Verbum vocis, qua debeo exprimere conceptum: Verbum autèm interius, nequit exprimi sine interiori locutione, quę est cognitio, Ergò Imaginatio, licèt per se primò, ordinetur ad conseruandas prædictas species, poterit tamèn secundariò habere actum cognitionis, quo proferat Verbum.

Exemplum huius est: Nàm licèt fides, & dona Spiritus Sancti, per se primò, ordinentur ad diuersos actus, v. g. fides ad assentiendum, & sapientia ad iudicandum, tamèn secundariò, vt explicat Caiet. 2. secundæ Quæst.45. Art.1. fides potest iudicare, & sapientia assentire. Ità proportionabilitèr phylosophandum est hic.

Secundum est. Quòd in imaginatiua, potest reperiri duplex Verbum.

Primum rei singularis, & sensibilis significatæ per vocem. Ità D. Thom. Opusc. 14. in principio.

Secundum est ipsius vocis. Ratio primi est: Nàm si appetitus mouetur ab imaginatiua ad aliquod obiectum, illud debet ei repræsentari per Verbum: Nàm solùm mouet illum, repræsentando obiectum per Verbum, sicut intellectus mouet voluntatem, & præterea id explicatur. Quia sicut cogitatiua ex coniunctione ad rationem, participat discursum circa singularia, & appetitus ex coniunctione ad volun-

tate.n

tatem ait Caiet. quoe participat aliquam libertatem. Ità imaginatiua ex coniunctione ad intellectum, participat in homine aliquam intrinsecam perfectionem, ratione cuius potest loqui, & formare Verbum rei singularis, & sensibilis, & de hoc certum est, quòd sit propriè, & formalitèr Verbum: quia est expressum à potentia locutiua, & manifestatiua obiecti, quod est in Anima, per species cõseruatas in imaginatiua, vel per ipsum actum imaginationis, hoc enim est de ratione Verbi, quòd scilicèt, manifestet id, quod est in Anima, vel per species, vel actualem cognitionem.

Ratio secundi est, quam habet D.Thom. in 1.& de veritate, vbi suprà: quia, scilicèt, vocalis locutio, est operatio corporea, & artificialis; & deliberata circa aliquod sẽsibile, & ideò ad eam, sicut ad alias operationes eiusdem rationis, debet concurrere intellectus per iudicium deliberans, & vis sensitiua cognoscitiua, qua cognoscatur singulare sensibile, circa, quod fit operatio, & quæ formet imaginem rei producendę, scilicèt voces, Ergò ante formationem vocis, debet in imaginatiua, præcedere aliquod idolum, & exemplar illius.

De hoc, Ergò Verbo, quod dicitur Verbum vocis, & est in imaginatione: Nàm propterea Arist. 2. de Anima tex. 9. dixit, quod vox procedit ab imaginatione, scilicèt ab isto Verbo, & idolo, existente in imaginatione.

De hoc, in quam, Verbo ait Cai. hic, quòd teste D.Th. hoc est propriè Verbum, sed non formalitèr, sed causalitèr: quia est causa Verbi vocalis. Vazq. autèm in annotationibus huius Art. impugnat Cai. Quia, si illud (teste D.Th.) est propriè Verbũ, debet esse Verbum formalitèr, & non tantùm causalitèr per denominationem extrinsecam.

Dicendum tamèn est, illud esse propriè, & formalitèr Verbum manifestatiuũ vocis: quia est illius naturalis similitudo expræssa per potentiam cognoscitiuam: respectu verò rei significatæ per vocem, non est formalitèr Verbum: quia non est naturalis similitudo illius, Est tamèn Verbum illius causalitèr: quia est causa formandi Verbum vocale significatiuum rei, & quia hoc non tollit ab eo esse prædicto modo similitudinem vocis, ideò remanet propriè, & formalitèr Verbum illius: causalitèr autèm Verbum rei significatæ per vocem, & hoc est, quòd intendunt D.Th. & Caiet. quòd Verbum quarto modo, scilicèt res manifestata per Verbum, vt sic, non est propriè Verbum, vt sic: quia vt manifestata per Verbum non est manifestatiua alicuius existentis in intellectu, vt sic: Verbum autèm vocis, vt sic, est propriè, &

formalitèr Verbum : quia est formalitèr expressum, & manifestatiuum vocis.

Contra has duas Conclusiones posset obijci Cyril. Quæst. 7. Thesaur. Cap. 4. ait. Cætera omnia Verba pratèr diuinum esse Verba abusiuè, & ad imitationem Verbi diuini, sed non intendit, quòd non sint propriè Verba, sed quòd non sint, ità perfectè Verba, sicut diuinum

Dico tertiò. Verbum Diuinum dicitur propriè Verbum.

CОntrarium huius tenuere hæretici, quos referemus Art. Sequenti sententia secunda. Et Origen. vt refertur à D. Tho. hic ad primum, & Eunomius, qui dicebat Filium vocari Verbum non: quia propriè esset Verbum expressum per mentem Patris, & eiusdem substantiæ, cum illo, sed quia sua prædicatione manifestauit secreta Dei, sicut Baptista abusiuè dicitur vox : quia manifestabat Christum. Ità de illo referunt Hylar. 6. de Trinitate. Cyril. 1. in Ioann. Cap. 4. & 7. & septimo Thesauri Cap. 3. Athanas. Oratione contra Arrium in illud, Deum de Deo, & in Oratione contra Grecales Sabelij, & in Epistola de decretis Synodi Nicenæ.

Nostra tamèn Conclusio est de fide, & probatur: quia Ioann. 1. & primæ Ioan. 5. vocatur Verbum. Eodem modo vocatur Apocal. 17. & psalm. 44. dum dicitur Eructauit cor meum Verbum bonum, quē locum inter alios de generatione Filij exponit Cyprianus contra Iudæos lib. 2. Verba autē S. Scr. accipienda sunt propriè, nisi aliquid impediat, quòd hic non reperitur.

Secundò probatur: Nàm Cyril. 7. Thesaur. 4. Cap. ait, hoc nomen esse maximè proprium Filio.

Tertiò. ratiò Verbi propriè sumpti est esse expressum, & manifestatiuum eius, quòd est in mente, sed Verbum diuinum est expressum, & generatum per mentem Dei, vt diximus Quæst. 27. & manifestatiuum omnium, quæ sunt in mente Dei, vt dicemus Artic. 3. Ergò.

Dico

Dico quartò. Verbum in diuinis est nomen Personale, & non essentiale.

ITà, tenent D.Thom.Cai., Torres, & cæteri expositores D.Thom. hic, & Bonauen.Scotus, Gabriel, & alij Scholastici cum Mag. in 1. dist. 27.

Et probatur. Primò: quia hoc nomen in scripturis nunquam accipitur, vt essentiale, sed vt proprium secundæ personæ, vt patet ex testimonijs adductis Conclusione 3. Nomina autem essentialia aliquando accommodantur Deo, vt præintellecto Personis, vel omnibus Personis.

Secundò. Ità docent Aug. 5. de Trinit. Cap. 13. & lib. 6. Cap. 2. & lib. 7. Cap. 1., 2., & 3. & Cyril. vbi supra, qui dicunt hoc nomen esse proprium Filio: quia Pater non est Verbum. Idem habent Hylar. 7. de Trinitate. Ansel. Monolog. Cap. 29. & Tertul. in Apologetico Cap. 21.

Tertiò: Verbum in sua essentia dicit aliquid realitèr productum, & manans, Ergò dicitur personalitèr. Consequentia patet: quia essentialia in diuinis non realitèr procedunt, nec dimanant ab aliquo: Antecedens verò est Basilij Hom. in principium Ioan. Athan. in Epist. de sententia Dionisij contra Arrium, & in Epist. de decretis Synodi Nicenæ. Damas. lib. 1. Cap. 18. Ansel. vbi suprà, & aliorum, qui conueniunt in hoc, quod de ratione Verbi est, esse emissum, profluens, dimanans, expressum, & veluti factum ab intellectu, vt ait Damas. quod autem profluit, & dimanat, solùm secundum rationem, & non realitèr non verè dicitur emanare.

Ex his sequitur, quod etiam dicere est Personale, ità D.Thom. hic ad tertiũ. Ratio est: Quia dicere est proferre Verbum, sed proferre Verbum est actio Personalis, non conueniens omnibus Personis, Ergò.

Dico vltimò. Verbum diuinum per se primò, & de principali significato importat relationem ad dicentem, & non aliquid absolutum.

PRo huius declaratione suppono ex D.Thom. Quæst. 4. de veritate aliquod nomen posse esse Personale, vel notionale, & tamen de principali significato importare aliquid absolutum, sicut Deus generans,

rans, vel potentia generatiua, sunt nomina personalia, vel notionalia: non enim conueniunt omnibus, & tamen de principali significato, important absolutum, scilicèt essentiam connotando relationem: Dicemus enim in Conclusione, quòd hoc nomen VERBVM, non tantùm est Personale, vt dictum est, sed principali significato, importat relationem, & non absolutum, probatur: quia ità expresse docent Cyril. lib. 7. Thesaur. Cap. 1. & lib. 1. in Ioan. Cap. 4. dicens: QVIA VERBVM, IDCIRCO FILIVS, & Aug. 7. de Trin. Cap. 1. & 2. dicens. EO FILIVS, QVO VERBVM, ET EO VERBVM, QVO FILIVS, sed Filius per se primò, importat relationem, Ergò, & Verbū, vnde Aug. ibidem subdit, Verbum tantùm dici relatiue. Idem docent alij Sancti Patres citati Quæst. 27. Art. 2. dub. 2. Conclusione 3. idem docet D. Thom. hic Art. 3. ad 4. dicens, Verbum principalitèr importare respectum ad dicentem, & ibi non comparat, vt aliqui volunt, respectum, quem dicit ad dicentem, cum respectu, quem dicit ad creaturas, nec solùm intendit, quod licèt principalitèr, importet absolutum, tamen intèr respectus, quos importat principalius, importat respectum ad dicentem. Si enim hoc intenderet, non esset verum, quòd subdit, scilicèt, quod ex consequenti, importat respectum ad Creaturas; Nàm respectum ad Creaturas importat, quatenus includit intelligere essentiale, & absolutum, vt dicemus Art. 3. dub. 2. Conclusione 4. Ergò si per se primò, & essentialitèr, importat intelligere absolutum, etiam per se primò, & principalitèr importabit talem respectum ad Creaturas, qui per se, clauditur in ratione intellectionis Dei absolutæ; Nàm, (vt ibidem Conclusione 3. ostendemus,) intellectio absoluta, & compræhensiua Dei, nequit intelligi, sine ordine ad Creaturas. Item, idem D. Thom. infrà Quæst. 37. Art. 1. ait, Verbum significare id, quod procedit, sed hoc est formalitèr relatiuum, Ergò. Item hic Art. 2. ad 3. ait, quod Verbum significat eamdem proprietatem, quam Filius, Ergò significat relationem, vide de hoc Caiet. Art. 3. circa solutionem ad 4. vbi id bene probat.

Secundò Arguitur. Dicere, principalitèr importat ordinem ad Verbum productum, Ergò Verbum, principalitèr importat relationem producti ad producentem. Consequentia patet: quia Verbum est terminus relationis, quàm importat dicere, Ergò principalitèr dicit relationem, terminantem relationem dicentis, sicut omnis terminus relationis realis; & secundùm esse, importat relationem terminantem relationem, sui correlatiui, vt patet in Patre, & Filio. Domino, & seruo. Antecedens autem est D. Thom. hic ad 3. & ratio eius

est: quia dicere est, proferre Verbum, per modum actionis transeuntis ad terminum productum, & quia in diuina actione transeunte, non est motus, & remoto motu ab actione transeunte, remanet sola relatio ideò in actione, veluti transeunte, quæ est dicere diuinum, manet sola relatio ad Verbum productum.

Tertiò probatur; Verbum, vt sic, vt abstrahit à Creato, & Increato formalitèr, & principalitèr, importat habitudinem ad dicentem, Ergò Verbum diuinum principalitèr, importat ordinem originis ad dicentem. Consequentia patet: quia non potest importare alium ordinem realem ad illum. Antecedens verò probatur: Nàm Verbum, vt sic, non est idem, quòd formale repræsentatiuum: essentia enim diuina non est Verbum, & tamèn est formale repræsentatiuum omnium, & nihil aliud addit Verbum suprà formale repræsentatiuum: nisi habitudinem expræssi ad dicentem, Ergò.

Quartò. Verbum per se, dicit esse imaginem intellectualem actualem, Ergò ex sua ratione importat habitudinem expræssi ab alio, quæ in diuinis, est vera relatio originis: Antecedens patet: Nàm D. Th. Quæst. sequenti, ideò probat, rationem imaginis soli Filio conuenire: quia ipse solus est Verbum, & ei soli competit diffinitio imaginis: quia, scilicèt, vt est Verbum, est similitudo expræssa ab alio, propter, quod, vt diximus Quæst. 32. ratio Verbi, & imaginis, non sunt distinctæ notiones à Filiatione. Consequentia verò probatur: quia, vt ostēdunt D. Thom. Quæst. seq. Art. 1. & Quæst. 93. Art. 1. & Aug. lib. 83. quartum Quæst. 73., & 74. de ratione imaginis, est esse similitudinem expræssam ab alio, vnde vnum obiectum, licèt sit alteri simillimum, non est imago illius: quia non est expræssum ab eo. Alia, quæ diximus Quæst. 27. Art. 2. dub. 2. Conclusione 3. & 4. confirmant istam Conclusionem.

Ad primum Ergò nego Antecedens. Ad primam probationem Respondeo, quod illa dictio solùm Verbum non excludit à concomitantibus, & quia Verbum, vt potè Personale, debet procedere ab actione notionali, ideò etiam dicere, sumitur notionalitèr, & vt dicit quemdam modum actionis transeuntis; non dicit, nisi solam relationem, licèt includat actionem immanentem, scilicèt intellectionem, vt dicemus Quæst. 41. Art. 1. & ità D. Thom. hic ad 3. ait, quòd dicere, est Personale in diuinis sicut Verbum hoc enim admittit.

Ad secundam probationem D. Thom. hic ad 3. ait, quod dicere sumitur impropriè ab Ansel. pro intelligere. Pro cuius declaratione supponendum est, quòd dicere importat duos respectus. Primus est

realis,

realis ad Verbum, quod producitur per illud. Secundus est rationis ad res, quæ manifestantur per Verbum, & vtrumq; suo modo, dicitur. Verbum, dicitur: quia exprimitur, & producitur: res verò significatæ, dicuntur: quia repræsentantur, & significantur, v. g. cum nos loquimur dicimus Verba vocalia: quia proferrimus illa, & dicimus res externas significatas per Verba: quia manifestamus, & repræsentamus illa: quando, Ergò Aug. & Ansel. dicunt in diuinis esse tres dicentes, vel in Deo idem esse dicere, & intelligere, loquuntur de dicere non quantum ad terminum productum per illud, sed quantum ad res significatas, & intendunt, quod intelligere diuinum, est dicere, vt terminatum ad res manifestatas, id est, quòd intelligere diuinum fertur ad res, vt manifestatas, sicut ad illas fertur dicere diuinum, & quòd omnes Personæ diuinæ per suum intelligere attingunt illas, vt manifestatas, & repræsentatas, sicut omnes res, vt repræsentatæ attinguntur per dicere diuinum, cuius ratio est, Quia licèt dicere, vt habet modum actionis transeuntis, dicat solam relationem, tamen absolutè sumptum quoad omnia, quæ includit, dicit actum intellectus diuini, cum respectu producentis Filium, & actus ille, qui est commune tribus Personis importat respectum manifestandi omnes res, & ideò omnes dicuntur, illas dicere in prædicta significatione, idest, attingere illas, vt cognitas, & manifestatas: non tamen prædicti Patres sentiunt quod dicere, vt importat respectum realem ad Verbum productum, conueniat omnibus Personis, aut sit omnino idem, etiam secundum rationem cum intelligere Dei: quia omnes rationes, respectus importati, distinguuntur ab intelligere ratione, & est tantum Personale.

Ad tertiam probationem distinguo, Mai. Nullus actus notionalis, vt est productiuus, & ratione respectus realis, quem dicit ad terminũ productum, terminatum ad Creaturas ad se ipsum, vel ad Personam producentem. Concedo Mai. Vt manifestatiuus illorum ratione actus essentialis, quæ includit, nego Mai. & quia dicere diuinum absolutè sumptum includit intelligere essentiale, quòd dicit respectum ad omnes Personas, actus notionales, & Creaturas, vt manifestatiuus eorũ, & dicit respectum realem ad Verbum, vt productum, ideò non terminatur ad Creaturas, vel ad se, vel ad Personam producentem, vt ad rem productam terminatur: tamen ad hæc omnia tamquam ad obiectum, quod manifestat. Exemplum huius reperitur in locutione, scriptura, & pictura; hæc enim dicunt habitudinem ad voces prolatas, literas scriptas, & imaginem depictam, tamquam ad terminum productum, & mediantibus illis dicunt habitudinem ad res externas

tam-

tamquam significatas per illas: loquimur enim, scribimus, & depingimus historias non tamquam res productas, sed significatas per voces, litteras, vel picturas. Eodem modo per actum notionalem dicendi dicitur Verbum tamquam terminus productus per illum, & dicunt omnia alia diuina, & creata, tamquam res significatæ, & manifestatæ.

Ad confirmationem Respondet Canarien. suprà Quæst. 27. Art. 1. disp. 2. Verbum, & dicere etiam in nobis esse relatiua secundum esse, & non absoluta. Sed contrarium conuincit argumentum, quo probatur Antecedens illius confirmationis, & etiam ostendit Molin. eodem Art. disp. 7.

Ad Confirmationem nego Consequentiam. Ad probationem Respondeo, quod diuina cognoscimus ad modum nostrum seclusis imperfectionibus, & quia Verbum, & dicere in nobis, important respectum transcendentalem ad dicentem, & terminum productum, & iste respectus est dependentiæ, & per consequens dicit imperfectionem, ideò in Deo reperiri non potest loco illius, aliquid proportionabile, scilicèt respectum realem, & secundum esse.

Ad secundum nego Antecedens. Ad probationem distinguo Antecedens. Vt ad terminum creatum Concedo, increatum, & diuinũ nego Antecedens, quòd pertineat ad intellectum, vt est intelligens absolutè, sed vt est dicens, vel intelligens notionalitèr.

Declaratur hoc. In nobis Verbum creatum pertinet ad intellectũ idem intelligens in actu: quia est obiectum immediatum eius, quòd est forma, qua constituitur in hoc, quod est esse actu rem intellectam, quod requiritur ad rationem intellectionis actualis, vt diximus suprà Quæst. 27. Art. 1. dub. 3. ad 2. nulla enim alia forma actualis datur, per quàm constituatur in hoc, quòd est esse actu rem intellectam. In Deo verò non ponitur Verbum, vt forma per quam constituatur esse actu, rem intellectam, nec vt obiectum immediatum: quia hæc omnia habet essentia, vt sic, sed ponitur propter fæcunditatem naturæ, vt ibi explicatum est, & quia illa fæcũditas explicatur per dicere, ideò Verbum in diuinis non pertinet ad intellectum diuinum, vt solùm intelligens absolutè, sed vt est dicens, generans, vel intelligens notionalitèr, & ideò non debet esse formalitèr idem, quòd actus intelligendi absolutus.

Ad Confirmationem Respondeo Patres, ibi loqui de notitia non, vt significat actionem, sed vt significat formam productam, vt explicabitur in solutione ad 4.

Ad

Ad tertium nego Antecedens; probatum enim eſt, quod de ratione Verbi eſt eſſe emanationem, & per Conſequens, procedere ſecundum rem: quia emanatio ſecundum rationem non eſt emanatio. Ad probationem nego Antecedens, vt patet ex tertia ratione pro quarta Cõcluſione facta verò eſt differẽtia inter proceſſionem actus intellectus, & Verbi, quàm aſſignat D. Tho. Quæſt. 4. de veri. Art. 2. ad 7. quod emanatio, vel proceſſio actionis ab operante, eſt emanatio perfectionis à perfectibili, cui non opponitur realitèr: quia operatio eſt perfectio operantis, & per Conſequens in eo vnde, non opponitur ei, & ideò non debet ab eo realitèr diſtingui, nec ab eo in diuinis realitèr emanare, aliàs ei opponeretur: emanatio verò Verbi eſt emanatio rei productæ, & veluti operatæ, ac per ſe ſubſiſtentis, & ideo relatiuè oppoſitæ ipſi producenti, & per Conſequens poteſt eſſe emanatio realis, & non tantùm ſecundum rationem.

Ad quartum nego Mai. Nàm, licèt ſapientia genita, & Verbum, & Filius ſint idem materialitèr, & identicè, non tamèn ratione ratiocinata, & ideo poteſt Verbum dicere principalitèr reſpectum, ſicut, & Filius, & tamen ſapientia genita, dicit aliquid abſolutum, de ſignificato principali; Auguſt. verò loquitur identicè, non de formali ſignificatione.

Ad illud, & notitia genita. Reſpondet D. Thom. in 1. ſent. Anib. Quæſt. 2. Art. 1. ad 1. & de veritate Quæſt. 4. Art. 2. ad 2. quod ibi notitia non ſumitur ab Aug. pro actu intelligendi, ſed pro eius termino, ſcilicèt conceptu expręſſo.

Ex quo ſequitur, defeciſſe Fonſe Cap. 7. meth. Cap. 8. Quæſt. 2. ſect. 5. dicentem conceptum in diuinis, poſſe dici eſſentialitèr, & poſſe dicere omnes perſonas diuinas formare conceptum rerum, quas intelligunt.

Contra quem eſt: quia de ratione conceptus, eſt eſſe expræſſum, Ergò productum, Ergò eſſe perſonale. Antecedens eſt D. Th. hic dicentis. Conceptus cordis de ratione ſua habet procedere ab alio, & inde fertur, quòd Verbum de ratione ſua habet procedere ab alio, & ideò dici perſonalitèr, quaſi idem ſint conceptus, & Verbum. Vndè D. Th. de Potentia Quæſt. 2. Art. 4. ad 9. docet ſolùm Patrem, concipere ſuam ſimilitudinem: quia ſolus gènerat, quo inſinuatur expreſsè, concipere, & conceptũ, eſſe terminos perſonales, idem docet expreſsè ſuprà Quæſt. 27. Art. 1. & 2. & infrà Quæſt. 37. Art. 1. dicens, ſemper conceptionem rei eſſe Verbũ, & 4. contra Gent. Cap. 2. oſtendit, quòd cõcipere, & cõceptus dicitur perſonalitèr, vnde de Filio dicitur Prou. 8.

NON

NONDVM ERANT ABYSSI, ET EGO IAM CONCEPTA ERAM.

Ad quintum ibidem Reſponſum eſt.

Articulum ſecundum vidè in D.Th. & Caiet. & Bar.

ARTICVLVS III.

Vnum nomen Verbi importet reſpectus ad creaturas.

Concluſio.

PRIMO DVBITATVR.

Circa primam partem Concluſionis.

Vnum Verbum procedat per ſe ex cognitione omnium, quæ ſunt in Deo, ſcilicèt eſſentiæ, attributorum, & perſonarum.



IDETVR quòd non procedat per ſe ex cognitione perſonarum. Primò: quia nõ procedit per ſe ex cognitione Verbi, vel Filij, & Spiritus Sancti, Ergò nec ex cognitione Patris. Conſequẽtia patet: quia Pater cognoſci, nequit ſine Filio, & ideò ſi cognitio, ex qua procedit non terminatur ad Filium, non terminabitur ad Patrem. Antecedens probatur: quia non procedit ex cognitione Filij, & Spiritus Sancti abſtractiua, nec intuitiua, Ergò ex nulla; Conſequentia patet: quia omnis cognitio debet eſſe intuitiua, vel abſtractiua, Antecedens verò pro prima parte patet: Nàm notoria abſtractiua, vel ſimplicis intelligentiæ, in Deo ſolùm habet locum reſpectu creaturarum poſſibilium: quia talis notitia abſtrahit ab exiſtentia obiecti, & ſolùm attingit illud, vt poſſibile, ea verò, quæ ſunt formalitèr in Deo abſtrahere, nequeunt ab exiſtentia: quia eſſentialitèr ſunt Deus, in cuius ratione clauditur exiſtentia,

&

& Deus cognoſcit illa, vt actu exiſtentia.

Pro ſecunda etiam parte probatur idem Antecedens: Cognitio ex qua per ſe procedit Verbum eſt prior Origine ipſo Verbo producto,& præſupponitur ad illud: quia productio eſt prior Origine ſuo termino, ſed cognitio, quæ eſt prior ſuo obiecto,non poteſt eſſe intuitiua: quia de ratione intuitiuæ notitiæ eſt, vt reſpiciat ſuum obiectum,vt ſibi coexiſtens, & per Conſequens non, vt poſterius, Ergò &c. hoc Argumẽtum vrget magis reſpectu Spiritus Sãcti, cuius productio eſt poſterior Origine productione Verbi,& hæc ſupponit(vt probatum eſt)ipſam cognitionem, vt Origine priorem Verbo.

Confirmatur. Talis notitia non poteſt eſſe intuitiua, niſi iam terminata, Verbo iam producto, ſed talis notitia, vt productiua Verbi non poteſt eſſe terminata ipſo Verbo, Ergò,vt productiua Verbi nõ eſt intuitiua illius: Mai. patet. quia nulla notitia poteſt eſſe intuitiua rei productæ: niſi vt terminatur ad illam, vt iam productam: quia debet terminari ad exiſtentiam illius, & res producta,non habet exiſtentiam: niſi vt ſupponitur eius principio, Ergo debet terminari ad illam, vt iam productam. Min.verò patet: quia res, vt producta, & vt producibilis differũt,ſed notitia illa(vt productiua Verbi) reſpicit illum, vt producendum, Ergò non, vt productum.

Secundò Arguitur: quia Verbum eſſet ſimilitudo, & imago eſſentiæ, ſui ipſius, & Spiritus Sancti,imò, & Filius eius. Conſequens non debet admitti, Ergò &c. probatur Sequella dupliciter. Primò: quia Verbum eſt ſimilitudo, & proles obiecti intellecti, ex cuius cognitione procedit, vt ex D. Th. dixi ſuprà Quæſt. 27. Art. 2. dub. 1. in ſecũda parte ſecundæ Concluſionis, ſed Verbum procedit ex cognitione ſui ipſius, & Spiritus Sancti, Ergò &c. Secundò: quia,vt aliquid ſit ſimilitudo, & imago, & proles alterius in eſſe intelligibilis, ſatis eſt,ſi procedat ab illo, vt principio intelligibili, ideſt, concurrente in eſſe obiecti cogniti, ſed ità concurrunt eſſentia, Verbum, & Spiritus Sanctus ad productionem ipſius Verbi, ſicut Verbum procedat ex cognitione eorum, Ergò &c. Mai. declaratur. Verbum, quòd format Angelus de homine per ſpeciem Animalis ſuperiorem, quàm habet, eſt vera imago hominis, & proles illius,& non: quia ipſum Verbum concurrat efficientèr aliquo modo, ad illius productionem: quia efficientèr ad illam ſolùm concurrunt intellectus Angeli, & ſpecies obiecti cauſata à Deo, & non ab obiecto, ſed quia concurrit, vt principium eius in eſſe intelligibili, & Conſequentèr Verbum erit eius imago, & proles.

Tertiò Arguitur: quia aliàs Filius, & Spiritus Sanctus, essent principium Verbi, & Verbum procederet ex illis. Consequens est falsum, Ergò. Min. manifesta est: quia idem non procedit à se, nec est principium sui, & Spiritus Sanctus, procedit à Verbo, Ergò non producit illud. Sequella verò probatur: Nàm obiectum cognitum in esse intelligibili est principium cognitionis, & termini ipsius, etiam si non imprimat speciem, qua fiat cognitio, vt probatum est de obiecto cognitionis angelicæ, Ergò, si Verbum, & Spiritus Sanctus, sunt obiectum, per se, cognitionis, qua producitur Verbum, debent esse principium illius.

Quartò. Spiritus Sanctus, non est obiectum per se requisitum ad cognitionem, ex qua producitur Verbum, Ergò Verbum non per se procedit ex cognitione illius. Consequentia patet: quia, vt per se procedat ex cognitione illius requiritur, quod sit obiectum eius per se, ità quod talis cognitio non esset productiua illius, nisi terminaretur ad illum, vt cognitum. Antecedens verò probatur: quia, si per impossibile non esset Spiritus Sanctus, Verbum posset procedere ex cognitione essentiæ attributorum Patris, & Filij, tam perfectum, sicut modo procedit, terminata enim cognitione Patris ad essentiam, attributa, & ad personas Patris, & Filij reperitur in illa infinita perfectio sufficiens ad productionem Verbi infiniti, qui sit verus Deus: quia ex cognitione Spiritus Sancti, vel perfectionis eius non redditur illa cognitio, ità perfectior, vt ex illa possit produci Verbum perfectius.

Quintò Arguitur. Non procedit ex cognitione personarum, vt ex cognitione obiecti primarij, nec secundarij, Ergò nullo modo: quia solùm istis modis possunt esse cognitæ. Antecedens pro prima parte probatur: quia obiectum primarium, in quo cognoscuntur personæ, est essentia, Ergò non personæ.

Pro secunda etiam patet parte: Nàm obiectum secundarium non per se requiritur ad operationem, cum non specificet illam, sed solùm concomitantèr terminat, Ergò si solùm concurrunt personæ, vt obiectum secundarium talis cognitionis, Verbum non procedit per se ex cognitione earum.



Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

In hoc dubio sunt sex sententiæ.

PRima ait. Verbum procedere quidem concomitantèr ex cognitione trium personarum : quia ad illas terminatur cognitio, qua procedit, non tamèn per se procedere ex earum cognitione : quia sufficit, & ad eius productionem per se solùm requiritur cognitio essétiæ, quæ est obiectum eius primarium. Ità colligitur ex Scoto in 1. d. 2. Quæst. 2. §. Quantū ad istum, & d. 32. Quæst. 1. & in 2. d. 1. Quæst. 1. & quodlibet 14. §. hic intelligendum est, & ab hac sententia non longè ab est Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 13. §. cum igitur, vbi docet Verbum procedere ex cognitione veluti habituali sui ipsis, idest, ex essentia diuina, quæ vt species eius est, veluti habitualis cognitio illius, vel cognitio eius in actu primo, & procedere etiam ex cognitione, qua Pater cognoscit ipsum Verbum: quia procedit ex cognitione, qua cognoscit essentiam, quo actu cognoscit etiā ipsum Verbum : non tamèn procedit ex cognitione ipsius Verbi, vt sic, quasi cognitio prius terminetur ad Verbum, & ab ipso Verbo, vt ab obiecto cognito, procedat ipsum Verbum.

Secunda. Verbum procedere ex cognitione abstractiua, Filij, & Spiritus Sancti, qui cognoscuntur, vt veluti virtualitèr continentur in potentia generatiua, & spiratiua. Ità insinuat Caiet. hic circa medium commentarij.

Tertia. Verbum procedere ex cognitione intuitiua sui, & Spiritus Sancti, vt sunt in produci, non tamèn, vt sunt iam producti, ità quod : quia in illo priori rationis intelligimus Filium produci, & non intelligimus esse productum illa notitia est intuitiua eius, secundum modum, quem habet, idest, vt est in produci, & generari.

Quarta. Quòd procedit ex notitia sui, & Spiritus Sancti, quæ quidem, licèt re ipsa sit intuitiua earum: quia coexistit eius mensuræ, non tamèn est intuitiua Verbi formalitèr, vt est productiua eius : quia, vt sic, non respicit illud, vt actu existens.

Quinta est. Quòd procedit ex notitia intuitiua, vt sic, Patris, & Filij, ex notitia verò Spiritus Sancti, non procedere per se, nisi tantùm concomitantèr. Ità Vazq. hic disp. 142. Cap. 3. & 4.

Sexta est. Verbū procedere ex cognitione intuitiua omnium personarum, vt est formalitèr intuitiua. Ità Suar. lib. 9. de Trin. cap. 5. n. 7.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Verbum diuinum procedit ex cognitione essentiæ attributorum, & omnium personarum diuinarum.

HAec est communis Theologorum. Alens. 1. p. Quæst. 62. mēb. 1. Art. 4. Bonau. in 1. d. 27. secunda parte distinctionis Art. 1. qual. 3. Gabriel. ibidem Quæst. 3. Ricar. Art. 1. Quæst. 3. Henric. in summa Art. 59. Quæst. 5. Caiet. & aliorum hic.

Et probatur. Primò ex Aug. 15. de Trin. Cap. 14. vbi dicit, nihil esse in scientia Patris, de qua genitum est, quod non sit in ipso, & nihil amplius, vel minus esse in Verbo, quàm sit in illa scientia, de qua genitum est, & subdit Verbum esse de omnibus, quæ sunt in Patre, quæ verba non significant illud Verbum esse de omnibus, tamquam de omnibus repræsentatis, sed esse de omnibus tamquam obiectis cognitis, ex quorum cognitione procedit: Nàm suddit. OMNIA NOVIT FILIVS IN SE, TAMQVAM EA, QVAE NATA SVNT DE HIS QVAE PATER NOVIT IN SE IPSO, IN PATRE AVTEM TAMQVAM EA, DE QVIBVS NATA SVNT, QVAE IPSE Filius nouit in se ipso.

Ex quibus patet Verbum Dei esse natum de omnibus obiectis, quæ sunt in scientia Patris.

Confirmatur: quia docet expresſè D.Th. Art. 1. ad 3. vbi ait, Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ in eius scientia continentur, concipit Verbum, vt sic, tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura, idem habet quodlibet 4. Quæst. 4. & de Veritate Quæst. 4. Art. 4. & hic. Nàm: quia Deus vnico actu se, & omnia intelligit, colligit Verbum esse expræssiuū creaturarum, quo significat omnia obiecta contenta in scientia Dei, requiri ad productionem Verbi.

Secundò probatur ratione. Verbum procedit ex cognitione compræhensiua essentiæ, & Patris, Ergò ex cognitione eorum, quæ sunt formalitèr in Deo. Antecedens probatur primò: quia procedit ex cognitione infinita, quam habet Pater, & qua est beatus: illa autem necessariò est compræhensiua Dei: quia est adæquata ipsi obiecto infinito.

Secundò probatur idem Antecedens: quia aliàs Verbum non esset

perfectus Deus: quia non procedit ex cognitione adæquata Deitati: proportionantur autem in perfectione Verbum, & cognitio, à qua procedit.

Consequentia verò patet: quia, vt comprehendatur essentia, debent cognosci omnia, quæ sunt formalitèr in illa: Nàm, si aliquid illius non cognoscitur, ipsa non cognoscitur quantum est cognoscibilis: in essentia autem, in quocumq; instanti, vel signo rationis secundum se consideretur, sunt formalitèr attributa, & Personæ, Ergò ex cognitione illarum procedit Verbum. Similitèr Pater nequit comprehendi nisi in eo cognoscantur Potentia generatiua, & spiratiua: quia vtraq; est in illo, Sed quantum ad hæc, nequit cognosci: nisi simul cognoscantur termini, Filius videlicet, & Spiritus Sanctus, Ergò.

Dices, cum Scoto, satis esse si Verbũ procedat ex cognitione eorum, quæ sunt formalitèr in Deo saltim pro illo signo rationis, quo Pater intelligitur producere illum, & quia tunc in illo signo rationis non intelligitur esse Filius, & Spiritus Sanctus in essentia: quia non intelliguntur producti, non oportet Verbum procedere ex eorum cognitione.

Sed contra: quia nullum datur signum, neq; etiam rationis, in quo essentia diuina secundum se non sit in tribus Personis, Ergò qui cognoscit illam comprehensiue, & vt in se est, non potest non cognoscere illam, vt est in tribus Personis: quia re vera est in illis, vt in se est in omni signo.

Confirmatur. Beati non possunt videre essentiam, vt est in se, vel in Patre, quin videant illam, vt est in Filio: quia, licèt prius origine sit in Patre, quàm in Filio: non tamen datur aliqua duratio in qua non sit in Filio, & qui videt illam, vt in se est, debet eam videre, vt habet esse in Filio: quia habet esse in illo, vt in se est, Ergò multo magis Pater, qui perfectius cognoscit illam, vt in se est, non poterit in aliquo signo videre eã in se, & non in Filio: quia in nullo signo est in vno in quo non sit in alio. Imo verò: quia Pater videt se comprehensiue, & comprehendi nequit, nisi cognoscatur, vt Pater, & spirator, quia habet has rationes; & vt pater, & spirator in nullo signo rationis potest cognosci sine Filio, & Spiritu Sancto: quia sunt correlatiua, ac subinde simul cognitione, consequens est, vt in nullo signo rationis comprehendatur essentia, & Pater, nisi cognitis Filio, & Spiritu Sancto: quia illa prioritas originis, qua Pater est prior Filio, & Spiritu Sancto non tollit omnimodam simultatim essendi omnes Personas in essentia, sed solum dicit, quod Pater sit principium earum cum

quo

quo stat esse omninò simul cum illis.

Tertiò probatur Conclusio Verbum diuinum est compræhensiuũ, & repræsentatiuum essentiæ, attributorum, & omnium Personarum, Ergò procedit ex cognitione omnium horum.

Antecedens patet: quia est omnibus modis infinitum, quòd non haberet, si non esset omnium compræhensiuum, & repræsentatiuum: Nàm limitaretur ad finitam aliquam repræsentationem. Consequentia verò probatur: quia Verbum est adæquatum cognitioni, à qua procedit ità, vt nihil aliud repræsentet, quàm sit in illa, vt enim dixit Aug. vbi suprà, Pater non genuisset integrum, perfectumq; Verbum, si in Verbo aliquid minus, vel amplius esset, quam in eius scientia.

Quartò: Quia aliàs deberemus dare aliud Verbum productum ex compræhensione Filij, & Spiritus Sancti. Consequens est falsum. Ergò, Sequella probatur: Nàm cognitio Patris, vt est compræhensio Filij, & Spiritus Sancti, non est minus infinita, nec minus fæcunda, quàm cognitio essentiæ, attributorum, & Patris, vt sic: quia habet obiectum illis æquale, Sed ex infinita perfectione compræhensionis essentiæ attributorum, & Patris prouenit, vt procedat Verbum per se repræsentatiuum illorum, Ergò ex infinita perfectione compræhensionis Filij, & Spiritus Sancti, prouenit etiam fæcunditas ad producendum Verbum illorum.

Quintò. Si Verbum in illo priori dicto à Scoto, procedit ex cognitione essentiæ, & Patris tantùm, sequitur, quòd sit adæquatum tali cognitioni, & nihil aliud repræsentet, quàm sit in illa. Consequens est falsum. Ergò. Sequella probatur. Nàm Verbum, vt experimur, in nobis, est adæquatum cognitioni, à qua procedit, & nihil potest repræsentare: nisi, quòd est obiectum talis cognitionis. Vnde dixit Aug. de Verbo diuino, nihil esse in illo, quòd non sit in scientia, de qua genitum est, & econtra: quia, scilicèt, est illi adæquatum: Min. verò probatur: Nàm certum est, Verbum repræsentare omnes Personas: quia est infinitum in repræsentando, vnde dixit Aug., quòd Pater omnia nouit in Filio, Ergò.

Confirmatur. Quia aliàs aliud haberet Verbum diuinum in ratione Verbi, quòd non haberet ex vi processionis. Consequens est falsum. Ergò. Min. probatur: quia, quòd habet (inquantum Verbum) non habet, inquãtum Deus, aliàs illud esset commune, Ergò habet illud ex vi suæ processionis: quia non potest aliundę habere. Sequella verò probatur: Nàm Verbum, inquantum Verbum habet esse repræsentatiuum expræssum omnium, quæ sunt in Deo: quia est infinitum

in ratione Verbi expræssi, & hoc non conuenit, neq; essentiæ, nec alijs Personis, sed hoc non habet ex vi processionis, Si vera est sententia Scoti: Nàm ex vi cognitionis à qua procedit, solùm tribuitur illi repræsentare essentiam, attributa, & Patrem: quia illa cognitio solum extenditur ad illa, & essentia diuina in ratione speciei, vt principium Quo illius, solùm repræsentat illa, & nihil potest esse in Verbo, quòd non repræsentetur in specie, vt est principium illius, & non attingatur, vt obiectum per cognitionem, qua producitur, Ergò.

Vltimò probatur: quia Verbum habet cognitionem omnium Personarum, & accipit illam per generationem à Patre, Ergò illam habuit Pater, quando intelligitur genuisse Filium. Antecedens pró prima parte patet: quia illa cognitio est essentialis, & infinita perfectione, cuius defectus tolleret infinitatem à Filio. Pro secunda etiam parte patet: Nàm omnia, quæ habet Filius, habet per generationem. Vnde dixit Ioan. 7. MEA DOCTRINA, NON est MEA: quia omnis eius doctrina, & cognitio, fuit accepta à Patre per generationem, vt exponit Aug. tractatu 29. in Ioan. Consequentia verò probatur: quia non posset Pater illam tribuere Filio, si non præintelligeretur, illam habuisse ante generationem: Nàm transacta generatione nihil Filio amplius tribuit.

Confirmatur. Per suam essentiam Verbum habet, esse spiratorem acceptum per generationem, Ergò Pater in illo priori, quo genuit illum cognouit illum, vt spiratorem, & consequenter Spiritum Sanctum, vt terminum. Antecedens patet ex dictis, & consequentia pro prima parte patet: quia aliàs Pater aliquid tribuisset Filio, quòd non cognouisset, scilicèt rationem spiratoris, quòd est impossibile: quia, id tribuit per intellectum, vt sic, & per consequens cognoscendo. Pro secunda parte patet: quia vnum relatiuum, nequit cognoscere sine altero.

Dico secundò. Verbum procedit per se, & non solum concomitanter ex cognitione omnium Personarum etiam ipsius Spiritus Sancti.

PRobatur; Illud obiectum est per se, & non tantum concomitanter requisitum ad cognitionem, ex qua procedit Verbum diuinum, quòd si auferetur, non procederet Verbum, aut non procederet eiusdem cognitionis, atque procedit modo, sed ita se habet Spiritus Sanctus

ctus vt obiectum, Ergò. Mai. supponitur ex sententia Vazq. cuius doctrinam impugnamus: Min. verò probatur. Nàm, si Verbum non procederet ex cognitione Spiritus Sancti, vt obiecti, non haberet cognitionem illius: quia non potest habere illam, nisi à Patre tribuatur, & si Pater, vt est principium illius in illo priori, nõ intelligitur habere illam, non eam tribuisset: quia nihil ei tribuit, nisi, quòd tunc intelligitur habere; perfecta enim generatione, nullo modo aliquid potest Filio communicari, Ergò.

Confirmatur. Si cognitio Spiritus Sancti, vt obiecti non præsupponeretur ad productionem Verbi, Verbum non esset spirator, Ergò per se supponitur cum hiis conditionibus, quos modo habet.

Antecedens patet: Nàm, si Pater, non cognouisset Spiritum Sanctum, vt obiectum in illo priori originis, quo genuit Filium, non cognouisset spiratorem, vt probatum est, Ergò non tribuisset Filio, esse spiratorem, sicut modo est: quia nihil tribueret Filio: nisi per intellectum, nihil illi tribuit, nisi, quòd intellexit.

Explicatur hoc: quia alias, in illo priori originis, non cognouit rationem spiratoris, quàm tribuit Filio, non voluit eam tribuere ipsi: quia non potuit velle, quòd non cognouit, & consequenter, non voluit generare Filium, vt spiratorem, & omninò similem sibi.

Secundò probatur. Verbum procedit per se, ex cognitione intensiuè, & extensiuè, & quæ sit simpliciter comprænhensiua essentiæ, & Patris, Ergò per se, ex cognitione Spiritus Sancti, vt obiecti. Consequentia patet: quia nec essentia, & Pater, possunt simpliciter comprænhendi, nisi cognito Spiritu Sancto, vt obiecto, vt probatum est, neq; erit cognitio infinita extensiuè, quæ non extenditur ad Spiritum Sanctum. Antecedens verò probatur: quia per se procedit, vt Verbum infinitum intensiuè, & extensiuè, & comprænhensiuè simpliciter æquale Patri, & repræsentatiuum omnium, alias, hęc omnia nõ haberet, vel haberet per accidens, Ergò ex cognitione infinita intensiuè, & extensiuè procedit, & per consequens comprænhensiua Patris, & essentiæ; Debet enim Verbum adæquati perfectioni cognitionis, ex qua procedit, neq; enim potest Verbum infinitum, procedere ex finita cognitione.

Confirmatur: quia Verbum procedit per se ex cognitione, quæ essentialiter est Deus, Ergò per se procedit, ex cognitione Spiritus Sancti, vt obiecti. Antecedens patet: quia alias posset procedere ex cognitione, vel intellectione creata. Et Consequentia probatur: quia cognitio diuina, non esset Deus, si non attingeret Spiritum Sanctum:

quia non esset omnibus modis infinita.

Tertiò probatur: quia aliàs Verbum non per se, sed concomitanter procederet ex cognitione Patris, & ingeniti, & Verbi tamquam obiecti. Consequens non admittit Vazq., Ergò, neq; Antecdens. Sequella probatur. Ideò Verbum concomitanter, & non per se procedit ex cognitione Spiritus Sancti, vb obiecti, quia, vt dicebamus quarto argumento etiam si non cognoscatur Spiritus Sanctus cognitione, qua procedit Verbum, ipsa cognitio remanet omnibus modis infinita: quia terminatur ad obiectum infinitum scilicèt essentiam, sed si econtra terminetur ad essentiam, & Spiritum Sanctum, remanebit eodem modo omnibus modis infinita, etiam si non terminetur, vt ad obiecta ad rationem ingeniti, vel Patris, vel Verbi, vel ad aliquam earum: quia nulla istarum rationum superaddit aliquam perfectionem maiorem, quam ratio constitutiua Spiritus Sancti, Ergò.

Declaratur hoc. Licèt ad rationem Verbi diuini, requiratur Persona Patris, vt producens, & quòd ille sit ingenitus, & etiam proprietas Personalis productæ per generationem: quia generari nequit Verbum: nisi interueniat proprietas Personalis eius, tamen de ratione productionis Verbi, vt sic, non est, quòd producatur ex cognitione producentis, & ipsius Verbi, & ideò, licèt illa productio Verbi, vt est productio requirat producentem, & proprietatem, illum, vt principium, istam, vt productum, tamèn, vt est intellectio, non debet terminari ad illam, vt patet in nostro Verbo, quòd non procedit ex cognitione producentis, & ipsius Verbi, Ergò similitèr in diuinis, licèt ad productionem Verbi (vt est productio) requiratur Persona Patris producens, & proprietas Verbi, non tamen requiritur, quòd sit obiectum illius cognitionis, vt est productio: quia illis, etiam non cognitis ex essentia, & spiritu, cognitis, vt obiectum, habebit infinitam perfectionem, vel si non habeat illam; quia non terminatur ad Patrem, & Filium, neq; habebit eam, si non terminetur ad Spiritum Sanctum.

Dico tertiò. Verbum non procedit ex cognitione abstractiua Filij, vel Spiritus Sancti.

PRobatur. Quia debet procedere ex perfectissima cognitione sine imperfect. aliqua, sed notitia formalitèr abstractiua non est perfectissima, & imperfectionem supponit, vel in cognoscente, qui non attingit rem, vt in se est, vel in ipso obiecto, quòd non includit intrin-

ficè

ficè existentiam in se, sed potest intelligi sine illa, & secundum se abstrahit ab ea, Ergò.

Secundò probatur, cognitio, ex qua, vt est in Patre, procedit Verbũ, est eadem numero, & formalitèr, cum qua Filius, & Spiritus Sanctus se cognoscunt, sed notitia, qua Filius, & Spiritus Sanctus se cognoscunt, non potest esse abstractiua eorum, Ergò. Mai. patet: Nàm illa intellectio est ipsa essentia Dei, quæ æqualitèr est in omnibus Personis, & in nullo instanti rationis, vel durationis est prius in vno, quàm in alio, sed solum prioritate originis, idest, quòd Pater, habet illam à se, aliæ Personæ à Patre. Min. verò probatur: quia eorum notitia terminatur ad eos, vt sunt actu existentes, & non, vt futuri, vel possibiles, Ergò.

Tertiò Illa cognitio, à qua, vt est in Patre producitur Verbum, est ipsa essentialis beatitudo Patris, Ergò non est notitia abstractiua Filij, & Spiritus Sancti. Antecedens patet: quia beatitudo essentialis eius consistit in actu intellectus ipsius, & cum non habeat plures actus, vel intellectiones, necessariò debet esse illa cognitio, qua Verbũ procedit: aliàs, præter illam daretur alia. Consequentia verò probatur: quia beatitudo Dei, & cuiuslibet creaturę, consistit in ipsa visione actuali essentiæ attributorum, & Personarum.

Dico quartò. Illa cognitio, non ità est cognitio intuitiua Filij, & Spiritus Sancti, vt sunt in produci, quin etiam sit intuitiua illorum, vt sunt iam producti.

Probatur. Talis notitia terminatur ad eos, vt in se sunt, & vt habent existentiam, sed in se sunt talitèr, quòd numquam sunt in produci, quin iam sint producti, neq; aliquando possunt considerari vt habentes existentiam tamquam in via, quin, reuera tunc habeant illam in termino, Ergò. Min. patet Psal. 2. EGO HODIE GENVI TE, per particulam enim HODIE significat, quòd Filius continuò producitur, & per particulam GENVI significantur, quòd perfectè est productus, & generatio est terminata, & habet esse, vt in termino, & idem est de Spiritu Sancto, Ergò. Secundò patet eadem Min. quia illi sunt per se æterni, Ergò nũquam potest dari, neq; intelligi signum in quo dicantur esse, vt in via, & non vt in termino. Probo Consequentiam: quia aliàs, in æternis daretur aliquod signum ante, quòd non habuerant esse, scilicèt illud, in quo erant in produci.

Secundò probatur Conclusio; Actualis existentia perfectissima, & terminata, ità est de intrinseca Filij, & Spiritus Sancti ratione, vt sunt Deus, quòd est ipsamet formalis eorum essentia, Ergò nunquam possunt exacta cognitione intelligi, vt in se sunt, qui non cognoscantur, vt existentes existentia formali, actuali, & terminata, & non solum, vt est in via.

Confirmatur: quia aliàs intelligerentur, vt procedentes de potentia ad actum, quòd sonat imperfectionem: Nàm in illo signo, in quo videntur, vt in produci non videntur, vt perfectè producti, & habentes esse in actu, postea verò considerantur, vt perfecti producti, & vt habentes esse iam terminatum, & in actu, Ergò considerantur, vt producentes de potentia ad actum, ità enim consideratur, quòd prius consideratur, vt in produci, & nō, vt actu existens, & postea consideratur, vt actu existens.

Tertiò: quia in illis nulla est futuritio, vndè eorũ essentia sit actualis existentia, Ergò non possunt videri, vt in produci, quin videantur, vt iam producti; patet Consequentia: quia, quod videtur, vt in produci, & non vt productum, videtur vt futurum: quia videtur, vt in principio determinato ad communicandum illi esse, quòd ipsum esse futurum.

Dico quintò. Notitia, qua Pater producit Verbum, est intuitiua ipsius Verbi, & Spiritus Sancti.

PRobatur. Non est abstractiua, Ergò intuitiua. Antecedens patet ex tertia Conclusione: quia personæ diuinæ, non possunt concipi, vt abstrahentes ab actuali existentia à Deo cognoscente eas, vt in se sunt, hæc enim est eorum essentialis quidditas; Ad rationem verò notitiæ abstractiuæ requiritur, vt per illam non videatur res, vt actualitèr existens. Consequentia verò probatur: quia omnis notitia debet esse intuitiua, vel abstractiua, non enim datur ratio medij.

Secundò probatur. Illa notitia est intuitiua essentiæ diuinæ, vt in se est, sed essentia in se, in quocumque rationis signo consideretur, est terminata personalitate Filij, & Spiritus Sancti; Ergò est intuitiua illorum.

Declaratur hoc. Si essentia diuina, solùm esset in vna persona, vt intelligunt infideles, non posset videri, vt in se est, quin videretur illa persona,

persona, in qua tumquè esset: quia illæ esset modus, quo tunc esset in se, & qui videt eam, vt in se est, debet, videre modum, quo est in se. De quo Cai. late 2. secundæ Quæst. 1. Art. 2. Ergò, si modo est in Filio, & Spiritus Sancto; qui videt illam secundum omnem modum, quo est in se, debet illam videre secundum, quòd terminatur à Filio, & Spiritus Sancto, quòd est videre Filium, & Spiritum Sanctum.

Tertiò probatur. Personalitates diuinæ sunt de essentia essentiæ, vt modi illius formalitèr identificati, cum illa, vt dixi Quæst. 28. Art. 2. Ergò, qui videt essentiam, vt in se est, & quidditatem eius, videre debet ipsos modos, ac personalitates; ac subindè ipsas personas Filij, & Spiritus Sancti, aliàs nō videret ipsam essentiam, quoad omnia, quæ intrinsicè claudit in sua quidditate.

Quartò probatur: quia nihil defficit tali notitiæ, vt sit intuitiua Filij, & Spitus Sancti. Nam ex parte principij Patris, datur essentia diuina in ratione speciei, & intellectus Dei in ratione potentiæ, & ex parte obiecti in illo signo, in quo producitur, Filius habet actualem existentiam: quia, vt probatum est, nequeunt abstrahere ab illa, sicuti nec à propria essentia, & quidditate, Ergò.

Quintò: quia aliàs, Verbum non procederet ex perfectissima notitia Dei, vt sic. Consequens est falsum aliàs non procederet ex cognitione, quæ est Deus. Sequella patet: Nam magna perfectio diuinæ cognitionis, est videre se esse Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Vndè esset imperfecta cognitio, si non attingeret personas, vt actu existentes: quia hoc est de illis cognoscibile, & est imperfecta cognitio, & non compræhensiua alicuius obiecti illa, quæ non attingit in obiecto, aliquid essentiale, quòd est attingibile, Ergò si procedit ex cognitione essentiæ, qua non videntur Filius, & Spiritus Sanctus, non procedit ex perfectissima, & compræhensiua notitia essentiæ.

Oportet autèm declarare quomodò talis notitia productiua Verbi sit intuitiua, cum (vt productiua) respiciat illud, vt futurum, quòd repugnat rationi intuitiuæ notitęi, quę respicit suum obiectum, vt existens actualitèr.

In quo sunt tres modi dicendi.

Primus ait. Quòd vt ista notitia productiua Verbi, sit intuitiua Filij, & Spiritus Sancti, non requiritur, quòd terminetur ad ipsos, vt actu existentes, sed satis est, quòd terminetur ad illos, vt sunt determinati ad existendum, cum omnibus conditionibus existentiæ, Filius autèm, & Spiritus Sanctus, eo ipso, quo cognoscuntur à Patre, vt producendi, manent determinati ad existendum, quæ determinatio consistic

sistic

ſiſtit in virtute cognitionis diuinæ, vt in Patre, expreſſiua eſt Verbi, ex illa enim, neceſſariò producitur Verbum immediatè, & SS. radicalitèr, quatenùs per illam immediatè producitur Filius qui, cum fuerit productus, ſimùl cum Patre neceſſariò producit Spiritum Sanctum.

Secūdus eſt. Quòd vt hęc notitia ſit intuitiua Verbi, ſatis eſt, quod ipſa iam completa, & terminata attingat Verbum, vt exiſtens: Nam, quandò talis notitia fuerit terminata, iam Verbum eſt productum, & exiſtens, & ità illa terminatur ad obiectum exiſtens, vt ſic.

Tertius. Quòd licèt talis notitia, reuera ſit intuitiua Verbi, & Spiritus Sancti, tamèn vt productiua Verbi, non eſt illius intuitiua: quia reſpicit illud, vt producendum, & non, vt exiſtens, de ratione verò notitiæ intuitiuæ, eſt, vt terminetur ad exiſtens, vt ſic, & non ad producendum, vt ſic, nec indè ſequitur, quod vt productiua illius, ſit abſtractiua, quòd licèt omnis notitia debeat eſſe intuitiua, vel abſtractiua, non tamē ſub quacumquè ratione, quàm habet debet eſſe aliqua iſtarum v.g. cognitio, vt intenſa, vel vt generatiua habitus, non debet eſſe intuitiua, vel abſtractiua, licèt reuera neceſſariò debeat eſſe aliqua illarum. Ità ſimilitèr, licèt notitia, qua producitur Verbum, reuera ſit illius intuitiua, tamèn ſub ea ratione, qua eſt illius productiua, neq; eſt intuitiua, nec abſtractiua. Alij alitèr explicant.

Sed iſti modi dicendi inſufficientèr declarant noſtram veritatem. Primum deficit: quia notitia intuitiua, vt ſic, ex ſua ratione reſpicit, vt exiſtens exiſtentia ſuas cauſas, & non, vt futurum, Ergò non vt determinatum ad eſſendum in ſuis cauſis: quia vt ſic, non habet eſſe exiſtēs, ſed futurum, futurum enim eſt, quòd eſt in determinatione cauſarum, & non in ſe.

Secundò. Quia aliàs cognitio, quàm Aſtrologus de Eclypſi futura habet, per determinationem ſuarum cauſarum, eſſet intuitiua, cum tamen ſit rei futuræ, & non coexiſtentis eius cognitioni, Ergò.

Tertio. Suppono prophetiam comminationis differre à prophetia præsētiæ: quia illa præcedit res, vt ſunt in ſuis cauſis determinatis: iſta verò, vt ſunt in ſe ipſis, & quia res, quæ ſunt in cauſis determinatis poſſunt aliquo non eſſe, res verò, quæ videntur, & ſunt in ſe ipſis infor- mabilitèr ſunt, ideò prophetia comminationis aliquandò non impletur; quia impediuntur cauſæ, vt patet Iſaiæ 38. Morieris, & non viues: prophetia verò præſentiæ infalibilitèr impletur, quòd eſt notitia intuitiua rerū in ſe, Doctrina eſt D.Th.2.,2. Quæſt.174. Art.1. & Quæſt. 171. Art.6. ad 2.

Ex quo ſic Arguitur. Prophetia comminationis attingit rem, vt eſt

est in causis determinatis ad suos effectus, & tamen non est notitia intuitiua, illius, Ergò. Mai. patet ex doctrina traddita. Min. probatur: quia si esset intuitiua rerum non impediretur est enim infalibile, & certũ, ità esse, sicut video, & nulla ratione impeditur esse, id quod video esse.

Quarto. Scientia Dei respectu rerum distinguitur ex diuerso modo, quo habent esse: Nàm illa, quæ nullo modo habent, vel habebunt esse cognoscit scientia simplicis intelligentiæ, quæ vero habent esse in se met ipsis cognoscit scientia visionis, & intuitiua, quæ vero habent esse in suis causis, vt sic, cognoscit, vt multi volunt scientia distincta, quàm vocant approbationis. Ità Mag. Ioann. Vincentius releċt. de gratia Christi Quæst. 6. dub. 1. in principio, vt insinuat D. Th. suprà Quæst. 14. Art. 7. dicens, scientiam Dei, vt est causa rerum, esse scientiam approbationis, quo significat, quod si hæc sententia est vera, quod cognitio Filij, & Spiritus Sancti, vt sunt in suis principijs determinatis in Deo non est scientia intuitiua: quia intuitiua datur ad res, vt sunt sub actuali existentia, & scientia approbationis solùm terminatur ad res, vt sunt in suis principij determinatis.

Secundus etiam modus dicendi est insufficiens. Primò: quia licèt illa cognitio, vt completa, & terminata attingat Verbum, vt existens, non tamèn attingit Spiritum Sanctum, vt existentem: quia prius origine est Verbum, quàm spiratio, & eius terminus, Ergò illa etiam terminata Verbo producto, respicit Spiritum Sanctum, vt producendum, & non, vt existentem, si talis prioritas sufficit, vt intellectio illa non attingat obiectum, vt existens, sed vt producibile.

Secundò: quia licèt sit verùm, quod illa intellectio, vt est productiua Verbi non est completa, & perfecta, nisi Verbo iam producto, & existente, tamèn eadem, vt est intellectio, & contemplatio obiecti ante productionem Verbi intelligitur omninò perfecta, cum enim Verbum non producatur in Deo, vt sit forma constituens intellectum in esse actu intelligentẽ, vel vt sit obiectum actuale eius, sicut in nobis, sed ex fæcunditate naturæ; Consequens est, quòd prius, quàm producatur Verbum sit illa intellectio completa, & perfecta, sicut ante productionem Verbi est Deitas perfecta: Nàm talis intellectio est ipsa essentia Dei. In illo Ergò priori, cum non intelligatur Verbum existens, & ipsa iam sit completa, non videtur quomodò possit esse intuitiua Filij, & Spiritus Sancti, iuxtà istum modum dicendi.

Tertio, quia licèt saluetur, quod talis intellectio productiua Verbi iam terminata Verbo producto, sit intuitiua illius, non tamèn salua-

tur

tur quomodò, vt productiua Verbi absolutè sit intuitiua illius: quia vt productiua præcedit ratione Verbum. Termino enim iam producto, non est productiua illius, Ergò vt productiua, non respicit illud, vt existens, Ergò, vt sic, non est intuitiua illius.

Tertius Tandem modus defficit. Primò: quia dicere, vel exprimere Verbum formalitèr, est intelligere, contemplare, & attingere obiectum cognitum, cum quodam modo, scilicèt producendo Verbũ, vt dixi Quæst. 27. Art. 1. dub. 3. In hac Ergò ratione dictionis, illa ex parte, qua est productio, refertur ad terminum: quia existere debet quandò ipsa fuerit completa, vt modo suppono.

Et inquirimus an ex parte, qua includit contemplationem obiecti, sit intuitiua, vel abstractiua.

Nàm ex hac parte necessariò debet omnis notitia esse aliqua istarum: quia necessariò debet terminari ad obiectum, vel, vt existens, & sic erit intuitiua, vel non, vt existens, & sic erit abstractiua, non enim est eadem ratio de ratione intẽsiua, vel generatiua habitus: Nàm: quia sub his rationibus non respiciunt obiectum, sed subiectum, vel effectum ab illis, non habet rationem notitiæ intuitiuæ, vel abstractiuæ.

Secundò probatur. Quia sequeretur ex isto modo, quod intellectio Dei, vt est productiua Verbi nõ habeat perfectissimam rationem intellectionis, quæ est esse intuitiuam. Consequens est falsum. Ergò.

Declaratur hoc. Licèt notitiam esse claram, non dicat ordinem, vt sic, ad Verbum producendum, tamènne defficiat ista perfectio notitiæ productiuæ Verbi, dicimus illam, vt sic, esse claram, & esset imperfecta intellectio Patris, si vt productiua Verbi non esset clara, Ergo eodem modo, licèt notitiam esse intuitiuam, non conueniat ei, vt formalitèr respicit Verbum producendum: quia tamèn est conditio cognitionis, vt terminatur ad obiectum, & hæc conditio intrinsecè clauditur, & supponitur in productione Verbi, ideo necessariò ipsa notitia productiua Verbi, vt sic, vt sit perfectissima debet esse intuitiua.

Dices perfectionem notitiæ consistere in hoc, quòd attingat obiectum, vt habet esse, & quia Verbum diuinum non habet esse: nisi, vt est expræssum per talem intellectionem, ideò non pertinet ad perfectam eius cognitionem, quòd cognoscatur intuitiuè, & vt actualitèr præsens, & existens, antequam intelligatur illa intellectio completa per suum terminum.

Sed contra Arguitur tertiò. Ad rationem notitiæ, vt sic, requiri-

tur,

tur, & sufficit, quòd in nullo instanti durationis existat ipsa notitia, in quo eius obiectum non habeat esse, sed hoc conuenit intellectioni Patris, vt est productiua Verbi, Ergò est intuitiua. Mai. adeò certa est, vt posterioritas durationis obiecti in propria mensura non tollat à notitia ipsius rationem intuitiuæ, si ipsum obiectum coexistit mensuræ cognitionis. v. g. Antichristus posterior duratione est quam intellectio Dei, quæ multo prius existit, & tamen, quia coexistit in instanti indiuisibili æternitatis, quo mensuratur cognitio Dei, ideò illa est intuitiua Antichristi. Similitèr intellectio Dei, virtualitèr est prior sua volitione essentiali, & tamen; quia simul in eodem instanti æternitatis est cum intellectione, ideò intellectio illius semper fuit intuitiua. Idem est de eadem intellectione Dei respectu suorum attributorum: Nàm, vt sæpè docui, intellectio Dei est eius essentia, & attributa sunt veluti eius passiones, & ideò intellectio Dei, est saltim virtualitèr prior, vt ratio formalis eorum; & tamèn hoc non tollit quominùs sit intuitiua eorum, licèt, vt est ratio ipsorum sit prior illis: Vnde à priori passionis Dei, demonstrantur de illo per essentiam. Min. etiam declaratur. Primò; Nàm prioritas, quàm habet illa intellectio respectu Verbi producendi, non est durationis, sed originis: quia scilicèt sunt simul, & intellectio est ipsa productio, & origo, qua procedit Verbum, Ergò ista prioritas non tollit rationem notitiæ intuitiuæ: Nàm hanc solùm tollit prioritas Durationis.

Secundò declaratur eadem Min. Intellectio productiua Verbi non est productiua illius in potentia, sed in actu: quia est ipsa actualis productio illius, quæ sine omni successione producit terminum, Ergò nullo modo reperitur in ea prioritas aliqua impediens rationem intuitiuæ notitiæ: quia hæc solùm est prioritas respectu rei realitèr futuræ, quòd ibi non contingit: quia repugnat Filio, & Spiritui Sancto esse aliquo modo realitèr futuros, vel concipi, vt futuros, cum in sua intrinseca ratione includant actualem existentiam.

Potest hoc amplius confirmari ex dictis Quæst. 28. Art. 2. dub. 2. Conclusione 2. Vbi ostendimus de essentia Deitatis esse, esse fæcundam, & communicabilem tribus Personis, sed non in Potentia, Imò cum summa actualitate, & simultate: quia in Deo nulla potest reperiri potentialitas, & ideò illa fæcunditas, & communicabilitas nullo modo est prior actuali communicatione. Idem prorsus dicendum est de notitia Patris, quæ nullo modo est productiua Verbi cum aliqua potentialitate, & prioritate, sed cum summa actualitate, & simultate, & ideò nullo modo est prior suo termino producto nisi tantum origine,

re, quòd, vt dictum est, non tollit rationem notitiæ intuitiuæ.

Dico Ergò, quòd talis notitia, vt productiua Verbi, est illius, & Spiritus Sancti intuitiua: quia, vt productiua non respicit Verbum, vt posterius duratione, sed origine, & vt simul coexistens, & hoc sufficit ad rationem intuitiuæ.

Vel alitèr potest hoc explicari. Talis intellectio est formalitèr, & eminentèr intuitiua, abstractiua tamèn solùm virtualitèr, & eminentèr.

Declaratur hoc, exemplo, infrà Quæst.41. Art.2. dub.1. ad 2. dicemus, voluntatem generandi in Deo formalitèr, & eminentèr habere rationem complacentiæ: quia fertur in obiectum simplicitèr, & secundum rem præsens, virtualitèr, & eminentèr tamen cum fundamento aliquo in re, licèt non formalitèr habere rationem desiderij: quia prius, quàm inelligatur generatio, vt præsens, intelligebatur, vt futura, & tunc respectu illius, vt sic, secundum rationem nostro modo intelligendi futuram talis volitio habet virtualitèr rationem desiderij. Eodem modo dicendum est, hic hanc intellectionem esse perfectissimam: quia non tantum est formalitèr intuitiua, sed eminentèr, & virtualitèr abstractiua, & sicut est perfectior cognitio, quæ est formalitèr speculatiua, & tantum virtualitèr practica, quàm quæ tantum est speculatiua, & sicut volitio, quæ est formalitèr complacentia, & virtualitèr desiderium, est perfectior ea, quæ tantum est formalitèr complacentia, Ità hæc intellectio: quia formalitèr est intuitiua cum feratur in obiectum absolutè, & simplicitèr præsens, & existens, & aliquo modo virtualitèr cum fundamento in re est abstractiua: quia, vt productiua Verbi, fertur in Verbum, & Spiritum Sanctum, vt aliquo modo posteriores origine, & nostro modo imperfecto intelligendi futuros, respectu intellectionis, vt non intelligitur completa, ideò est multo perfectior, quàm si solùm esset formalitèr intuitiua.

Ad Argumenta in principio Respondeo.

AD primum, Ergò nego Antecedens. Ad probationem nego iterum Antecedens, dictum enim est Verbum, procedere ex cognitione formalitèr intuitiua, & virtualitèr abstractiua Verbi, & Spiritus Sancti.

Ad probationem pro secũda parte Antecedentis Respondeo, quòd notitia formalitèr tantum abstractiua solum reperitur in Deo, respectu Creaturarum possibilium; notitia vero formalitèr intuitiua, &

tantum

tantum virtualitèr, vel eminentèr, cum fundamento in re abstractiua potest reperiri, respectu Personarum.

Ad probationem pro secunda parte Antecedentis, distinguo Min. Cognitio, quæ suo obiecto est prior duratione, non potest esse intuitiua illius, transeat Antecedens, quæ tantùm origine est prior respectu obiecti posterioris origine, Nego Antecedens: quia cum hac prioritate, & posterioritate originis stat simultas existentiæ, cum obiecto, quæ sufficit ad rationem notitiæ intuitiuæ.

Idem dicendum est de hac notitia, respectu productionis Spiritus Sancti: quia illa non est duratione, sed tantùm origine, prior respectu Spiritus Sancti, & ideò potest esse intuitiua illius.

Ad confirmationem nego Min. Ad probationem distinguo Mai. Res producta in actu, & res, vt producenda in potentia, differunt formalitèr sicut actus, & potentia. Concedo Mai. Res tamen producta, & res vt producenda summa cum actualitate, & sine omni potentialitate non differunt, sed idem sunt, vt suprà ostendimus: notitia autèm Dei productiua Verbi, non est productiua illius cùm aliqua potentialitate, sed summa cum actualitate, & ideò non correspondet ei Verbum, vt producendum, cum potentialitate: quia vt sic, esset formalitèr futurum, sed vt producendum, cum summa actualitate, & ità non differt à se ipso, vt producto,

Vel alitèr. Res producta, & producenda differunt; distinguo Mai. Res producta formalitèr tantùm, & formalitèr producenda tantùm, transeat Mai. Res formalitèr producta, vel eminentèr, & virtualitèr, cũ fundamento producenda Concedo Mai. hæc enim, non distinguuntur sicut (licèt distinguantur) id quod est tantùm practicum, & quòd est tantùm speculatiuum, & quod est tantùm complacentia; & quòd est tantùm desiderium, non tamèn distinguuntur inter se formalitèr speculatiuum, & eminentèr practicum, & nec formalitèr complacentia, & virtuale desiderium, & Verbum numquam est formalitèr producendum, sed formalitèr productum, & virtualitèr producendum.

Vel tertio distinguo Mai. Res producta in aliquo instãti durationis, vel producenda in alio distinguuntur, transeat Mai. Res producta in instanti durationis, & producenda non in alio, sed in posteriori instãti originis. Nego Mai. Nàm illa, quæ sic est producenda in instanti durationis, est producta, & solùm habet de ratione producendæ, & futuræ procedere ab alio, & tale est Verbum, quòd non est producendũ in alio instanti durationis posteriori ad intellectionem, sed solũ quia per illam procedit, & veluti origine est posterius illa intelligitur producendum.

Ad ſecundum, In quo tanguntur duo, ſcilicèt, An Verbum ſit ſimilitudo eſſentiæ ſui, & Spiritus Sancti: Aliud. An ſit imago eorumdem ſigilatim. Reſpondeo, quod attinet ad ſimilitudinem, dico ſimilitudinem requirere diſtinctionem realem ſuppoſitorum, ità D. Th. in 1. d.2. Quæſt. In expoſitione litteræ, & Art.7. Quæſt.2. Art. 2. ad 2. & d.19. Quæſt.1. Art.1. ad 2. & 3. & d.48. Quæſt.1. Art.2. & eſt ſententia Hylarij, qui tertiò de Trin. in fin. & 4. ante med. ex hoc, quòd dicitur Geneſ.1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã, colligit in diuinis, eſſe diuerſa ſuppoſita: quia ſimilitudo ſine illis eſſe nequit, & Boetius Cap. 2. de ſpecie in 2. edictione Porphyrij, ait, ſimilitudo eſt rerum differentium eadem Qualitas, aliàs non eſſet ſimilitudo, ſed identitas.

Ratione probatur: quia ęqualitas in diuinis requirit, diſtinctionem perſonarum teſte D.Th. infrà Quæſt.42. Art.1. ad 4. Ergò, & ſimilitudo quia eſt eadem ratio, Hoc ſuppoſito patet, Verbum non eſſe ſimilitudinem ſui, aut eſſentiæ: quia eſt idem ſibi, & illi.

Si autèm obijcias, quòd ad Heb.1. dicitur, quòd eſt Figura ſubſtantiæ, ideſt eſſentiæ Patris, quòd eſt eſſe ſimilitudinem eſſentiæ diuinæ, hæc enim eſt eſſentia Patris.

Reſpondeo, quod ibi ſubſtantia accipitur pro perſona, ideſt, eſt figura, vel ſimilitudo perſonæ Patris, non quidem ratione perſonalitatis, ſed ratione eſſentiæ. Vndè in Græco habetur, quòd eſt figura hypoſtaſis eius, ideſt perſonæ, & dicitur figura ſubſtantiæ eius, ſed eſt ſimilitudo conſubſtantialis illius, ità Caiet. & Ambroſ. ibi, vel ſi ſumitur pro eſſentia, dicitur figura illius, ideſt imago, quantùm ad rationem repræſentationis, vt dicetur Quæſt. ſeq. Art.1. ad 3.

De Patre verò certum eſt, quòd Verbum eſt ſimilitudo illius, vt per teſtimonium citatum patet, & quia eſt imago eius: imago enim, ſimilitudo eſt.

De Spiritu Sancto autèm (ſi in rigore loquamur) poſſet dici, quòd Verbum eſt ſimilitudo illius: quia eſt ſimile illi, cum habeat eamdem naturam, & nihilominùs perſonalitèr diſtinguantur, Ergò eſt ſimilitudo illius: quia in diuinis, abſtracta prædicantur de concretis, ſed tamen, quia ſimilitudo ſolet ſumi frequentèr pro imagine, & Filius non eſt imago Spiritus Sancti, ideò caute, & cum diſtinctione debemus vocare Filium, ſimilitudinem Spiritus Sancti.

Dices, Verbum eſt repræſentatiuum ſui, & eſſentiæ, Ergò & ſimilitudo, Reſpondeo ſatis eſſe, ſi ſit obiectum ſecundarium formale diuinæ intellectionis, intrinſecum Patri, vt ſic repræſentet iſta, ſicut re-

præsentat creaturas, quarum (proculdubio) non est similitudo, & sic essentia repræsentat hæc omnia, & non est similitudo sui, vel creaturarum.

Quòd verò attinet ad rationem imaginis ex ea parte, qua in ratione imaginis includitur similitudo, & ad similitudinem requiritur distinctio. Certum est Verbum, non esse imaginem sui, vel essentiæ: quia neq; similitudo. Similitèr: quia imago (prætèr similitudinem) requirit processionem ab eo, cuius est imago, & Filius non procedit à se, nec ab essentia, nec à Deo, vt præintellecto personis, ideò propter defectum processionis, non est imago eorum. Quare autèm Verbum non sit imago Spiritus Sancti, Multi multa dicũt Suarez. 9. de Trin. Cap. 9. nu. 8. ait, ad rationem imaginis intellectualis requiri, quod procedat ab eo, cuius est imago tamquàm à tribuente intelligenti aliquo modo principium cognoscendi, vel speciem intelligibilem, vel id, quod gerit vicem eius, & quia Spiritus Sanctus, nullo modo tribuit Patri, talē virtutem, neque speciem sui: quia essentia, vt species intelligibilis non prouenit Patri à Spiritu Sancto, ideò Verbum non est imago Spiritus Sancti.

Aut secundò, quòd quandò aliquid cognoscitur secundariò ex vi alterius, & per speciem alterius; Verbum repræsentans tale secundarium obiectum, non posse dici procedere ab illo, vel esse imaginationem eius, & quia Spiritus Sanctus cognoscitur secundariò ex vi cognitionis essentiæ, & per speciem essentiæ, ideò Verbum repræsentans illum non est imago eius.

Sed contra vtramq; solutionem militat Argumentum factũ de Verbo, quòd Angelus format de homine, per speciem Animalis: Nàm homo non tribuit Angelo virtutem intelligendi, vel speciem: quia illa fuit indita à Deo, sine cooperatione obiecti, & homo cogitatur per illam speciem secundariò, & per speciem alterius, scilicèt Animalis, & tamèn Verbum, quod format Angelus de homine est, imago illius, Ergò Similitèr, licèt Spiritus Sanctus, nõ tribuat Patri virtutem cognoscendi, aut speciem, & nõ cognoscatur per se primò per propriam speciem, sed secundariò poterit Verbum esse imago illius.

Vndè pro nunc breuitèr dico, quòd ad rationem imaginis requiritur, quod procedat ab aliquo, velut à principio distincto realitèr: hoc autèm non conuingit in Verbo, respectu Spiritus Sancti.

Declaratur hoc. Triplex species imaginis reperitur, scilicèt naturalis, vt Filius, intellectualis, vt Verbum, Artificialis, vt imago depicta Cæsaris, Fili' procedit à Patre, vt à principio Quod, realitèr distin-

cto. Verbum creatum, quòd est imago obiecti intellectus, procedit ab illo, vel supplente vicem eius, scilicèt specie, tamquam à principio realitèr distincto. Similitèr imago Cæsaris artificialis, procedit ab ipso in genere causæ exemplaris, veluti à principio realitèr distincto, & idē contingit in Verbo diuino: Nàm est imago Patris: quia procedit ab illo tamquam similitudo expressa ab eo, vt à principio. Quòd realitèr distincto: non verò est imago essentiæ: quia ipsa non est principiū, Quòd, illius, nec realitèr distincta ab eo.

Similitèr nec est imago Spiritus Sancti: quia ipse per se, non est principium Quòd, producens illud, & essentia diuina, quæ est species Spiritus Sancti concurrens, vt principium Quo, ad eius productionem nō est realitèr distincta ab eo: requiritur autèm talis distinctio: quia de ratione imaginis est, quòd sit expressa secundum rem ab eo, cuius est imago, & per Consequens, quòd habeat ab illo, vt à principio realitèr distincto, habente influxum realem, vel per se, vel ratione speciei realitèr distinctæ: quia, si per se non est principium Quod, producens illud, & species non est distincta realitèr, non erit influxus realis in eam: quia non datur, à quo talis influxus realis possit prouenire.

Quo supposito.

AD secundum Argumentum, Quòd attinet ad rationem imaginis. Nego Sequellam. Ad primam probationem Respondeo, Verbum esse imaginationem alicuius obiecti, quandò procedit ex eius cognitione, causata à specie realitèr distincta ab ipso obiecto, vt contingit in humanis, vel quandò eius principium Quòd, ipsum exprimens est personalitèr distinctum ab eo, simile in natura, vt contingit in diuinis, & quia neq; ipsum Verbum, neq; essentia, neq; Spiritus Sanctus, producūt illud, vt principium Quod exprimens ipsum, neque in ratione obiecti concurrunt ad eius productionem, mediante specie realitèr distincta ab eo, ratione cuius habeant realem influxum in eam, vt contingit in Humanis, ideò non est Verbum illorum imago.

Ac secundam probationem. Dist. Mai. Eodem modo, quo procedit ab illo, vt à principio intelligibili concurrente ad eius productionem per speciem realitèr distinctam ab ipso Verbo, vt cōtingit in humanis, & in Verbo, quòd format Angelus. Concedo Mai. Si non cōcurrat per speciem realitèr distinctam. Nego Maiorem, & ità Verbum essentia, & Spiritus Sanctus concurrunt, vt obiectum cognitum,

sed

sed mediante essentia diuinæ, vt specie, quæ non distinguitur ab ipso Verbo, & propterea, neque species, neque ipsa obiecta, habent realem influxum in illud, & ideò non est imago eorum.

Ad tertium, variè respondét Theologi. Quidam Iuniores dicunt Verbum, & Spiritum Sactum, esse principium intelligibile Verbi, non physicè, sed in esse intelligibili. Non, inquam, physicè: quia nequè ipsum Verbum; neq; Spiritus Sanctus, sunt principium. Quòd, aut Quo, physicè (& veluti actiuè) producitur Verbum, benè tamèn in esse intelligibile: quia ad hoc, satis est, quòd ad cognitionem, qua producitur Verbum, concurrat per modum obiecti cogniti per se, & ità concurrunt, Filius, & Spiritus Sanctus, ad productionem Verbi, neq; inquiunt, est inconueniens, quod id, quod physicè procedit ab alio, vel est idem cum illo sit principium sui ipsius, vel sui principij in esse intelligibili, & quia cognitio Filij, & Spiritus Sancti, requiritur ad productionem Verbi per se. In quarto modo dicendi per se. In quo effectus prædicatur de causa, vel id quod est à principio prædicatur de principio, ideò oportet concedere, has personas (vt cognitas) habere principij rationem, respectu Verbi.

Alij, vt Suarez 9. de Trin. cap. 5. nu. 5. negant, esse principium eius: quia tunc solùm obiectum, est principium Verbi, quando tribuit cognoscenti speciem, vel virtutem cognoscendi, ita, quòd cognoscens accipiat ab illo ipsam cognitionem, quòd hic non contingit: Nàm Pater, non habet, à Filio, vel Spiritu Sancto, speciem, aut virtutem cognoscendi.

Sed vterque modus dicendi, mihì non placet. Primus quidem: quia, licèt illa sententia, non sit falsa in eo, quod intendit docere, non tamen ita absolutè est, proferenda, neque id, eius rationes suadent.

Primum patet: Nàm per hoc, quod ait Filius, quod, & Spiritus Sanctus, vt obiectum talis cognitionis, sit principium illius, & Verbi in esse intelligibili, solùm videtur significare, quòd essentia diuina, quatenus, vt species intelligibilis, est, principium Quo, productionis Verbi, & ipsius Verbi, non est sufficiens principium illius, nisi, vt in esse repræsentatiua continet ipsum Filium, & Spiritum Sanctum, & hoc verùm est: Nàm, si essentia diuina, non repræsentaret illos, non esset infinita in esse repræsentatiuo, & ita, non essent sufficiens principium Quo, Verbi infiniti.

Secundum, verò patet: Nàm, si hoc sufficit, vt dicatur id, quòd necessariò repræsentatur per essentiam diuinam, vt speciem esse principium Verbi, saltem in esse intelligibili, consequenter, concedendum

erit creaturas, entia rationis, & omnia possibilia esse principium in esse intelligibili ipsius Verbi: Nàm essentia diuina, vt species, non est sufficiens principium illius; nisi vt repræsentat hæc omnia. Consequēs tamen non debet admitti, Ergò.

Confirmatur. Nàm alias dicendum esset, entia rationis, & creaturas in esse intelligibili esse principium ipsius Spiritu Sancti: Nàm sunt principium Verbi, à quo procedit Spiritus Sanctus; imo esse propria ipsius Dei: Nàm sunt propria intellectionis, quæ est Deus, Ergò. Imo sequitur Verbum, accipere aliquid de sua perfectione ab Spiritu Sancto, & creaturis: Nàm accipit aliquid à suo proprio in esse intelligibili; Si enim nihil omnino dat, non est aliquo modo principium eius. Consequens est plusquam falsum, contra illud Ioan. De meo accepit, & non dixit, e contra, & quia alias Spiritus Sanctus, esset principium de principio saltim in esse intelligibili, & haberet in esse intelligibilem virtutem generatiuam: Nàm est principium eius, qui solùm per generationem producitur à suo principio, Ergò.

Confirmatur, & declaratur hoc. Nàm omne principium in quocumque esse sit principium, producit id cuius est principium, per aliquam virtutem, sed Verbum non potest produci, nisi per virtutem generatiuam, Ergò si Spiritus Sanctus, in esse intelligibili est principium illius, in illo esse habebit virtutem generatiuam ipsius.

Confirmatur Secundo, Nàm essentia diuina, licèt, quia est species, qua producitur Verbum, sit principium QVO, illius, tamen non est principium, quo, nisi vt est in Patre, quo modo est potentia generatiua, Ergò non, vt est in Filio, vel Spiritu Sancto, de quo infra Quæst. 41. Ergò, multò minùs Filius, & Spiritus Sanctus, vt obiectum cognitum dicendi erunt principium Verbi, in esse intelligibili: quia, vt sic non dicunt essentiam diuinam, vt est in Patre, sed Personas distinctas, vt repræsentatas, vel cognitas.

Confirmatur Tertio, nàm aliàs Spiritus Sanctus, mitteret Filium, vt Deus est: Nàm Persona, quæ est principium alterius, mittit illam Consequens ostendetur falsum Quæst. 43. Ergò.

Secundò arguitur: quia Verbum in esse intelligibili est principiū Spiritu Sancti, & creaturarum, & omnis intelligibilitatis earum, Ergo Spiritus Sanctus, & creaturæ non possunt esse principium eius in esse intelligibili: Nàm principium alicuius in aliquo genere non potest esse in eodem genere tanquam à principio ab eo, cuius est principium.

Tertio arguitur: Nàm Spiritus Sanctus, & creaturæ, vt cognitæ nihil

hil reale debent, Ergò vt sic non possunt esse principium Verbi. Antecedens est certum: quia illos cognosci, est ens rationis, neq; enim cognoscuntur sicut Verbum, cuius cognosci est produci, vt dixi. & Consequentia probatur: quia principium entis infiniti non potest esse ens rationis, vt sic.

Quarto, quia esse obiectum non dicit aliquam rationem causæ, vel principij, sed sólam meram rationem termini: Nàm, cum creaturæ sint obiectum omnipotentiæ Dei, sunt quidē terminus illius, nō vero causa, vel principium, Ergò Filium, & Spiritum Sanctum esse obiectum cognitionis, à qua procedit Verbum, non est esse principium eius, & consequenter neque Verbi.

Et argumentum huius sententiæ nihil probat: Nàm aliud est cognitionem Filij, & Spiritu Sancti, & creaturarum per se requiri ad productionem Verbi diuini perseitate principij, & aliud est ipsa obiecta per se concurrere in ratione principij.

Primum enim verum est: quia illa cognitio, vt est in Patre, est ipsamet productio Verbi: quia eius productio dicit talem cognitionem cum quodam modo speciali quo est in Patre, vt dixi Quæst. 27. Art. 2. dub. 3. Conclusione 3. & 4. & quia ipsamet habet rationem principij respectu Verbi, vt dixi. Quęst. 27. Art. vltimo Conclusione vlt. ideo illa potest requiri per se perseitate principij, & in 4. modo.

Secundum verò est, falsum: quia, vt dictum est, obiectum alicuius actus non necessario est principium eius, neque termini procedentis per illum, & ita non oportet admittere Verbum esse ex Filio, vel Spiritu Sancto, neque etiam vt cognitis: quia illos esse cognitos sólùm dicit relationem rationis, quæ non tribuit eis esse principium.

Secundus etiam modus Suar. etiam falsus est: Nàm si Verbum formatum ab Angelo est imago sui obiecti, tale obiectum debet esse principium illius vt dictum est, & tamen illud non tribuit Angelo aliquam virtutem cognoscendi: quia nec tribuit intellectum, quē habet à Deo, neque speciem, quam non habet acceptam à rebus.

Aliter Ergò Ad 3. Nego sequellam: Nàm obiectum cognitionis non est principium Verbi per illam producti, quando non habet esse in specie distincta à Verbo, quod hic non contingit: quia essentia diuina in qua, vt specie repræsentantur Filius, & Spiritus Sanctus, non distinguitur à Verbo.

Ad quartum. Nego Antecedens. Ad probationem, nego iterum Antecedens; tunc enim non procederet Verbum infinitum, vt probatum est 2. Conclusione.

Ad quintum. Distinguo Antecedens pro 1. parte. Ex cognitione obiecti primarij Filij, Concedo Antecedens. Obiecti primarij materialis, & inclusi intrinsecè in formali. Nego Antecedens.

Declaratur hoc. Dupliciter potest dici aliquod obiectum primarium, vno modo, quia est obiectum formale, sub cuius ratione cætera considerantur, & hoc modo, Deitas est obiectum primarium diuinæ cognitionis, sub cuius ratione attinguntur attributa, & Personæ; Alio modo: quia est aliquid pertinens ad obiectum primarium, & de essẽtia illius, sine quo ipsum obiectum primarium, non haberet eamdem rationem, quam habet, & ita attributa, & relationes diuinæ, pertinent ad essentiam Dei: quia essentia Dei, sine illis, non esset eiusdem rationis: non tamen sunt obiectum primarium formale: quia non omnia, quæ cognoscit Deus, cognoscit sub ratione Personalitatum, vel attributorum, nec secundarium: quia non sunt aliquid distinctum à primario, vt creaturæ.

Ad argumentum Ergò. Nego Antecedens pro 1. parte. Ad probationem. Obiectum formale primarium, est essentia, & non personæ: Concedo Antecedens, obiectum primarium materiale modò explicatum. Nego. Nàm etiam Personæ (ratione dicta) participant rationem primarij obiecti.

DVBITATVR II.

An Verbum diuinum per se procedat ex cognitione creaturarum.



VIDETVR, quòd non. Primò: quia Ioan. 17. dicitur: Clarifica me Pater claritate, quam habui priusquam mundus fieret apud te, idest esset apud, vt legit & exponit Cai. Ex quo sic arguitur. Mundus est apud Deum, intelligibiliter per hoc, quod intelligatur, vt faciendus, vt insinuat Aug. 2. de Genesi ad litt. cap. 8. sed priusquam sic mũdus fieret, vel esset apud Deum, Verbum Dei, habuit gloriam apud Patrem, Ergò, cum non potuerit habere gloriam, nisi fuisset productum antequam mundus intelligeretur, non processit per se, ex præsupposi-

ta cognitione creaturarum, & mundi.

Confirmatur, primo, quia Ansel. in Monolog. cap. 31. & 32. ait Verbum diuinum, non esse Verbum creaturarum: esset autem Verbum earum, & præsupponeret eas, si procederet ex earum cognitione: quia omne Verbum, repræsentat obiectum, ex cuius cognitione procedit, Ergò.

Confirmatur 2. ex D. Tho. Quæst. 4. de Veritate Art. 5. in fine, dicẽte, Verbum principalitèr, & quasi per se, refertur ad Patrem, sed ex continenti, & quasi per accidens, refertur ad creaturas: accidit enim Verbo, quod per ipsum creaturæ dicantur, si autem per se procederet ex cognitione creaturarum per se, creaturæ dicerentur per ipsum: quia illud obiectum, cuius cognitione, per se procedit Verbum, per se dicitur per illud, & ibidem ad 2. ait. Quòd Verbum diuinum, est Verbum creaturę idest, de creatura, tamquàm obiecto, non à creatura scilicèt, tamquàm à principio, etiam in esse intelligibili, & tamèn si procederet per se ex illarum cognitione, esset à creatura tãquam à proprio intelligibili: quia non alio modo potest creaturarum cognitio requiri per se, ad eius cognitionem: nisi: quia creaturæ sunt principium eius in esse intelligibili. Et in sol. ad 7. ibidem ait. Quòd principaliter per Verbum manifestatur, est Pater, sed ex continenti est creatura, quæ nullo modo potest esse diuinæ Personæ principium, & tamen esset principium illius, si per se procederet Verbum, ex cognitione creaturarum, Ergò.

Secundò, intellectus diuinus, prius ordine naturæ, cognoscit essentiam, quàm creaturas, sed in illo priori producit Verbum, Ergò illud non procedit ex cognitione creaturarum. Consequentia patet: quia præsupponitur productum ad earum cognitionem. Min. etiàm patet: quia illa cognitio in illo priori, est infinita, siquidem est Deus, Ergò, est fæcunda ad productionem Verbi, Nàm fęcunditas illa, respectu Verbi producendi, peruenit ex eius infinitate. Mai. autem probatur tripliciter.

Primò, quia essentia diuina, est obiectum primarium, & formale diuini intellectus, in quo, & ratione cuius, cætera cognoscit, creaturæ verò sunt obiectum secundarium, cognitum ratione essentiæ, sed obiectum primarium, & formale cognoscitur priusquam secundarium, Ergò.

Secundo probatur: quia essentia, est veluti motiuum diuini intellectus, sed obiectum, quasi motiuum, per se primò mouet ad sui cognitionem, & per Consequens prius, quam ad cognitionem obiecti non motiui, Ergò.

Ter-

Tertio, probatur: quia essentia diuina repræsentat creaturas, vt similitudo cognita, & exemplar earum, sed quod repræsentat aliud, vt similitudo cognita prius cognoscitur, quam repræsentet: quia, vt repræsentet illas, debet esse præcognita, Ergò.

Confirmatur, Verbum præsupponitur productum ad cognitionem creaturarum, Ergò non procedit ex illa. Antecedens probatur. Verbum, vt productum habet magis intrinsecam connexionem, cum essentia, quam creaturæ, Ergò cognitio diuina, cuius obiectum est ipsa essentia, immediatiorem habitudinem habet ad Verbum, secundum esse productum, quàm ad creaturas, atque adeò Verbum, vt productum prius terminat cognitionem diuinam, quam creaturæ per illam cognoscantur. Hoc secundum Antecedens patet: Nàm supra diximus diuinas relationes, & Personas per se pertinere ad essentiam Dei, & claudi in eius conceptu, & ratione, creaturæ verò non sic pertinent ad eius essentiam, nec clauduntur in eius conceptu, dicit autem habitudinem magis intrinsecam ad aliquid, id quod est de eius essentia, & conceptu quàm id, quod in eo non clauditur. Consequentia verò probatur: quia sic se habet secundarium obiectum ad actualem cognitionem intellectus, sicut se habet ad eius formale, & primarium obiectum, cuius ratione pertinet ad eius cognitionem, Ergò si Verbū vt productum habet immediatiorem ordinem, ad primarium obiectum intellectus diuini, scilicèt essentiam, quàm creaturæ immediatiorem etiàm ordinem habebit, vt iam productum, ad cognitionem Dei, quàm creaturæ.

Confirmatur secundò. Si necessario procederet ex cognitione creaturarum, id esset: quia necessario procedit ex perfectissima cognitione, & compræhensiua essentiæ: talis autem compræhensiua cognitio nequit haberi, sine cognitione creaturarum. Sed hoc est falsum, Ergò, etiàm Sequella. Min. probatur. Primo, quia non tollit omnimodam perfectionem intellectionis, & compræhensionis attingere prius, vnum obiectum primarium, quàm secundarium, quin potius perfectio est, attingere sua obiecta, secundum ordinem, quem habent inter se, & secundum ordinem, quo obijciuntur ipsi intellectui, Ergò, quòd diuina cognitio attingat essentiam diuinam, quæ est eius obiectum primarium, prius natura, quam creaturas, quæ sunt obiectum secundarium, & quòd prius formaret Verbum de obiecto primario, quàm attingat secundarium, non tollit aliquam perfectionem circa rationem compræhensionis.

Secundo, probatur eadem Min. quia, si essentia diuina non posset com-

compræhensiuè cognosci, sine compræhensione creaturarum possibilium eò esset: quia essentia diuina (secundum suam rationem) haberet realem ordinem, & connexionem cum illis, & esset realis, & positiua perfectio, essentiæ repræsentare creaturas, sed hoc non, Ergò. Mai. patet: Nàm id, quòd est omnino absolutum ab alio, nullam ad illud dicens habitudinem realem; vt sic, potest omninò cognosci, sine ipso, quia sicut se habet ad esse, ita ad cognosci, & è contrà, si non potest cognosci, sine illo, ideo est: quia secundum esse habet aliquam habitudinem ad illud. Min. verò pro 1. parte patet: Nàm essentia diuina est omninò absoluta, & independens à creaturis, & magis necessarium est Deum esse quoad omnem perfectionem sibi intrinsecã, quàm creaturas esse possibiles, Ergò non habent necessariam connexionem ad illas: quia si talem connexionem haberet, deficiente possibilitate creaturarum, non esset Deus, & consequentèr non esset magis necessarium esse Deum, quàm creaturas esse possibiles, cum deficiente tali necessitate deficeret Deus.

Pro secunda etiam parte, patet eadem Min. quia essentiam diuinã repræsentare creaturas, nullam perfectionem realem ponit in ea, Ergò poterit compræhensiuè cognosci, quoad omnem suam realem perfectionem etiamsi non cognoscatur, vt repræsentat creaturas. Consequentia patet: quia satis compræhensiuè cognoscitur, si cognoscatur quo ad omnia, quæ dicunt in ea realem perfectionem. Antecedens, verò probatur. Quia nullam realem perfectionem ponunt in Deo ea, quæ important respectum ad creaturas præter eam, quàm includit ipsa perfectio absoluta. V.G. Scientia visionis creaturarum, & volitio libera, prædestinatio, vel productio creaturarum, aut assumptio humanitatis, nullam perfectionem realem ponunt in Deo, propter respectum, quẽ dicunt ad creaturas, nisi eam, quam includit ipsa Scientia Dei, vel volitio secundum se.

Tertio probatur, eadem Min. Nàm, si, quia comprẹhensiue, & perfecte non cognoscitur, sine creaturis, ideo Verbum debet procedere ex cognitione earum, sequitur, quòd etiàm necessario debeat procedere ex cognitione intuitiua illarum, imo ex cognitione futurorum conditionatorum. Consequens est falsum, Ergò. Sequella probatur: Nàm Deus, non se compræhensiuè cognosceret, si non intuitiuè cognosceret creaturas, in aliqua differentia temporis existentis, & similitèr non se compræhenderet, si futura conditionata, quæ habent aliquam certam veritatem non cognosceret, deficeret enim ei aliqua perfectio cognitionis, ea scilicèt, quæ reperitur in visione, nec existentis,

tis, & cognitione obiecti, habentis aliquam veritatem. Min. verò probatur: quia Verbum, procedit ex cognitione omninò necessaria, vtraque autem harum cognitionum, vel est libera, vel supponit aliquid liberum. Ergò.

Tertiò, principalitèr, arguitur argumento Ansel. Si aliquę, aut omnes creaturæ, essent impossibiles, Verbum, procederet eodem modo perfectum atque modo procedit. Ergò per se, non procedit ex cognitione creaturarum possibilium. Consequentia patet: quia si per se procederet ex cognitione earum, tāquam à principio; deficiente illa tolleretur ipsa processio: Tolitur enim alicuius productio, quando id, quod per se requiritur, & supponitur ad illam, tollitur. Antecedens est Cai. hic dicentis, hanc conditionalem esse veram. ETIAM SI CREATVRAE NON ESSENT. POSSIBILIS NIHILOMINVS ESSET PROCESSIO VERBI EODEM MODO IN SE. Antecedens probatur, quia eo ipso, quo Deus, est primum ens summè, & infinitè perfectum, habet generare Verbum, quod modo generat infinite perfectum, vt autem sit primum ens summè, & infinitè perfectum non indiget aliqua re possibile extra se, Ergò, etiàm si non esset aliqua res possibilis, generaret Verbum summè, & infinitè perfectum, sicut modo.

Declaratur hoc. Etiam si aliqua creatura, non esset possibilis, nulla perfectio deesset omnipotentiæ Dei, scientiæ, vel alteri attributo: maneret enim eius omnipotētia, sicut modo: quia posset omne, quod non implicat contradictionem, sicut modo, & eius scientia etiam sicut modo, quia sciret omne, quod est scibile, licèt enim, non sciret creaturam esse possibilem, id esset: quia hoc non est scibile in illo casu, Ergò maneret Deus primum ens summè, & infinitè perfectum, sicut modo, aliàs, eius infinita perfectio, non esset Antecedens magis necessarium, quàm creaturas esse possibiles, neq; omninò independens à creaturis.

Quartò Arguitur: quia aliàs esset Verbum, imago creaturarum Consequens est falsum, Ergò.

Sequella probatur. Vt Verbum sit imago alicuius, satis est, si sit similitudo eius, procedens ab eo, vt principio in esse intelligibili, vt patet in Verbo, quòd format Angelus de homine, sed si Verbum procederet personalitèr ex cognitione creaturarum procederet ab illis, vt à principio in esse intelligibili: quia obiectum cognitum, habet rationem principij in esse intelligibili, respectu Verbi procedentis, per talem cognitionem, Ergò.

Con-

Confirmatur: quia aliàs, dicẽdum eſset, Verbum procedere ex ipſis creaturis, prout ſunt obiecta cognita ſecundum eſse, quòd habent in ſe. Conſequens eſt falſum Ergò.

Sequella probatur. Eo ipſo, quòd Verbum procedit ex cognitione alicuius rei, procedit ab ipſa re cognita ſecundum eſſe, quod cognoſcitur, vt patet in Verbo cuiuslibet creaturæ, quod ideò eſt imago illius, Ergò, ſi Verbum diuinum procedit ex cognitione creaturarum ſecundum eſſe, quod habent in ſe, procedit ab ipſis creaturis, vt cognitis. Min. patet: Nàm creaturæ, vt cognitæ, non ſunt ens infinitæ perfectionis, Ergò non poſſunt eſſe principium Verbi infiniti, quòd ſolùm poteſt produci per Virtutem generatiuam infinitam.

Quintò, ſi Verbum pro ex cognitione creaturarum poſſibilium Sequitur, quod ex vi ſuæ proceſſionis, importet reſpectum ad creaturas. Conſequens eſt falſum, Ergò. Sequella patet. Id conuenit Verbo ex vi ſuæ proceſſionis, quod conuenit ei ex actione, qua procedit, ſed, ſi procedit ex cognitione creaturarum: quia omne Verbũ habet repræſentare id (ex vi ſuæ proceſſionis) ex cuius cognitione procedit; etiam Verbum diuinum habebit (ex vi ſuæ proceſſionis) eſſe repræſẽtatiuum creaturarum, quod eſt dicere reſpectum ad illas, Ergò. Min. probatur: Nàm Verbum ex vi ſuæ proprietatis perſonalis, quæ eſt Filiatio ſolùm reſpicit Patrem, creaturas verò reſpicit, inquantùm includit eſſentiam, & ſapientiam diuinam, quæ eſt communis omnibus.

Sed contra eſt auctoritas D. Thomæ.

In hoc dubio ſunt quatuor ſententiæ.

PRima; Verbum non procedere ex cognitione creaturarum, ſed ſolius eſſentiæ. Ità Scotus in 1.d.32. Quæſt.9. ad vlt. & locis citatis dub. præced. ſententia prima, vbi ſentit, quòd quia eſſentia diuina eſt primarium obiectum ſuæ cognitionis, & per Conſequẽs primò attingibile, creaturæ verò ſunt obiectum ſecũdarium, ideò Deus in primo inſtanti rationis, cognoſcit compræhenſiuè ſuam eſſentiam, & ex illius cognitione, vt terminata ad eſſentiam, producitur Verbũ, quòd ex vi ſuæ proceſſionis ſolùm repræſentat eſſentiam. In ſecundò cognoſcit perſonas, & tunc Verbum iam productum, quaſi extẽditur ad eas repræſentandas. In tertio cognoſcit omnes creaturas poſſibiles, & producit eas in quodã eſſe intelligibili, quòd eſt medium inter ens

reale, & rationis, & tunc Verbum tertiò extenditur ad eas repræsentandas, quasi per Accidens. Sentitq; Scotus, quòd quandiù creaturæ non sunt productæ in illo medio esse intelligibili, non sunt in memoria fæcunda Patris: quia aliàs memoria Patris ante illud instās, si præhaberet illas, naturalitèr, cum producat Verbum secundum suam totam virtutem repræsentatiuum, quàm habet, repræsentaret illas, & produceret Verbum repræsentatiuum illarum. Sequitur hanc sententiam quantùm ad primam eius partem. Vazq. hic disp. 143. Cap. 3. & 4. Tenens, Verbum non procedere per se ex cognitione creaturarum possibilium.

Secunda. Non procedere ex earum cognitione: quia Pater non cognoscit creaturas, nisi in Verbo iam producto, & ità præsupponitur iam productum ad earum cognitionem, Ità Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 13. §. ad 1.

Tertia. Verbum procedere ex notitia intuitiua creaturarum, etiam futurarum: quia supposita earum existentia futura talis perfectio notitiæ, quòd sit intuitiua, requiritur ad comprehensionem essentiæ ex qua procedit Verbum, & quia Verbum repræsentat existentiam earū. Sequitur procedere ex earum cognitione, quàm tantùm repræsentat, id ex cuius cognitione procedit, Ità quidam relati à Vazq. disp. 143. Cad. 1. & Suar. 9. de Trin. Cap. 7.

Quarta sententia est. Procedere per se, ex scientia simplicis intelligentiæ omnium creaturarum possibilium, & imaginabilium, & omnium entium, quæ intellectu possunt concipi. Ità D. Th. hic, & Art. 1. ad 3. & de ver. Quæst. 4. Art. 5. & 4. contra Gent. Cap. 13. Bonau. in 1. d. 27. Art. 2. Quæst. 2. Gabri. Quæst. 3. Art. 3. dub. 1. Conclusione 2. Alens. prima parte, Quæst. 62. Art. 4. Caiet. & Torres hic.

Pro cuius explicatione.

Dico primò. Deus non produxit creaturas ab æterno in illo medio esse, quòd finxit Scotus, neque illas cognoscit aut Verbum illas repræsentat: quia Deus eas produxit in tali esse medio.

PRima pars huius Conclusionis probatur à Caiet. contra Scotum supra Quæst. 14. Art. 5. & Quæst. 15. Art. 1. vbi ait, non esse multò consonam Fidei sententiam Scoti: quia in ea supponitur natura-

li necessitate, & ab æterno, Deum produxisse aliquid ex se, scilicèt illud esse intelligibile creaturarum, licèt alitèr explicent sententiā Scoti aliqui ex eius discipulis, de quo infrà.

Secunda pars huius Cōclusionis probatur. Primò: quia aliàs, Deus, & Verbum, aliquid necessariæ perfectionis accepissent à creaturis in illo esse productionis. Consequens est falsum, Ergò. Sequella probatur: Nàm Pater accepisset ab eius intelligere illas, & habere speciem earum, qua memoriā eius esset fæcunda, ad producendum Verbum, vt repræsentatiuum earum; & Verbum accepisset repræsentationem earum talitèr, quòd sine ipsis creaturis in illo esse, hæc omnia neque Pater, nec Verbum haberēt, hæc autèm omnia, sunt perfectiones Dei omninò necessariæ in illo; Ergò.

Secundò: quia non potest assignari ratio, quare Verbum non sit effectus, & imago producta ab ipsis creaturis in tali esse: Nàm vt dixi dub. præcedenti: Tùnc Verbum est effectus, & imago obiecti cogniti, quandò producitur per speciem illius, distinctam ab ipso Verbo: hoc autèm contingit hic: Nàm, si illud esse intelligibile creaturarum, est quòd fæcundat memoriam Patris, habebit rationem speciei, qua mediante producit Verbum, vt repræsentatiuum creaturarum, & quę est distincta ab illo, & per Consequens Verbum, vt sic, erit effectus, & imago creaturarum.

Tertiò probatur: Nàm (vt ostendimus Quæst. 27. Art. 2.) fęcundam memoriam Patris, vocat Scotus intellectum formatum specie, tamquā actu primò, in hac autèm sententiā docet Scotus, creaturas prius produci in esse intelligibili per actualem earum cognitionem; quàm sint in memoria fæcunda Patris, Ergò, secundum Scoti sententiā, prius debet creatura cognosci à Deo, quàm habeat eius speciem, quod implicat: Nàm prius quàm sit actus secundus, idest, cognitio earum, debet supponi actus primus, idest, species earum.

Explicatur hoc. Vel Pater est in actu primò ad cognoscendas creaturas in illo primo signo, in quo cognoscit essentiam, vel non vsquè ad tertiū signū, quandò intelligit creaturas, producendo illas in illo esse intelligibili.

Si primum, Ergò Verbum procedens in illo priori, repræsentauit creaturas, quòd negat Scotus. Sequella patet: Nàm tùnc Verbum procedit ab intellectu Patris, vt constituto in actu primò ad eas cognoscendas, & hoc sufficit, vt repræsentet eas, & procedat ex ipsarum cognitione: Ideò enim procedit in illo primo signo ex cognitione essentiæ, & repræsentat eam: quia Pater in illo signo, per ipsam essen-

tiam repræſentantem (vt ſpeciem) Dei naturam, & quidditatem eſt in actu primum ad illius cognitionem, Ergò idem erit, reſpectu creaturarum.

Si def. ſecundũ, Ergò in tertio ſigno non poterit creaturas cognoſcere, & producere illas in eſſe intelligibili: implicat enim, potentiam reducere ſe ad actum ſecundum, niſi virtute actus Primi, prius habiti, & ab aliquo extrinſeco redduci, nequit ad talem actum.

Confirmatur: Nàm aliàs veluti ſucceſſiuè, Deus acquireret ſuam perfectionem à creaturis, neq; eam habuiſſet in primo ſigno rationis: Nàm ad ſummam Dei perfectionem, pertinet cognoſcere creaturas: eas autèm non cognoſcet in 1. ſed in 3. ſignò neq; earum cognitionem habet, niſi mediante illo eſſe intelligibili, quod producit, & per Conſequens perfectione cognitionis creaturarum, non haberet ex ſua eſſẽtia, ſed ex ipſis creaturis productis Conſequens autẽ eſt falſum: quia in illo primo ſigno eſt verus Deus, cui nihil perfectionis deeſt, & quo maius excogitari nequit. Excogitaretur autèm tunc maior, ſi conciperetur, vt habens perfectionem cognitionis creaturarum, qua tunc intelligitur cauſare, quòd eſt magna perfectio, Ergò.

Quartò. Nàm aliàs Verbum, vt repræſentatiuum creaturarũ, produceretur à ſe ipſo, vt repræſentatiuo eſſentiæ, & ſimilitèr à Spiritu Sancto, Conſequens eſt falſum, Ergò; Sequella patet: Nàm Verbum, (vt repræſentatiuum creaturarũ) producitur ex cognitione ipſarum, quæ prouenit Deo ex ipſis creaturis productis in illo eſſe intelligibili, ſed illæ in tali eſſe, cum ſint aliquid productum extra Deum, debẽt produci à tota Trinitate, ac ſub indè à Verbo iam producto, & Spiritu Sancto, Ergò, quòd producitur ex eis, vt ſic productis, quod eſt Verbum debet produci à tota Trinitate, & per Conſequens à Spiritu Sancto, & Verbo iam producto, vt repræſentatiuo eſſentiæ.

Dicò ſecundò. Deus non producit Verbum ex cognitione intuitiua creaturarum, vt eſt ſcientia viſionis, vel futurorum conditionatorum liberorum.

HAEC Concluſio eſt expreſsa Anſel. vbi ſuprà dicentis, Verbum, ità eſſe futurum, ſicut modo eſt etiam, ſi nulla foret creatura, Idẽm inſinuat D. Th. hic in Corpore, & ad 3. dicendo, Verbum procedere, vt expræſſiuuum, & factiuum creaturarum, eſſe autèm factiuũ dicit reſpectum ad creaturas, vt poſſibiles.

Secundò.

Secundò. Probatur ratione: quia processio Verbi omninò necessaria debet procedere per se ex cognitione creaturarum, omninò necessaria, sed scientia visionis creaturarum, vel scientia cęterorum cōtingentium liberorum, etiam si illa ponatur in Deo, nō est omninò necessaria, sed libera, vel includens, aut supponens aliquàm libertatem ex qua potuit non esse, Ergò. Min. pro prima parte probatur: quia scientia visionis creaturarum, supponit liberam earum prouidentiam, neq; enim sine earum productione, quæ libera est, possunt videri.

Pro secunda etiam parte probatur. Futura conditionata liberè non necessariò ponuntur: Nàm, licèt esset verum, quod posito tali obiecto in tali occasione necessariò, & determinatè sequeretur talis veritas, tamèn poni illud obiectum in tali occasione est merè liberum, & contingens, potuitque aliter se habere, Ergò cognitio illius non est omninò necessaria, & per Consequens, nec requiritur ad productionem Verbi. Quòd tantùm procedit ex cognitione Dei omninò necessaria.

Tertiò probatur, Patrē, intelligitur in Deo productio Verbi, & Spiritus Sancti, quàm huiusmodi scientia, Ergò non procedit ex illa. Antecedens probatur: quia naturalia sunt simpliciter priora liberis, & ea, quæ sunt personalia sunt priora his, quæ dicunt respectum ad creaturas fundatum in actione transeunte: Constat autèm hanc scientiam dicere respectum ad creaturas, vt productas absolutè, vel sub conditione, & esse liberam simpliciter, vel supponere liberam productionem obiecti, Ergò necessariò, debet esse posterior pioductione Verbi, & Spiritus Sancti.

Cōfir. Sciētia producta supponit productionē obiecti, vel liberū absolutè, vel liberā sub cōditione, sed hæc supponit ꝓductionē Verbi, & Spiritus Sancti, Ergò. Mai. probatur: quia creaturæ non possunt existere absolutè, vel sub conditione, nisi: quia ità placuerit Deo, vel omninò, & absolutè liberè, vel liberè sub cōditione Min. verò probatur: quia libertas ista in ordinatione ad creaturas, cùm non dicat oppositionem relatiuam inter personas, necessariò debet esse communis personis, & ità Pater Filius, & Spiritus Sanctus, debent haberet talem liberam voluntatem absolutè, vel sub cōditione producendi creaturas priusqnam cognoscantur, vt existentes, vel vt futuræ sub conditione, sed non possunt illam habere, nisi prius existant, & sint producti, Ergò eorum productio, supponitur tali cognitioni, & non procedunt ex illa.

Quartò probatur. Etiam si in Deo non sit scientia intuitiua crea-

turarum esset in eo perfectissima infinita, & comprænensiua cognitio suæ essentiæ, quo ad omnia, quæ in ea sunt formalitèr, & virtualitèr, Ergò ex illa procedit Verbum, & sic, non procedet per se excognitione intuitiua. Consequentia patet: quia ad productionem Verbi requiritur, & sufficit cognitio comprænensiua essentiæ infinita, & perfectissima. Antecedens verò probatur: quia si Deus, non produxisset creaturas, maneret Deus, Ergò haberet perfectissimam infinitam, & comprænensiuam cognitionem sui: quia sine hac, Deus esse nequit.

Confirmatur ex dicendis Quæst. 41. Art. 2. vbi ostendetur, Verbum non procedere à voluntate, nec supponere illam operantem, vt voluntas est.

Dices. Verbum repræsentat res, vt existentes, Ergò procedit ex cognitione earum, vt sic, repræsentat enim ea, ex quorum formali cognitione procedit.

Respondeo. Distinguo Antecedens repræsentat eas necessariò, & per se, vt existentes, nego Antecedens; liberè, & contingentèr supposita libera Dei voluntate. Concedo Antecedens, & tunc nego Consequentiam: quia solùm procedit ex illis, quæ per se, & necessariò repræsentat, alia verò potest liberè repræsentare, supposita libera Dei productione, vel determinatione de earum productione. Ratio differẽtiæ est: quia, cum eius productio sit necessaria debet esse excognitione non libera, sed necessaria, & præsupposita ordine originis ad Verbi processionem, & quia ad cognitionẽ necessariam alicuius obiecti, sequitur necessariò, vt repræsentetur Verbo per illam productionẽ ideò per se solùm repræsentat ea, quæ necessariò cognoscuntur cognitione necessaria, quæ (prioritate originis) requiritur ad eius processionẽ, & hæc solùm sunt essentialia attributa Personæ, & creaturæ, vt possibiles: cognosco verò libera creaturarum, vt existentium, cum sit libera, non supponitur via originis ad eius necessariam productionem, & ideò Verbum non procedit ex illa, vt sic, nec repræsentat per se eius obiectum, scilicèt creaturas, vt existentes, quæ est ratio formalis, cognita per talem scientiam.

Quod verò Verbum non habeat de se repræsentare creaturas, vt existentes, & tamen repræsentet eas, vt sic non arguit in eo habere aliquid reale, quòd non habet ex suæ processionis vi, sed solùm habere nouam terminationem, vel relationem rationis, ad creaturas existentes, quæ sine aliqua eius mutatione, consurgit solùm, ex productione termini: sicut enim ipsa scientia Dei, quæ de se non est intuitiua creaturarum:

turarum: quia, si creaturæ non fuissent liberè productæ, non fuisset intuitiua illarum, habet esse intuitiuam ex sola existentia creaturarum posita in rerum natura, saltem mensura æternitatis, & hoc non habet aliquam mutationem in scientia, quia esse intuitiuam in illa, solùm dicit respectum rationis ad creaturas, vt existentes, eodem modo Verbum, quod dicit talem respectum intuitiui ad res existentes ratione essentiæ essentialis, quam includit, sine aliqua sui mutatione, poterit habere rationem intuitiui, licèt eam non habeat necessariò, nec formalitèr ex sua processione.

Ex quo sequitur, quòd, licèt repræsentare intuitiuè existentia conueniat Verbo per suam processionem, quatenus per illam communicatur ei scientia Dei, quæ habet supposita libera prædicta determinatione, repræsentare ea intuitiuè, nō tamèn id conuenit Verbo, ex vi suæ processionis: quia ad hoc requirebatur, vt ex vi solius processionis, sine aliqua libera determinatione, voluntatis diuinæ id haberet: quia ꝙ cōuenit illi supposito, aliquo accidentali suæ processioni, non conuenit ex vi suæ processionis, sed ex illo accidentali super addito.

Dico tertiò. Verbum diuinum, vt per suam substantialem, & personalem proprietatem, constituitur in suo esse substantiali per se, procedit ex cognitione necessaria simplicis intelligentiæ, quam Deus habet de rebus possibilibus, imò de entibus rationis, & impossibilibus.

PRima pars, quæ attinet ad cognitionem creaturarum possibiliū patet ex Aug. 15. de Trin. cap. 14. dicente Verbum Dei, esse sciētia Patris, & nihil esse in scientia Patris, quod non sit in Verbo, & 11. Confessio. cap. 7. dicit, quòd Verbo diuino debentur omnia, & Ansel. Monolo. cap. 28. & infrà ostendit, quòd Verbo Dei, debentur omnia, Ergò, Verbum Dei procedit ex cognitione omnium; Nàm procedit ex cognitione eorum omnium, quæ sic manifestantur.

Dices cum Vazq. disp. 143. cap. 6. hæc testimonia intelligi de omnibus etiàm futuris, & cum constet Verbum non procedere ex cognitione futurorum, neque id, istis testimonijs probari, non probabitur etiàm, quòd procedat ex cognitione possibilium.

Dices secundò, hæc testimonia probare, quòd cognitio creatura-

rum possibilium, per se pertinet, & requiritur ad productionem Verbi diuini, non quidem ad eius productionem substantialem, secundũ propriam illius naturam, & proprietatem personalem, sed quatenus secundariò procedit, vt repræsentatiuum creaturarum possibilium, & futurarum.

Dices tertiò, testimonia loqui de creaturis, vt sunt in Deo, quo modo sunt ipse Deus, non verò de creaturis, vt sunt in se ipsis: Nàm procedere ex cognitione creaturarum Primo modo, est procedere ex cognitione ipsius essentiæ Dei: Nàm creatura, vt est in Deo, teste Aug. est creatrix essentiæ.

Sed licèt prima expositio admittatur gratis: quia nihil est in context. Aug. vult repræsentare in Verbo omnia, quæ sunt in scientia Patris, sed creaturæ, vt possibiles sunt per se primò in scientia Patris, tãquàm obiecta requisita ad infinitam compræhensionem essentiæ Dei, qua constituitur Deus in esse Dei (vt postea dicemus) Ergò, etiã eodem modo earum cognitio, requiritur ad productionem substanctialem Verbi. Per hoc etiàm excluditur secunda, de qua hic infrà 2. argumento.

Tertia verò expositio, manifestè, contradicit testimonijs, quibus asseritur illo Verbo, dici non tantùm Deum verum, sed creaturas: Creaturæ autem, vt sunt in Deo, non distinguuntur ab ipso, & ideo sunt ipse Deus, & cognoscere illas secundum modum, quo sunt in illo nihil aliud est, quàm cognoscere ipsum Deum, manent Ergò, testimonia pro nostra Conclusione in sua vi.

Confirmatur, ex D. Th. infrà art. 1. ad 3. dicente, quòd licèt solus Filius dicatur, idest perferatur, vt Verbum, tamen tota Trinitas, & omnis creatura dicitur, idest manifestatur illo Verbo: quia Pater intelligens se, Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius sciẽtia continentur, concipit Verbum, quasi dicat hæc omnia manifestari in Verbo: quia procedit ex cognitione omnium eorum. Et hic ait, quòd quia Deus, vnico actu intelligit se, & omnia, ideò vnicum Verbum eius est expræssiuum Patris, & omnium creaturarum, quo significat cognitionem eorum obiectorum, quæ per se repræsentantur Verbo, esse per se requisitam ad eius productionem, sed Verbum diuinum per se reprę̃sentat creaturas, sicut per se reprę̃sentat, & manifestat Patrem, Ergò per se procedit, ex earum cognitione, prætereà quòd lib. 4. Art. 6. ad 1. ait, hoc Verbo, exprimitur quicquid tota Trinitas sit, Ergò etiàm illo exprimitur creatura, Ergò procedit ex cognitione ipsius; quia procedit ex cognitione eius, quod per illud exprimitur,

primitur,ideſt,manifeſtatur.

Dices,cum Vazq.vbi ſuprà D. Tho. loqui de cognitione creaturarum: non quia per ſe illa requiratur ad Verbi productionem,quia loquitur generalitèr, de cognitione omnis creaturę, ſub qua generalitate compręhenditur creatura futura: Verbum autem, non procedit per ſe ex cognitione futurorum,vt ſic.

Sed hęc expoſitio, non conſonat textui,quia D.Thom. loquitur de cognitione creatarum ſicut, & cognitione Patris, ſed Verbum non procedit ex cognitione Patris, per accidens, & concomitanter, ſed per ſe, Ergò ſentit D.Tho.illud eodem modo procedere ex cognitione creatarum.

Secundò probatur concluſio ratione fundamentali. Verbum diuinum,quoad ſuam ſubſtantialem,& perſonalem proprietatem neceſſariò,& per ſe procedit ex perfectiſſima,infinitiua,& comprahenſiua cognitione Dei. Ergò,vt ſic,neceſſariò, & per ſe procedit ex cognitione creatarum. Antecedens patet: Nàm per ſe primo, quo ad ſuam ſubſtantialem,& perſonalem proprietatem procedit, vt infinitè perfectum: quia aliàs procederet creatura,& per conſequens procedit,vt ſic ex infinita cognitione Dei, quæ eſt comprahenſiua eius: debet enim Verbum,proportionari cum cognitione, à qua procedit & iuxta perfectionem cognitionis,à qua procedit erit perfectio Verbi,& è contra. Conſequentia verò probatur: quia Deus nequit cõprahenſiuè cognoſci, niſi cognitis omnibus creaturis, & eius effectibus etiam producibilibus, vt oſtendit D.Th. ſuprà Quæſt.12. Art. 8. & Quæſt.14. Art.5. & 7. Cuius ratio eſt: Quia Deus intrinſicè eſt ens infinitum,& illimitatum formalitèr continens omnem perfectionem entis: quia aliàs non eſſet formalitèr infinitum. Eſt etiam cauſa omnium poſſibilium eminentiſſima, & eorum exemplar: intrinſecè etiàm in ſua ratione includit multa attributa,vt iuſtitiam,miſericordiam,potentiam &c. vt autem comprahenſiuè cognoſcantur omnia iſta,ex quorum comprahenſiua cognitione pendet, comprahenſiua cognitio Dei,neceſſariò, & per ſe,debent cognoſci omnes creaturæ, Ergò,de primo ad vlt.vt comprahenſiuè cognoſcatur Deus, quo ad omnia iſta intrinſeca ſibi,neceſſario, & per ſe,debent cognoſci omnes creaturæ.

Declarantur iſta. Deum eſſe, ipſum eſſe per eſſentiam,vel eſſe ſubſiſtens,vel ens ſimplicitèr formalitèr infinitum,eſt continere in ſe omnes perfectiones rerum,non tantùm quoad id, quòd eſt omnibus commune,ſed etiàm quantùm ad ea,quæ ſunt propria ſingulis; Nàm quã-

tis, & cognitione obiecti, habentis aliquam veritatem. Min. verò probatur: quia Verbum, procedit ex cognitione omninò necessaria, vtraque autem harum cognitionum, vel est libera, vel supponit aliquid liberum. Ergò.

Tertiò, principalitèr, arguitur argumento Ansel. Si aliquę, aut omnes creaturæ, essent impossibiles, Verbum, procederet eodem modo perfectum atque modo procedit. Ergò per se, non procedit ex cognitione creaturarum possibilium. Consequentia patet: quia si per se procederet ex cognitione earum, tãquam à principio; deficiente illa tolleretur ipsa processio: Tolitur enim alicuius productio, quando id, quod per se requiritur, & supponitur ad illam, tollitur. Antecedens est Cai. hic dicentis, hanc conditionalem esse veram. ETIAM SI CREATVRAE NON ESSENT. POSSIBILIS NIHILOMINVS ESSET PROCESSIO VERBI EODEM MODO IN SE. Antecedens probatur, quia eo ipso, quo Deus, est primum ens summè, & infinitè perfectum, habet generare Verbum, quod modo generat infinite perfectum, vt autem sit primum ens summè, & infinitè perfectum non indiget aliqua re possibile extra se, Ergò, etiàm si non esset aliqua res possibilis, generaret Verbum summè, & infinitè perfectum, sicut modo.

Declaratur hoc. Etiam si aliqua creatura, non esset possibilis, nulla perfectio deesset omnipotentiæ Dei, scientiæ, vel alteri attributo: maneret enim eius omnipotẽtia, sicut modo: quia posset omne, quod non implicat contradictionem, sicut modo, & eius scientia etiam sicut modo, quia sciret omne, quod est scibile, licèt enim, non sciret creaturam esse possibilem, id esset: quia hoc non est scibile in illo casu, Ergò maneret Deus primum ens summè, & infinitè perfectum, sicut modo, aliàs, eius infinita perfectio, non esset Antecedens magis necessarium, quàm creaturas esse possibiles, neq; omninò independens à creaturis.

Quartò Arguitur: quia aliàs esset Verbum, imago creaturarum Consequens est falsum, Ergò.

Sequella probatur. Vt Verbum sit imago alicuius, satis est, si sit similitudo eius, procedens ab eo, vt principio in esse intelligibili, vt patet in Verbo, quòd format Angelus de homine, sed si Verbum procederet personalitèr ex cognitione creaturarum procederet ab illis, vt à principio in esse intelligibili: quia obiectum cognitum, habet rationem principij in esse intelligibili, respectu Verbi procedentis, per talem cognitionem, Ergò.

Con-

Confirmatur: quia aliàs, dicẽdum esset, Verbum procedere ex ipsis creaturis, prout sunt obiecta cognita secundum esse, quòd habent in se. Consequens est falsum Ergò.

Sequella probatur. Eo ipso, quòd Verbum procedit ex cognitione alicuius rei, procedit ab ipsa re cognita secundum esse, quod cognoscitur, vt patet in Verbo cuiuslibet creaturæ, quod ideò est imago illius, Ergò, si Verbum diuinum procedit ex cognitione creaturarum secundum esse, quod habent in se, procedit ab ipsis creaturis, vt cognitis. Min. patet: Nàm creaturæ, vt cognitæ, non sunt ens infinitæ perfectionis, Ergò non possunt esse principium Verbi infiniti, quòd solùm potest produci per Virtutem generatiuam infinitam.

Quintò, si Verbum pro excognitione creaturarum possibilium Sequitur, quod ex vi suæ processionis, importet respectum ad creaturas. Consequens est falsum, Ergò. Sequella patet. Id conuenit Verbo ex vi suæ processionis, quod conuenit ei ex actione, qua procedit, sed, si procedit ex cognitione creaturarum: quia omne Verbũ habet repræsentare id (ex vi suæ processionis) ex cuius cognitione procedit; etiam Verbum diuinum habebit (ex vi suæ processionis) esse repræsẽtatiuum creaturarum, quod est dicere respectum ad illas, Ergò. Min. probatur: Nàm Verbum ex vi suæ proprietatis personalis, quæ est Filiatio solùm respicit Patrem, creaturas verò respicit, inquantùm includit essentiam, & sapientiam diuinam, quæ est communis omnibus.

Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

In hoc dubio sunt quatuor sententiæ.

PRima; Verbum non procedere ex cognitione creaturarum, sed solius essentiæ. Ità Scotus in 1.d.32. Quæst.9. ad vlt. & locis citatis dub. præced. sententia prima, vbi sentit, quòd quia essentia diuina est primarium obiectum suæ cognitionis, & per Consequẽs primò attingibile, creaturæ verò sunt obiectum secũdarium, ideò Deus in primo instanti rationis, cognoscit compræhensiuè suam essentiam, & ex illius cognitione, vt terminata ad essentiam, producitur Verbũ, quòd ex vi suæ processionis solùm repræsentat essentiam. In secundò cognoscit personas, & tunc Verbum iam productum, quasi extẽditur ad eas repræsentandas. In tertio cognoscit omnes creaturas possibiles, & producit eas in quodã esse intelligibili, quòd est medium inter ens

reale,

reale, & rationis, & tunc Verbum tertiò extenditur ad eas repræsentandas, quasi per Accidens. Sentitq; Scotus, quòd quandiù creaturæ non sunt productæ in illo medio esse intelligibili, non sunt in memoria fæcunda Patris: quia aliàs memoria Patris ante illud instās, si præhaberet illas, naturalitèr, cum producat Verbum secundum suam totam virtutem repræsentatiuum, quàm habet, repræsentaret illas, & produceret Verbum repræsentatiuum illarum. Sequitur hanc sententiam quantùm ad primam eius partem. Vazq. hic disp. 143. Cap. 3. & 4. Tenens, Verbum non procedere per se ex cognitione creaturarum possibilium.

Secunda. Non procedere ex earum cognitione: quia Pater non cognoscit creaturas, nisi in Verbo iam producto, & ità præsupponitur iam productum ad earum cognitionem, Ità Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 13. §. ad 1.

Tertia. Verbum procedere ex notitia intuitiua creaturarum, etiam futurarum: quia supposita earum existentia futura talis perfectio notitiæ, quòd sit intuitiua, requiritur ad compræhensionem essentiæ ex qua procedit Verbum, & quia Verbum repræsentat existentiam earū. Sequitur procedere ex earum cognitione, quàm tantùm repræsentat, id ex cuius cognitione procedit, Ità quidam relati à Vazq. disp. 143. Cad. 1. & Suar. 9. de Trin. Cap. 7.

Quarta sententia est. Procedere per se, ex scientia simplicis intelligentiæ omnium creaturarum possibilium, & imaginabilium, & omnium entium, quæ intellectu possunt concipi. Ità D. Th. hic, & Art. 1. ad 3. & de ver. Quæst. 4. Art. 5. & 4. contra Gent. Cap. 13. Bonau. in 1. d. 27. Art. 2. Quæst. 2. Gabri. Quæst. 3. Art. 3. dub. 1. Conclusione 2. Alens. prima parte, Quæst. 62. Art. 4. Caiet. & Torres hic.

Pro cuius explicatione.

Dico primò. Deus non produxit creaturas ab æterno in illo medio esse, quòd finxit Scotus, neque illas cognoscit aut Verbum illas repræsentat: quia Deus eas produxit in tali esse medio.

PRima pars huius Conclusionis probatur à Caiet. contra Scotum suprà Quæst. 14. Art. 5. & Quæst. 15. Art. 1. vbi ait, non esse multò consonam Fidei sententiam Scoti: quia in ea supponitur natura-

li necessitate, & ab æterno, Deum produxisse aliquid ex se, scilicèt illud esse intelligibile creaturarum, licèt alitèr explicent sententiã Scoti aliqui ex eius discipulis, de quo infrà.

Secunda pars huius Cõclusionis probatur. Primò: quia aliàs, Deus, & Verbum, aliquid necessariæ perfectionis accepissent à creaturis in illo esse productionis. Consequens est falsum, Ergò. Sequella probatur: Nàm Pater accepisset ab eius intelligere illas, & habere speciem earum, qua memoria eius esset fæcunda, ad producendum Verbum, vt repræsentatiuum earum, & Verbum accepisset repræsentationem earum talitèr, quòd sine ipsis creaturis in illo esse, hæc omnia nequè Pater, nec Verbum haberét, hæc autèm omnia, sunt perfectiones Dei omninò necessariæ in illò, Ergò.

Secundò: quia non potest assignari ratio, quare Verbum non sit effectus, & imago producta ab ipsis creaturis in tali esse: Nàm vt dixi dub. præcedenti: Tùnc Verbum est effectus, & imago obiecti cogniti, quandò producitur per speciem illius, distinctam ab ipso Verbo: hoc autèm contingit hic: Nàm, si illud esse intelligibile creaturarum, est quòd fæcundat memoriam Patris, habebit rationem speciei, qua mediante producit Verbum, vt repræsentatiuum creaturarum, & quę est distincta ab illo, & per Consequens Verbum, vt sic, erit effectus, & imago creaturarum.

Tertiò probatur: Nàm (vt ostendimus Quæst. 27. Art. 2.) fęcundam memoriam Patris, vocat Scotus intellectum formatum specie, tamquã actu primo, in hac autèm sententiã docet Scotus, creaturas prius produci in esse intelligibili per actualem earum cognitionem, quàm sint in memoria fæcunda Patris, Ergò, secundum Scoti sententiã, prius debet creatura cognosci à Deo, quàm habeat eius speciem, quod implicat: Nàm prius quàm sit actus secundus, idest, cognitio earum, debet supponi actus primus, idest, species earum.

Explicatur hoc. Vel Pater est in actu primò ad cognoscendas creaturas in illo primo signo, in quo cognoscit essentiam, vel non vsquè ad tertiũ signũ, quandò intelligit creaturas, producendò illas in illo esse intelligibili.

Si primum, Ergò Verbum procedens in illo priori, repræsentauit creaturas, quòd negat Scotus. Sequella patet: Nàm tùnc Verbum procedit ab intellectu Patris, vt constituto in actu primò ad eas cognoscendas, & hoc sufficit, vt repræsentet eas, & procedat ex ipsarum cognitione: Ideò enim procedit in illo primo signo ex cognitione essentiæ, & repræsentat eam: quia Pater in illo signo, per ipsam essen-

tiam

tiam repræsentantem (vt speciem) Dei naturam, & quidditatem est in actu primum ad illius cognitionem, Ergò idem erit, respectu creaturarum.

Si des. secundũ, Ergò in tertio signo non poterit creaturas cognoscere, & producere illas in esse intelligibili: implicat enim, potentiam reducere se ad actum secundum, nisi virtute actus Primi, prius habiti, & ab aliquo extrinseco redduci, nequit ad talem actum.

Confirmatur: Nàm aliàs veluti successiuè, Deus acquireret suam perfectionem à creaturis, neq; eam habuisset in primo signo rationis: Nàm ad summam Dei perfectionem, pertinet cognoscere creaturas: eas autèm non cognoscet in 1. sed in 3. signo neq; earum cognitionem habet, nisi mediante illo esse intelligibili, quod producit, & per Consequens perfectione cognitionis creaturarum, non haberet ex sua essẽtia, sed ex ipsis creaturis productis Consequens autẽ est falsum: quia in illo primo signo est verus Deus, cui nihil perfectionis deest, & quo maius excogitari nequit. Excogitaretur autèm tunc maior, si conciperetur, vt habens perfectionem cognitionis creaturarum, qua tunc intelligitur causare, quòd est magna perfectio, Ergò.

Quartò. Nàm aliàs Verbum, vt repræsentatiuum creaturarũ, produceretur à se ipso, vt repræsentatiuo essentiæ, & similiter à Spiritu Sancto, Consequens est falsum, Ergò; Sequella patet: Nàm Verbum, (vt repræsentatiuum creaturarũ) producitur ex cognitione ipsarum, quæ prouenit Deo ex ipsis creaturis productis in illo esse intelligibili, sed illæ in tali esse, cum sint aliquid productum extra Deum, debẽt produci à tota Trinitate, ac sub indè à Verbo iam producto, & Spiritu Sancto, Ergò, quòd producitur ex eis, vt sic productis, quod est Verbum debet produci à tota Trinitate, & per Consequens à Spiritu Sancto, & Verbo iam producto, vt repræsentatiuo essentiæ.

Dicò secundò. Deus non producit Verbum ex cognitione intuitiua creaturarum, vt est scientia visionis, vel futurorum conditionatorum liberorum.

HAEC Conclusio est expressa Ansel. vbi suprà dicentis, Verbum, ità esse futurum, sicut modo est etiam, si nulla foret creatura, Idem insinuat D. Th. hic in Corpore, & ad 3. dicendo, Verbum procedere, vt expræssiuum, & factiuum creaturarum, esse autèm factiuũ dicit respectum ad creaturas, vt possibiles.

Secundò.

Secundò. Probatur ratione: quia processio Verbi omninò necessaria debet procedere per se ex cognitione creaturarum, omninò necessaria, sed scientia visionis creaturarum, vel scientia cęterorum cõtingentium liberorum, etiam si illa ponatur in Deo, nõ est omninò necessaria, sed libera, vel includens, aut supponens aliquàm libertatem ex qua potuit non esse, Ergò. Min. pro prima parte probatur: quia scientia visionis creaturarum, supponit liberam earum prouidentiam, neq; enim sine earum productione, quæ libera est, possunt videri.

Pro secunda etiam parte probatur. Futura conditionata liberè non necessariò ponuntur: Nàm, licèt esset verum, quod posito tali obiecto in tali occasione necessariò, & determinatè sequeretur talis veritas, tamèn poni illud obiectum in tali occasione est merè liberum, & contingens, potuitque aliter se habere, Ergò cognitio illius non est omninò necessaria, & per Consequens, nec requiritur ad productionem Verbi. Quòd tantùm procedit ex cognitione Dei omninò necessaria.

Tertiò probatur, Patrẽ, intelligitur in Deo productio Verbi, & Spiritus Sancti, quàm huiusmodi scientia, Ergò non procedit ex illa. Antecedens probatur: quia naturalia sunt simplicitèr priora liberis, & ea, quæ sunt personalia sunt priora his, quæ dicunt respectum ad creaturas fundatum in actione transeunte: Constat autèm hanc scientiam dicere respectum ad creaturas, vt productas absolutè, vel sub conditione, & esse liberam simpliciter, vel supponere liberam productionem obiecti, Ergò necessariò, debet esse posterior pioductione Verbi, & Spiritus Sancti.

Cõfir. Sciẽtia producta supponit productionẽ obiecti, vel liberũ absolutè, vel liberã sub cõditione, sed hæc supponit ꝓductionẽ Verbi, & Spiritus Sancti, Ergò. Mai. probatur: quia creaturæ non possunt existere absolutè, vel sub conditione, nisi: quia ità placuerit Deo, vel omninò, & absolutè liberè, vel liberè sub cõditione Min. verò probatur: quia libertas ista in ordinatione ad creaturas, cùm non dicat oppositionem relatiuam inter personas, necessariò debet esse communis personis, & ità Pater Filius, & Spiritus Sanctus, debent haberet talem liberam voluntatem absolutè, vel sub cõditione producendi creaturas priusqnam cognoscantur, vt existentes, vel vt futuræ sub conditione, sed non possunt illam habere, nisi prius existant, & sint producti, Ergò eorum productio, supponitur tali cognitioni, & non procedunt ex illa.

Quartò probatur. Etiam si in Deo non sit scientia intuitiua crea-

turarum esset in eo perfectissima infinita, & comprahensiua cognitio suæ essentiæ, quo ad omnia, quæ in ea sunt formalitèr, & virtualitèr, Ergò ex illa procedit Verbum, & sic, non procedet per se excognitione intuitiua. Consequentia patet: quia ad productionem Verbi requiritur, & sufficit cognitio comprahensiua essentiæ infinita, & perfectissima. Antecedens verò probatur: quia si Deus, non produxisset creaturas, maneret Deus, Ergò haberet perfectissimam infinitam, & comprahensiuam cognitionem sui: quia sine hac, Deus esse nequit.

Confirmatur ex dicendis Quæst. 41. Art. 2. vbi ostendetur, Verbum non procedere à voluntate, nec supponere illam operantem, vt voluntas est.

Dices. Verbum repræsentat res, vt existentes, Ergò procedit ex cognitione earum, vt sic, repræsentat enim ea, ex quorum formali cognitione procedit.

Respondeo. Distinguo Antecedens repræsentat eas necessariò, & per se, vt existentes, nego Antecedens; liberè, & contingentèr supposita libera Dei voluntate. Concedo Antecedens, & tunc nego Consequentiam: quia solùm procedit ex illis, quæ per se, & necessariò repræsentat, alia verò potest liberè repræsentare, supposita libera Dei productione, vel determinatione de earum productione. Ratio differētiæ est: quia, cum eius productio sit necessaria debet esse ex cognitione non libera, sed necessaria, & præsupposita ordine originis ad Verbi processionem, & quia ad cognitionē necesṡariam alicuius obiecti, sequitur necesṡariò, vt repræsentetur Verbo per illam productionē ideò per se solùm repræsentat ea, quæ necesṡariò cognoscuntur cognitione necesṡaria, quæ (prioritate originis) requiritur ad eius processionē, & hæc solùm sunt esṡentialia attributa Personæ, & creaturæ, vt possibiles: cognosco verò libera creaturarum, vt existentium, cum sit libera, non supponitur via originis ad eius necesṡariam productionem; & ideò Verbum non procedit ex illa, vt sic, nec repræsentat per se eius obiectum, scilicèt creaturas, vt existentes, quæ est ratio formalis, cognita per talem scientiam.

Quod verò Verbum non habeat de se repræsentare creaturas, vt existentes, & tamen repræsentet eas, vt sic non arguit in eo habere aliquid reale, quòd non habet ex suæ processionis vi, sed solùm habere nouam terminationem, vel relationem rationis, ad creaturas existentes, quæ sine aliqua eius mutatione, consurgit solùm, ex productione termini: sicut enim ipsa scientia Dei, quæ de se non est intuitiua creaturarum:

turarum: quia, si creaturæ non fuissent liberè productæ, non fuisset intuitiua illarum, habet esse intuitiuam ex sola existentia creaturarum posita in rerum natura, saltem mensura æternitatis, & hoc non habet aliquam mutationem in scientia, quia esse intuitiuam in illa, solùm dicit respectum rationis ad creaturas, vt existentes, eodem modo Verbum, quod dicit talem respectum intuitiui ad res existentes ratione essentiæ essentialis, quam includit, sine aliqua sui mutatione, poterit habere rationem intuitiui, licèt eam non habeat necessariò, nec formalitèr ex sua processione.

Ex quo sequitur, quòd, licèt repræsentare intuitiuè existentia conueniat Verbo per suam processionem, quatenus per illam communicatur ei scientia Dei, quæ habet supposita libera prædicta determinatione, repræsentare ea intuitiuè, nō tamèn id conuenit Verbo, ex vi suæ processionis: quia ad hoc requirebatur, vt ex vi solius processionis, sine aliqua libera determinatione, voluntatis diuinæ id haberet: quia q̄ cōuenit illi supposito, aliquo accidentali suæ processioni, non conuenit ex vi suæ processionis, sed ex illo accidentali super addito.

Dico tertiò. Verbum diuinum, vt per suam substantialem, & personalem proprietatem, constituitur in suo esse substantiali per se, procedit ex cognitione necessaria simplicis intelligentiæ, quam Deus habet de rebus possibilibus, imò de entibus rationis, & impossibilibus.

PRima pars, quæ attinet ad cognitionem creaturarum possibiliũ patet ex Aug. 15. de Trin. cap. 14. dicente Verbum Dei, esse sciētia Patris, & nihil esse in scientia Patris, quod non sit in Verbo, & 11. Confessio. cap. 7. dicit, quòd Verbo diuino debentur omnia, & Ansel. Monolo. cap. 28. & infrà ostendit, quòd Verbo Dei, debentur omnia; Ergò, Verbum Dei procedit ex cognitione omnium; Nàm procedit ex cognitione eorum omnium, quæ sic manifestantur.

Dices cum Vazq. disp. 143. cap. 6. hæc testimonia intelligi de omnibus etiàm futuris, & cum constet Verbum non procedere ex cognitione futurorum, neque id, istis testimonijs probari, non probabitur etiàm, quòd procedat ex cognitione possibilium.

Dices secundò, hæc testimonia probare, quòd cognitio creatura-

rum possibilium, per se pertinet, & requiritur ad productionem Verbi diuini, non quidem ad eius productionem substantialem, secundũ propriam illius naturam, & proprietatem personalem, sed quatenus secundariò procedit, vt repræsentatiuum creaturarum possibilium, & futurarum.

Dices tertiò, testimonia loqui de creaturis, vt sunt in Deo, quo modo sunt ipse Deus, non verò de creaturis, vt sunt in se ipsis: Nàm procedere ex cognitione creaturarum Primo modo, est procedere ex cognitione ipsius essentiæ Dei: Nàm creatura, vt est in Deo, teste Aug. est creatrix essentiæ.

Sed licèt prima expositio admittatur gratis: quia nihil est in context. Aug. vult repræsentare in Verbo omnia, quæ sunt in scientia Patris, sed creaturæ, vt possibiles sunt per se primò in scientia Patris, tãquàm obiecta requisita ad infinitam compræhensionem essentiæ Dei, qua constituitur Deus in esse Dei (vt postea dicemus) Ergò, etiã eodem modo earum cognitio, requiritur ad productionem substancialem Verbi. Per hoc etiàm excluditur secunda, de qua hic infrà 2. argumento.

Tertia verò expositio, manifestè, contradicit testimonijs, quibus asseritur illo Verbo, dici non tantùm Deum verum, sed creaturas: Creaturæ autem, vt sunt in Deo, non distinguuntur ab ipso, & ideo sunt ipse Deus, & cognoscere illas secundum modum, quo sunt in illo nihil aliud est, quàm cognoscere ipsum Deum, manent Ergò, testimonia pro nostra Conclusione in sua vi.

Confirmatur, ex D. Th. infrà art. 1. ad 3. dicente, quòd licèt solus Filius dicatur, idest perferatur, vt Verbum, tamen tota Trinitas, & omnis creatura dicitur, idest manifestatur illo Verbo: quia Pater intelligens se, Filium, & Spiritum Sanctum, & omnia alia, quæ eius sciẽtia continentur, concipit Verbum, quasi dicat hæc omnia manifestari in Verbo: quia procedit ex cognitione omnium eorum. Et hic ait, quòd quia Deus, vnico actu intelligit se, & omnia, ideò vnicum Verbum eius est expræssiuum Patris, & omnium creaturarum, quo significat cognitionem eorum obiectorum, quæ per se repræsentantur Verbo, esse per se requisitam ad eius productionem, sed Verbum diuinum per se represẽntat creaturas, sicut per se represẽntat, & manifestat Patrem, Ergò per se procedit, ex earum cognitione, prætereà quòd lib. 4. Art. 6. ad 1. ait, hoc Verbo, exprimitur quicquid tota Trinitas sit, Ergò etiàm illo exprimitur creatura, Ergò procedit ex cognitione ipsius; quia procedit ex cognitione eius, quod per illud exprimitur,

primitur, ideſt, manifeſtatur.

Dices, cum Vazq. vbi ſuprà D. Tho. loqui de cognitione creaturarum: non quia per ſe illa requiratur ad Verbi productionem, quia loquitur generalitèr, de cognitione omnis creaturę, ſub qua generalitate compręhenditur creatura futura: Verbum autem, non procedit per ſe ex cognitione futurorum, vt ſic.

Sed hęc expoſitio, non conſonat textui, quia D.Thom. loquitur de cognitione creatarum ſicut, & cognitione Patris, ſed Verbum non procedit ex cognitione Patris, per accidens, & concomitanter, ſed per ſe, Ergò ſentit D.Tho. illud eodem modo procedere ex cognitione creatarum.

Secundò probatur concluſio ratione fundamentali. Verbum diuinum, quoad ſuam ſubſtantialem, & perſonalem proprietatem neceſſariò, & per ſe procedit ex perfectiſſima, infinitiua, & compræhenſiua cognitione Dei. Ergò, vt ſic, neceſſariò, & per ſe procedit ex cognitione creatarum. Antecedens patet: Nàm per ſe primo, quo ad ſuam ſubſtantialem, & perſonalem proprietatem procedit, vt infinitè perfectum: quia aliàs procederet creatura, & per conſequens procedit, vt ſic ex infinita cognitione Dei, quæ eſt comprænhenſiua eius: debet enim Verbum, proportionari cum cognitione, à qua procedit & iuxta perfectionem cognitionis, à qua procedit erit perfectio Verbi, & è contra. Conſequentia verò probatur: quia Deus nequit cõpræhenſiuè cognoſci, niſi cognitis omnibus creaturis, & eius effectibus etiam producibilibus, vt oſtendit D.Th. ſuprà Quæſt. 12. Art. 8. & Quæſt. 14. Art. 5. & 7. Cuius ratio eſt: Quia Deus intrinſicè eſt ens infinitum, & illimitatum formalitèr continens omnem perfectionem entis: quia aliàs non eſſet formalitèr infinitum. Eſt etiam cauſa omnium poſſibilium eminentiſſima, & eorum exemplar: intrinſecè etiàm in ſua ratione includit multa attributa, vt iuſtitiam, miſericordiam, potentiam &c. vt autem compræhenſiuè cognoſcantur omnia iſta, ex quorum compræhenſiua cognitione pendet, compræhenſiua cognitio Dei, neceſſariò, & per ſe, debent cognoſci omnes creaturæ, Ergò, de primo ad vlt. vt compræhenſiuè cognoſcatur Deus, quo ad omnia iſta intrinſeca ſibi, neceſſario, & per ſe, debent cognoſci omnes creaturæ.

Declarantur iſta. Deum eſſe, ipſum eſſe per eſſentiam, vel eſſe ſubſiſtens, vel ens ſimplicitèr formalitèr infinitum, eſt continere in ſe omnes perfectiones rerum, non tantùm quoad id, quòd eſt omnibus commune, ſed etiàm quantùm ad ea, quæ ſunt propria ſingulis; Nàm quã-

tum ad id, quòd singulæ creaturæ haberet proprium, quo distinguũtur ab alijs debent aliquam perfectionem, vt ostendit D. Tho. suprà Quæst. 14. Art. 6. Ergò, non potest comprahensiuè cognosci, ipsum ens, per essentiam continens istos modos entis: nisi cognoscantur ipsi modi, quod est cognoscere omnes creaturas possibiles. Similitèr Deum, esse causam effectiuam omnium, vel esse causa exemplare omnium quantum, ad perfectiones proprias, & particulares singulorũ, supponit in Deo reperiri formalitèr, vel eminentèr perfectiones omnium eorum, quoad ea, quæ sunt singulis propria: Nàm causa effectiua debet præhabere formalitèr, vel eminenter effectum, quẽ producit causa etiàm exemplaris perfectionum diuersarum, quoad propria illis debet constitui, per actum eminentiorem, cui assimilentur prædictæ perfectiones: implicat autem comprahendere causam effectiuã: nisi cognoscantur omnia, quæ in eius virtute continentur, quoad sibi propria: quia aliàs non cognosceretur, vt cognoscibilis est, quia, cum contineat perfectiones proprias singulorum, cognoscibilis est, vt continet eas, & similitèr, cum in causa exemplari eminentissima sit actus, & perfectio immitabiles ab omnibus possibilibus, non poterit illa cõprahensiuè cognosci, quantum cognoscibilis est, nisi cognoscatur quo modo, & secundum quos gradus, & perfectiones, sit immitabilis ab illis, quòd est cognoscere omnes creaturas, Ergò, vt comprahensiuè cognoscatur Deus, quatenus ens infinitum, causa efficiens, & exẽplaris omnium, requiritur, cognosci omnes modos essendi, qui in eo continentur, & omnes eius effectus possibiles, qui possunt perfectionem illius immitari, quòd est cognoscere omnes creaturas.

Prætereà Omnipotentia Dei, misericordia, & iustitia, extenduntur ad omnes creaturas. De omnipotentia patet: quia eius obiectum est, omne, quòd potest fieri, de misericordia etiàm, & iustitia idem patet: quia ambæ reperiuntur in omnibus operibus Dei, vt ostendit D. Tho. suprà Quæst. 21. Art. 4. sed comprahensiuam cognitionem potentiæ, & cuiuscumq; debentis ordinem, ad aliquod obiectum extrinsecum requiritur cognoscere adæquatum obiectum, vel terminum ad quem extenditur, Ergò ad comprahensionem omni potentiæ, misericordię, & iustitiæ Dei, quę requiritur ad comprahensionem ipsius Dei, necessarium est, cognoscere omnes creaturas possibiles, tamquàm terminũ adęquatum horum attributorum, & per Consequens, si Deus compręhensiuè nequit cognosci, nisi cognoscantur omnes creaturę possibiles, & Verbum necessario, & per se primò, quantùm ad suam substãtialem generationem, & proprietatem personalem, debet procedere

ex compræhensiua cognitione necessariò, & per se primò quantum ad suam substantialem generationem, & proprietatem personalem debet procedere ex cognitione omnium creaturarum possibilium. Idem argumentum fit de Idæis, sine quorum distincta cognitione Deus, nequit compræhendi: illę autem non possuit distinctè cognosci, sine cognitione creaturarum, in ordine ad quas distinguuntur.

Tertiò, Verbum diuinum ex vi suę processionis substantialis, & vt per illam constituitur in sua proprietate personali, & substantiali procedit per se primò infinitè perfectum, Ergò, vt sic, ex vi suę processionis procedit ex cognitione omnium creaturarum possibilium. Antecedens supponitur: quia, vt sic, procedit verè Filius Dei, Deus de Deo, eiusdem substantię, & perfectionis cum Patre. Consequentia probatur: quia, si vt sic, non procederet ex cognitione omnium creaturarum possibilium, non esset infinitè perfectum: Nàm perfectius est Verbum, vt repræsentatiuum omnium, quę sunt in Deo formalitèr, & eminentèr idest essentiæ, & creaturarum, quàm si sit repræsentatiuum solius essentiæ, & eorum, quæ sunt formalitèr in Deo, sed, si in primò instanti, vt substantialitèr generatur in esse Filij, non per se procedit ex cognitione omnium creaturarum possibilium, non per se repræsentās eas: quia tunc tantùm repræsentabit ea, ex quorum cognitione procedit, scilicèt essentiam, & ea, quæ in illa formalitèr continentur: quia non procedit, tunc ex cognitione creaturarum in esse substantiali, Ergò tunc, ex vi suæ substantialis generationis, & per se primò, non erit infinitè perfectum.

Quartò, in illo primò signo rationis, in quo substantialitèr generatur Verbum, in sua proprietate personali, & procedit ex cognitione diuinæ essentiæ communicatur ei perfectè essentia diuina cum omni perfectione, quam habet Pater, sed in Patre tunc essentia, habet perfectionem repræsentandi se ipsa, & omnia intelligibilia etiàm creaturas possibiles, Ergò tunc in illo primo signo communicatur Verbo illa essentia, cum tali perfectione, & per Consequens tunc Verbo, ex vi talis processionis, conueniet repræsentare omnia possibilia, & ideò procedere ex cognitione omnium eorum. Mai. patet: quia in illo primo signo, in quo Pater generat Verbum, generat Filium, sibi consubstantialem, & per omnia æqualem, (aliàs non ex vi suæ generationis substantialis esset Deus) datque ei omnem perfectionem, quam habet iuxta illud Ioan. 11. omnia tradita sunt mihi à Patre meo, idest generando dedit Pater, totam suam perfectionem, vt explicat Aug. 3. circa Maxim. cap. 12, sed ad hoc requiritur communicare illi essentia,

cum omni perfectione, quam ipse habet: esset enim essentialitèr imperfectior Patre, si essentia, tunc ei communicata, non haberet omnē perfectionem, quam habet in Patre, Ergò.

Min. probatur: Nàm tunc Pater, esset perfectus Deus, & compræhensiuus sui, quòd est essentiale, & absolutum, ac subinde præsuppositum notionalibus, vt diximus Quæst. præced.

Consequentia verò quoad duas priores partes patet, & quoad tertiam probatur: Nàm ostensum est, Verbum ex vi suæ substantialis generationis repræsentare per se, ea solùm, ex quorum procedit cognitione.

Secunda pars Conclusionis de entibus rationis, & impossibilibus est D. Tho. ad 5. quia Verbum Dei, procedit ex cognitione omnium, quæ sunt in compræhensiua scientia Dei, vt habet Aug. 15. de Trin. cap. 14. in illa autem, sunt entia rationis, & impossibilia, vt ostendit suprà Quæst. 14. Art. 9. & 10.

Ex prædictis sequitur falsam esse 2. sententiam Ferrar. Nàm cum Verbum non generetur in diuinis propter indigentiam, sed propter fœcunditatem, supponitur perfecta cognitio, essentialis in essentia, & patre ante illius generationem, vt dixi Quæst. 27. Art. 2. dub. 2. Conclusione 5. & ideo ad illius productionem, supponitur cognitio creaturarum possibilium, ex qua potuit procedere.

Dico quartò. Verbum diuinum necessariò dicit respectum ad creaturam ratione essentiæ, vt rationis formalis, & ratione proprietatis personalis, vt conditionis.

PRima huius Conclusionis Pars negatur à Gabr. in 1. d. 27. Quæst. 2. Art. 3. dub. 1. & videtur negari à D. Tho. in 1. d. 27. Quæst. 2. Art. 3. vbi docet, Verbum, non semper importare respectum ad creaturas, quia scilicèt Verbum sumitur, vt consequitur cognitionem Patris, aut essentiæ secundum se, aliquando verò, vt importat talem respectum, quando scilicèt Verbum sumitur, vt consequitur cognitionē essentiæ, quatenus est exemplar, & similitudo creaturum.

Sed nostra Conclusio est D. August. 15. de Trin. Cap. 14. debentis Verbum esse de omnibus, quæ sunt in scientia Dei, sed in scientia Dei sunt creatura, vt obiecta, Ergò etiam Verbum dicit respectū ad illas, vt ad obiectum. Est etiam D. Th. ad 1. & in 1. ad Anibal. d. 2. Quæst. 1. ad 4. & de Veritate Quæst. 4. Art. 5. Probatur primò; Verbū necessariò

ſariò dicit reſpectum ad id, quod manifeſtat, & ex cuius cognitione procedit, ſed Verbum diuinum neceſſariò, & per ſe, procedit ex cognitione creaturarum, vt dictum eſt, & Conſequentèr manifeſtat illas, Ergò neceſſariò, & per ſe, dicit reſpectum ad illas.

Secundò probatur. Verbum diuinum neceſſariò includit eſſentiam per modum ſcientiæ, vel ſapientiæ: quia communicatur per intellectum, ſed in ratione ſapientiæ diuinæ, quæ eſt infinita, & extenditur ad creatas, neceſſariò includitur reſpectus ad illas, Ergò etiam in ratione Verbi: quia Verbum includit eſſentiam communicatam per modum intellectualem, & per Conſequens per modum ſapientiæ.

Tertiò: Quia ſcientia Dei non tantùm eſt ſpeculatiua reſpectu Dei, ſed practica reſpectu creaturarum omnium, vt docet D. Thom. ſuprà Quæſt. 14. Art. 16. & etiam Verbum Dei, quod eſt adæquatum ſcientiæ eius, eſt practicum reſpectu creaturarum, Ergò neceſſariò dicit reſpectum ad creaturas. Conſequentia patet: quia ars, vel forma practica reſpectum dicit ad id reſpectu cuius eſt practica. Antecedens verò eſt D. Th. hic aſſerentis, quod Verbum eſt expræſſiuum, & factiuum creaturarum iuxtà illud Ioann. 1. Omnia per ipſum facta ſunt, & pſal. 32. Dixit, & facta ſunt: quia priuſquam Verbum ea faceret, erat factiuum illorum: Nàm, vt oſtendit Aug. lib. 83. Quæſtionum Quæſt. 63. Verbum ſignificat operatiuam potentiam Patris, qua cuncta poſſunt fieri, & lib. de Trin. ait, quod Verbum eſt ars plena omnium rationum viuentium: quia ſcilicèt illud eſt exemplar omnium, licèt ſecundarium: Nàm eſſentia eſt primarium exemplar, & quia exemplar dicit reſpectum ad exemplatum, neceſsariò Verbum dicit ordinem ad creaturas. Vidè dicta Quæſt. 27. Art. 2. dub. 2. Concluſione vltima.

Teſtimonium D. Th. in contrarium explicat Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 13. poſſe intelligi, quòd non dicat reſpectum ad creaturas per ſe primò, ſed veluti ſecundariò, ideſt, Conſequentèr: quia per ſe primò reſpicit ipſum Deum, ſicut, & ſcientia Dei, quo modo ſe videtur exponere D. Th. Quæſt. 4. & Veritate Art. 4. Capræolus verò in 1. d. 27. Quæſt. 2. Concluſione 5. in fine tenet D. Th. hic retractaſse ſuam ſententiam. Sed intelligentia D. Th. patet ex eius contex. Nàm in 1. ſolùm intendit, quòd, ſi Verbum Dei conſideretur, ſecundum incompletam, & non integram rationem, ſcilicèt vt tantùm reſultat cognitione ſecundum ea, quæ nullum ordinem ad creaturas dicunt, & vt reſpectu illius tantùm eſt ſpeculatiuum non dicit reſpectum ad eas. Si verò conſideretur ſecundum ſuam integram rationem, & repræſentationem,

tionem, vt procedit ex cognitione Dei comprǽhensiua, quæ attingit omnia, quæ sunt in Deo formalitèr, & eminentèr; & vt est etiam practicum respectu eorum, quæ eminentèr relucent in Deo, vt sic, dicit respectum ad creaturas, & hoc intendit hic.

Secunda pars Conclusionis non ab omnibus admittitur: Nàm Aureol. in 1. d. 27. vult, Verbum solùm dicere respectum ad creaturas ratione proprietatis personalis: Nàm, si illũ diceret ratione essentiæ, talis respectus conueniret omnibus, sicut, & cętera, quæ conueniunt ratione solius essentiæ, & ità Pater, & Spiritus Sanctus, dicerent huiusmodi respectum. Capræol. autèm, vbi suprà ad Argumenta contra 5. Conclusionem, & Caiet. hic docent, quòd licèt Verbum secundum suam rationem, dicat respectum ad creaturas: quia scilicèt dicit illum ratione essentiæ, quàm intrinsicè includit, non tamèn dicit illum ratione proprietatis personalis, sed ratione solius essentiæ. D. Th. autèm, Cai. hic, Capræol. vbi suprà Scot. in 1. dist. 27. Quæst. 3. docent, quod ratione essentiæ, dicit Verbum talem respectum. Et hoc verùm est.

Primò: Nàm includit essentiam, vt sapientiam, & artem Idæam, & exemplar omnium creaturarum, sed sapientia diuina secundum omnes has rationes includit respectum necessarium ad creaturas, Ergò Verbum, quod includit illam, vt sic, ratione illius dicit eiusmodi respectum.

Secundò, Proprietas personalis Verbi solùm est relatio ad Patrem, & dicentem, Ergò ratione illius, vt rationis formalis, non dicit respectum ad creaturas, & ideò, si dicit talem respectum, debet illum dicere ratione essentiæ; tamquam proptèr fundamentum, vel rationem formalem, propterquam conuenit ei, Quod verò conueniat Verbo respectus iste, propter proprietatem personalem, vt conditionem, patet ex dictis suprà Quæst. 27. Art, 1. dub. 2. Conclusione vltima: Nàm ratione illius habet Verbum, quod cõmunicetur ei essentia per modum intellectualem infinitum, Ergò quod communicetur ei, vt sapientia, & ars, & exemplar omnium: Nàm hæc conueniunt infinitati intellectualitatis diuinæ communicatæ Verbo per suam generationem, Ergò, licèt ipsa generatio, vel relatio ad Patrem, vt sic, non sit ratio formalis, propterquam dicat huiusmodi respectum, est tamèn conditio ratione cuius communicetur ei essentia, vt sapientia, & ars propter, quod conuenit ei dicere prædictum respectum, & per Consequens erit conditio requisita, vt conueniat ei talis respectus.

Hinc sequitur quod, licèt dicere respectum ad creaturas etiam ma-

nifestatiui

nifestatiui earum sit cômune omnibus personis; tamèn dicere illum, vt communicatum, ex vi processionis formalis, est proprium Verbo.

Primum patet: Nàm, quia persona est rationalis naturæ indiuidua substantia, quęlibet persona diuina connotat in obliquo naturam diuinam, quę est intellectio infinita, & compręhensiua Dei, in qua necessariò includitur respectus manifestatiui Idæe, & artis, vel exemplaris creaturæ, & ideò necessariò multum remote, & in obliquo dicunt huius enim respectum. ità D.Th. hic ad 1. & ratione probatur: Nàm idem est Pater, quod Deus generans, & Spiritus Sanctus, idem est quod Deus spiratus, sed in ratione Dei, quę est eius intellectio includitur hic respectus, Ergò quælibet persona quatenus includit Deitatem includit talem respectum, vndè Aug. 15. de Trin. Cap. 14. ait, quod Pater omnia nouit in se: quia scilicèt in se habet essentiam, quæ dicit respectum exemplaris in quo possunt creaturæ cognosci.

Secundum etiam probatur: quia nulli alteri personæ communicatur essentia, vt sapientia, & exemplar creaturarum ex vi suæ processionis: quia Patri, non communicatur essentia ab aliquo, Spiritu Sancto verò communicatur per modum amoris, & non per modum intellectionis, Ergò dicere huiusmodi respectum manifestatiui creaturarum, saltim secundarij ex vi suæ processionis est proprium Verbo.

Et hoc patet solutio ad Argumentum Aureoli: Nàm, licèt Pater, & Spiritus Sactus ratione essentiæ dicant respectum manifestantis creaturas tamèn, id non habent ratione suarum proprietatum, vt conditionum, & ideò, ità dicere respectum ad creaturas est. Verbo propriũ, vel est proprium illi ex vi suæ processionis esse secundarium exemplar manifestatiuum earum, vt explicui Quæst. 27. vbi suprà. Si autèm loquamur de respectu ad creaturas, vt amatas, sic ille importatur nomine proprio Spiritus Sancti, quòd est amor, & si importetur respectus ad creaturas, tamquam ad id, cui aliquid donatur, sic ille respectus importatur nomine doni, vt explicat D.Th. infrà Quæst. 36. Art. 2. ad 3. & Quæst. 38. Art. 1. ad 4. nequè ex hoc sequitur hæc nomina, cum respiciant creaturas esse essentialia: quia non important talem ordinem principalitèr, sed secundariò, & solùm, quæ principalitèr illum important dicuntur essentialitèr: quia, vt aliquod nomen importet respectum ad creaturas, satis est si includat essentiale, ratione cuius illum importat. Ambæ solutiones sunt D.Th. locis citatis.

Ad primum, Ergò Respondeo, quòd ille locus debet sic legi. Clarifica me Pater claritate, quam habui apud te, priusquam mundus fieret. Ita Aug. tract. 105. in Ioa. & Cyri. lib. 11. in Ioan. cap. 17. vel intel-

ligatur

tis rationis formalis,cognoſcitur Dei eſsentia, quàm creaturæ; Concedo Mai. Prius in aliquo inſtanti rationis ità,quòd ſic prius attingat eſsentiam,quàm creaturas, vt in illo inſtanti rationis, ſit potens producere Verbum eſsentiæ,& non creaturæ. Nego Ma.Sicut enim,quãdo nos intelligimus hominem, attingimus prius naturę ens, quàm hominem,ideſt prius ordinem cauſalitatis,& rationis formalis: quia cognoſcimus hominem ſub ratione entis,non tamen ità, quòd in aliquo ſigno rationis ità attingamus ens, quòd formemus per illam cognitionem, Verbum entis,& non hominis. ità ſimilitèr intellectus diuinus attingit ſuam eſsẽtiam, prius prioritate rationis formalis obiectiuè,quàm creaturas,non tamèn prius ità, quòd in aliquo ſigno, ſit verùm dicere,quòd attingit eſsentiam, & non creaturas, ità, quod poſſit formare Verbum eſsentiæ, & non creaturarum. In quo ſenſu falſa eſt minor.

Ad primam probationem diſt.mi. obiectum primarium,& formale cognoſcitur prius prioritate cauſalitatis formalis: quia ratione illius attingitur ſecundarium. Concedo. attingitur prius in aliquo ſigno rationis,in quo non attingatur ſecundarium, & in quo poſſit formari Verbum primarij, & non ſecundarij Nego Mi.

Ad ſecundam probationem. Reſpondeo eodem modo, quòd obiectum motiuum, vel quaſi motiuum mouet, & cognoſcitur prius,quã non motiuum prioritate prædictæ rationis formalis, non verò ſemper talem prioritate rationis, vt intellectus intelligat illud, & non aliud,& poſſit formare Verbum illius,& non alterius: hoc autem verificatur,quandò in obiecto ipſo formali,& primario compręhenſiuè cognito intrinſecè clauditur obiectum ſecundarium, & ità contingit hic: Nàm in eſſentia compræhenſiuè cognita, neceſſariò clauditur ordo ad omnes creaturas, imò continetur formalitèr perfectio ipſarum,quoad omnia,quæ habent perfectionis: quia aliàs,ipſa non eſſet formalitèr infinita,vt probaui,& ità nequit eſſentia,quæ eſt obiectum primarium cognoſci, ſine ſecundario,& creaturis.

Ad tertiam probationem, dicendum eſt, ex doctrina. Cai. infrà Quæſt. 56. Art. 3. quòd duplex eſt ſimilitudo,quæ repræſentat, vt cognita. Altera,quæ repræſentat, vt cognita tantùm,ſicut imago exterior, Altera,quæ repræſentat eſſentialitèr, vt cognita,& vt ratio cognoſcendi alterum,vt Verbum noſtrum, quod eodem actu cognoſcitur, & eſt ratio cognoſcendi rem repræſentatam. Prima ſimilitudo debet prius cognoſci, quàm repræſentet. Secunda verò non neceſſariò cognoſcitur priuſquàm repræſentat: Nàm eodem actu cognoſcitur

tur

tur Verbum, & res per illud significata, & quia essentia diuina habet necessariò repræsentare Deo, vt similitudo cognita, & simul etiàm vt ratio formalis cognoscendi creaturas, ideò non prius cognoscitur, quàm repræsentet eas, sed simul eodem actu, & cognoscitur illa, & creaturæ repræsentatæ in illa.

Dixi, quòd est illi essentiale simul, & eodem actu repræsentare Deo, vt similitudinem cognitam, & vt rationem formalem cógnoscẽdi creaturas: quia est illi essentiale habere vtriusque rationem, respectu intellectionis diuinæ, quæ non est nisi vna, sed respectu vnius indiuisibilis cognitionis, nequit habere ambas rationes, nisi habeat eas simul, Ergò.

Ad tertiam Ergò probationem antecedentis, dist. Mai. Repræsentat creaturas, vt similitudo cognita tantùm, Nego Mai. vt similitudo cognita, & etiàm simul ratio cognoscendi creaturas, Concedo Mai. & de hac Nego Min. quòd possit cognosci in se, priusquàm alia repræsentet.

Ad primam Confirmationem. Nego Antecedens. Ad probationẽ Respondeo, quòd aliud est loqui de creaturis ipsis secundùm se, & aliud de respectibus diuinæ esśetiæ ad illas: vel enim creaturæ secũdũ suas entitates sunt extrinsecæ Deo: tamèn respectus ad illas, vt producibiles, clauditur in attributis essentialibus Dei, vel in ipsa essentia, si ipsa est cognitio compræhensiua Dei, & quia attributa essentialia, vel ipsa essentia competunt prius Deo, quàm relationes, quæ nunc clauduntur in essentia, vt prædicata essentialia, sed vt modi illius, & modo concipiendi sunt posteriores ipsa essentia, constituta in sua intrinseca ratione, ideò cognitio diuina, quæ est ipsa Dei essentia immediatiorẽ habitudinem habet ad respectus, quos dicit ad creaturas, vt cognitas sub ratione possibilis, quàm ad Verbum, vt productum: aliàs enim prius etiàm esset productus Spiritus Sanctus, quàm creaturæ cognoscerentur, vt possibiles: quia etiàm Spiritus Sanctus, maiorem conexionem habet, cum essentia, quàm creaturæ. Cęterum, quia non habet maiorem connexionem, quàm respectus ad creaturas, vt cognitas sub ratione possibilis, vel fundamentum illius respectus, scilicèt ipsa attributa essentialia, vel ipsa essentia, quæ nequit compręhẽsiuè cognosci, sine cognitione talis respecti', & termini ejus, ideò non est prior productio Spiritus Sancti, quàm cognitio creaturarum possibilium.

Ad secundam Confirmationem nego Min. Ad primam eius probationem dist. Antecedens, Attingere prius natura, idest, causalitate

rationis formalis, qua attingitur obiectum primarium, vt ratio attingendi secundarium Concedo. Attingere prius, in aliquo signo rationis, in quo non attingatur secundarium, & in quo possit formari Verbum primarij, & non secundarij. Nego Antecedens, hoc enim est nō cognoscere obiectum, vt in se est cognoscibile: Nam numquam datur aliquod signum rationis, in quo ipsum primarium obiectum non contineat secundum se, & sit repræsentatiuum obiecti secundarij, & Consequentèr non datur aliquod signum, in quo sit secundum se cognoscibile, & comptæhensibile, sine secundariò.

Ad secundam probationem, nego Mai. & Min. vtraq: enim est falsa: Mai. quidem: quia vt essentia, nequeat cognosci sine creaturis, nō requiritur, vt habeat cum illis realem connexionem, & ordinem realem ad illas sufficit enim ordo rationis eius, & realis illarum ad ipsum, v.g. scibile, vt sic, non habet realem ordinem, & connexionem, cum scientia, sed tantùm rationis, licèt ex parte scientiæ sit realis, & tamèn vt sic, nequit cognosci sine scientia, similitèr, vt non possit essentia diuina cognosci, sine creaturis, quas repræsentat, non opportet ipsā formalem repræsentationē, (vt dicit relationem) esse realem, & positiuam perfectionem in essentia: Nam certum est, Idæarum distinctionem, sine diuinæ creaturis, quarum sunt Idæ, cognosci non posse, & tamèn Idæas repræsentare creaturas, non dicit relationem realem ex parte ipsarum, neque aliquam positiuam perfectionem earum.

Similitèr Deus, vt actu creans hominem, nequit cognosci sine homine; non: quia realitèr referatur ad illum, vel quia ipse Deus in se habeat realem connexionem, cum illlo, sed quia sine tali reali relatione, & connexione, continet eius perfectionem, & ipse homo realitèr pendet ab illo. Et Cæsar, vt exemplar suæ imaginis, nequit sine illa cognosci, non tamen: quia realitèr referatur ad eam, vel connectatur, cum illa, quasi non posset esse sine ipsa, sed quia imago realitèr pendēs à Cæsare, habet formam, cui imago assimilatur, & quæ est fundamentum relationis rationis, quàm dicit ad ipsam.

Ad probationem Mai. Nego Antecedens, licèt enim, vt aliquid compræhensiue non cognoscatur, sine alio in creaturis, postularet realem habitudinem, non tamen illa postulat in Deo, quia propter suam eminentiam ad nihil ex se ordinatur realiter, sed satis est, quòd in Deo dicat fundamentum.

Circa Min. illius secundæ probationis, & eius probationes suppono falsum esse quantùm ad illud, quod ait, essentiam diuinam esse omninò absolutum, sicut enim ad perfectionem eius, (vt dixi Quæst. 28.)

pertinet,

pertinet, vt in quadam eminentiori ratione contineat rationem absoluti, & relatiui, loquendo de relatiuo secundum esse, Ità ad eius eminentiam pertinet, vt virtualitèr contineat in vna ratione superiori, rationem absoluti; & relatiui secundum esse, & secundum dici, ità vt sicut in creaturis, damus formalitèr has distinctas rationes, ità damus illas distinctas in Deo, non omnes formalitèr, sed relationem secundum dici virtualiter seclusis imperfectionibus: quia illa formalis habitudo, & dependentia, & ordinatio ad aliquid extrinsecum, vt ad obiectum, vel causam, dicit aliquam imperfectionem, quæ in Deo, nequit reperiri, hoc tamèn non tollit, quòd seclusa hac imperfectione Dei omnipotentia v.g. respiciat omne possibile, & vt ait D. Th. de Potentia Quæst. 1. Art. 7. & 2. contra Gent. Cap. 10. comparatur, & refertur ad obiectum, non, vt ad id, à quo habet esse, nec per realem habitudinem, sed per eminentialem quamdam continentiam omniũ possibilium, quæ non dicit relationem, vel habitudinem realem ad illam, & ità, cum essentia diuina dicat hanc habitudinem eminentèr, nec est omninò absoluta, nec potest compræhendi sine tali termino: quia ad hoc satis est, vt dicat habitudinem eminentèr.

Notandum est secundò circa aliud, quod continet illa Min. quòd scilicèt magis necessarium est Deum esse, quo ad omnes perfectiones sibi intrinsecas, quàm creaturas esse possibiles Suar. 9. de Trin. Cap. 6. num. 18. & 19. asserere, illã absolutè esse falsam: putat enim tàm necessarium esse creaturas esse possibiles, quàm Deum esse quoad omnia, sibi intrinseca. Ratio eius est: quia, vel creaturæ habent istam possibilitatem ex Dei omnipotentia, & Idæis, vel quasi ex se, sine dependentia à Deo, Si primo modo, nõ minus necessariò sunt possibiles, quàm sit necessarium Deum esse Deum, vel Verbum produci: quia nõ minus necessariò Deus habet omnipotentiam, & Idæas, quã sit Deus, vel producatur Verbum, sed creaturæ sunt possibiles per denominationem extrinsecam: quia Deus est omnipotens, & habet Idæas, Ergò non minus necessariò sunt possibiles, quàm Deus sit Deus, & quàm Verbum producatur.

Si verò dicantur possibiles secundo modo: quia sine dependentia à Deo, habent enim repugnantiam, & sic, non est magis necessarium Deum esse, quàm creaturas esse possibiles: quia tota necessitas Dei, est necessitas independentiæ, & creaturæ quantùm ad suam possibilitatem, etiam à nullo dependent, Ergò æque necessarium est vtrumque,

Alij verò dicunt, quod licèt non sit æquè necessarium vtrumq; ab intrinseco, quod dilationem tamèn sic: Nàm ex positione Dei neces-

sariò

sariò sequitur, à priori creaturas esse possibiles, & ex possibilitate creaturarum necessariò sequitur à posteriori, Deum esse: quia si creaturæ sunt possibiles, debet esse omnipotentia Dei productiua illarum, & si Deus est, debet habere omnipotentiam earum productiuam, & omnes istæ Consequentiæ sunt per locum ab intrinseco: quia nec Deus sine omnipotentia tribuente creaturis possibilitatem, nec possibilitas est creaturarum, sine omnipotentia Dei productiua earum.

Nota primò. Sed isti modi dicendi, quoad aliquid deficiunt; Pro quo nota ex D. Th. infrà Quæst.46. Art.1. ad 1. possibilitatem creaturarum sumi, & ex Dei omnipotentia productiua earum, & etiam ex habitudine terminorum, qui sibi non repugnant. Illa particula etiam insinuant, quod ad stabiliendam perfectam, & completam possibilitatem creaturarum, requiruntur duo, scilicèt & habitudo intrinseca earum ad esse, & extrinseca Dei omnipotentia, & quolibet istorum deficiente, nulla res dicetur possibilis, sicut nulla res dicetur cognoscibilis, appetibilis, scibilis, aut sensibilis, defficiente potentia, quæ illam cognoscat, appetat, sciat, vel sentiat, & entitate in ipsis participata, vel bonitate, siuè obiecto imminente speciem, & potente habere causas à priori, ratione quarum terminent actus ipsos, vndè, licèt sit omnipotentia Dei, si alicui rei repugnat esse, vt Chimeræ, illa non dicetur possibilis, & si econtra alicui rei non repugnaret esse, & tamèn posset esse potentia, potens illud esse tribuere, non diceretur possibilis, quare quandò D. Tho. infrà Quæst. 5. de Potentià Art.3. ait aliquid dici possibile tantùm per potentiam facientis, non excludit habitudinem terminorum inter se, sed potentiam passiuam materiæ, & solùm intendit, quòd licèt nulla detur in re, potentia realis passiua materię, per quàm possit produci, sufficit potentia actiua Dei, per quàm sit possibilis.

Nota secundò, quòd quandò aliqua denominantur talia per ordinem ad aliquod extrinsecum, si tamèn supponant aliquod intrinsecū fundamentum, ratione cuius respiciant illud extrinsecum, vel denominentur ab illo, non æqualitèr participant illam denominationem, si fundamentum non sit æquale, etiam si extrinsecum sit, vnum, & idem patet hoc exemplis. Ab eadem sanitate Animalis denominantur medicinæ sanę, & tamèn: quia vt dicantur sanę, requiritur, vt habeant virtutem causatiuam sanitatis, si hanc virtutem habent inęqualem, ipsæ dicuntur inęqualitèr sanę, Ab eadem etiam bonitate, vel intellectu dicuntur res appetibiles, vel cognoscibiles, & tamèn non æqualitèr, nisi habeant æqualem bonitatem, vel entitatem intrinsecam, ratio-

ne cuius æqualitèr respiciantur à potentia.

Notādum est tertiò; Habitudinem rerum ad aliquod esse æqualem magis enim intrinseca est habitudo hominis ad esse risibilem, quàm ad esse architectum, cum prouęniat à causis magis intrinsecis, & minus impedibilibus, & magis intrinseca est habitudo Dei ad suum esse quàm creaturarum ad suum: quia illa clauditur essentialitèr in quidditate Dei, non verò ista.

Ex quo Arguitur contra primum modum dicendi, Magis intrinseca, necessaria, & essētialis est habitudo Dei ad suum esse, quàm creaturas esse possibiles. Consequentia patet: quia ex tali habitudine ad esse magis, vel minus necessaria, pensanda est maior, vel minor necessitas horum, quod est Deum esse, & creaturas esse possibiles.

Confirmatur: Nàm non repugnantia, quæ est in hoc, quòd creaturæ sint possibiles fundatur in aliquo positiuo, sicut quælibet negatio competens rei, & non magis necessarium est, negationem aliquam conuenire alicui, quàm sit necessarium conuenire ei positiuum, ratione cuius conuenit ei illa negatio, vt non est magis necessarium hominem non esse irrationalem, quàm sit necessarium hominem esse rationalem, ratione cuius conuenit ei negatio irrationalitatis, Ergò si habitudo ad esse in Deo est magis necessaria, & intrinseca, quàm in creaturis, magis necessarium erit Deum esse, quàm creaturas esse possibiles.

Circa secundum modum dicendi Arguitur: Nàm necessitas illationis, & Consequentiæ rationalis, fundatur in necessaria Antecedentis, cum Consequenti, Ergò, si non est æqui necessarium in se creaturas esse possibiles, atq; Deum esse, non erit æquè necessarium, quoad illationem, & propterea, quandò Arguitur Deus est, vel habet omnipotentiam, Ergò creaturæ sunt possibiles. Antecedens poterit esse magis necessarium, quàm Consequens, neq; ex hoc sequitur posse esse Deum, quin creatæ sint possibiles, aut in illa Consequentia posset dari Antecedens verum, & Consequentia falsa: Nàm magis necessariū est hominem esse rationalem, quàm risibilem: quia relatione conuenit ei in primo modo, & est causa, quòd sit risibilis; risibile verò conuenit in secundo modo, & tamèn multi docent, etiam per potentiam Dei absolutam, nō posse esse hominem, quin sit risibilis, & non potest dari Antecedens verum, sine Consequenti.

Ad probationem pro secunda parte Min. Nego Consequentiam; quia non cognoscere hos respectus prouenit ex defectu perfectione cognitionis essentiæ; Nàm, si illa cognosceretur, vt est cognoscibilis, cognosceretur,

gnoſceretur, vt immitabilis à pluribus creaturis, & vt exemplar excedens continens formalitèr, vel eminentèr proprias earum perfectiones: Iſto autèm modo cognoſci nequit, niſi cognito ordine, quem dicit ad creaturas, licèt ille nullam in Deo ponat perfectionem. Exemplum huius eſt: Nàm eſse ingenitum, vt ſic, vt dicit priuationem, & Spiritum, non eſse principium, imò, & relationes diuinæ, vt dicunt AD. non dicunt aliquam perfectionem, & tamèn eſsentia, nequit cõpræhenſiuè cognoſci, imò neq; videri, niſi iſta cognoſcantur; Non Ergò ex perfectione, quàm iſta obiecta ſuperaddunt, prouenit, vt non poſſint non cognoſci, ſi eſsentia compræhenſiuè cognoſcitur, & idem erit de talibus reſpectibus, licèt nullam addant perfectionem eſsentiæ.

Ad tertiam probationem, Reſpondeo notando, quòd ratio intuitiuæ viſionis creaturarum, vt ſic non ſuperaddit aliquam perfectionem ſuper rationem ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ: quia aliàs poſſet Deo aliqua perfectio realis de eſse, ſcilicèt illa ratio viſionis intuitiuæ creaturarum, quàm potuiſset non habere, ſi voluiſset non creare mundũ, ſed ſolùm ſuper ſcientiam ſimplicis intelligentiæ addit quemdam reſpectum ad res, vt exiſtentes, ità, quòd idem prorſus obiectum eamdẽ exiſtentiam, & eumdem modum eius, ſcilicèt eſse ſub actuali exercitio cognoſcitur per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, & per ſcientiam viſionis, ſed per illam cognoſcitur per modum cuiuſdam veri intelligibilis, vt abſtrahit ab omnibus ſingularibus conditionibus, per hanc verò, vt exercet actum exiſtentiæ, cùm conditionibus ſingularibus, & vt ſic, attingatur, nihil aliud requiritur per ſcientiam viſionis, niſi exiſtentia obiecti: illa enim poſita in æternitate ſcientia, quæ erat ſimplicis intelligentiæ reſpectu illius obiecti fit intuitiua illius.

Hoc ſuppoſito.

AD tertiam probationem. Nego Conſequentiam. Ad eius probationem diſt. Conſequens, ſi non intuitiuè cognoſceret creaturas, vel non cognoſceret futura conditionata, non ſe compræhenderet ex defectu eius, quòd ſuper addit prædicta cognitio intuitiua, vel conditionata, nego Antecedens. Non ſe cognoſceret compræhenſiuè propter defectum, quem ſupponeret in ſcientia ſimplicis intelligentiæ; Concedo: Nàm, vt dictum eſt, non illam intueri prouenit ex hoc, quod ſcientia ſimplicis intelligentiæ non ſe extenderet ad illa obiecta. Verbum autèm diuinum, debet procedere ex cognitione

compræhensiua, quantùm ad illa, quæ per se requiruntur ad talem compræhensionem, non quantùm ad illa, quæ requiruntur non per se, sed supposita voluntate Dei libera, & non nisi ratione eius, quòd postulat scientia simplicis intelligentię.

Ad tertium principale, Nego Antecedens: Nàm, si creaturæ non essent possibiles, & esset Deo infinitas omnimoda entitatis omnipotentiæ, & esse exemplar eminentissimum omnis creaturæ immitabile ab illa, & esse communicatiuum sui, & summum bonum eo modo, quo nunc est, si autem hæc deficiant Deo, non erit idem Deus infinitus, sicut modo, & Consequentèr non produceret Verbum, sicut modo, similitèr si creaturæ non esent possibiles scientia Dei, non esset practica, & Verbum non esset ars, & ideò, nec scientia eset eiusdem rationis, nequè etiam Verbum, nequè esset omninò perfectum, & hoc tantùm voluit dicere Caiet. quòd, si creaturæ non cognoscerentur, produceretur quidem Verbum, non tamèn, quòd produceretur eiusdem perfectionis, sicut modo.

Ad probationem Antecedentis dist. Min. non indiget aliqua creatura, vt actu existente, vel non indiget, tamquam, qui ex possibilitate extrinseca creaturarum, sumat perfectionem Concedo. Ideò enim de illo dicitur Psalm. 15. Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non indiget possibilitate creaturarum, idest, ex sua infinitate, & omnipotentia, non infert possibilitatem creaturarum, vt dictum est, Nego Antecedens.

Ad probationem Min. Respondeo, quòd si aliqua creatura, quæ ex habitudinem terminorum eset possibilis Deo, non esset possibilis, & continentia perfectionis illius, & virtus productiua eius, & ratio scientiæ practicæ, respectu illius non esset Deus, infinitus, sicut modo si quidem modo formalitèr habet has perfectiones, & tunc non haberet, Non Ergò haberet tantam perfectionem, sicut modo, nec posset tunc omne, quòd non implicat contradictionem, nec sciret omne verùm: quia eius omnipotentia, vel scientia etiam extenditur ad id, quod absolutè, & sine suppositione, est scibile, vel factibile, & non tantùm ad id, quòd ex tali suppositione esset scibile, vel factibile, & quia plures perfectiones sunt absolutè, & sine aliqua suppositione scibiles, vel factibiles: quia tunc esent facta illa suppositione, & Deus modò continet omnes illas, quas non contineret ex Hypotesi, ideò maiorem perfectionem habet modò, quàm haberet tùnc, & ità tùnc non eset infinitus. Nequè ex hoc sequitur, (vt dictum est) quòd eius infinita bonitas dependeat ex possibilitate

crea-


creaturarum, sed tantùm sequitur, quod inferat illam.

Ad quartum. Nego Sequellam; Nàm dictum est, quòd vt Verbum sit imago alicuius obiecti, requiritur, vt procedat ab eo in esse intelligibili, mediante specie distincta à Verbo, quòd non habent creaturæ: quia species, qua repræsentantur, & quæ est productiua Verbi, vt quo est ipsa essentia, quæ non distinguitur realitèr à Verbo.

Ad Confirmationem, patet ex hac doctrina: tunc enim obiecta cògnita sunt principium Verbi, quandò cognoscuntur per speciem à Verbo distinctam. Hoc autèm hic non contingit.

Ad quintum dist. Consequens. Importat respectus ad creaturas ex vi suæ processionis, tāquàm illa sit ratio formalis, & fundamentum talis respectus. Nego Sequellam, Tamquàm illa sit cōditio, vt importet talem respectum. Concedo Sequellam, & Nego Min. Et ad probationem Respondeo, quòd Verbum ratione suę proprietatis Personalis, vt rationis formalis referendi solùm respicit Patrem: vt verò est conditio, quare essentia diuina communicetur, vt exemplar, & scientia creaturarum, etiàm vt sic, est conditio requisita ad hoc, quòd importet talem respectum.

Explicit Quæstio 34.



QVÆSTIO XXXV.

DE IMAGINE.

ARTICVLVS PRIMVS.

An imago in diuinis dicatur personaliter.

Conclusio est affirmatiua.

DVBITATVR.

An ista Conclusio, & doctrina articuli sit vera.



IDETVR, quod non. Primo, quia esse imaginem conuenit toti Trinitati: Nàm Gene. 1. & 9. dicitur Homo factus est, ad imaginem, & similitudinem Dei, quod idē reperitur sap. 2. & 17. vbi constat imaginē dici de hoc Deo, & de tota Trinitate, Ergò.

Confirmatur primo. Nàm si in istis locis imago sumeretur personalitèr, non dixisset Pater Filio, ad imaginem nostram, sed tuā.

Confirmatur secundò: quia homo dicitur factus ad imaginem Dei secundum animam, & libertatem, sed secundùm hæc similis est toti Trinitati, non Filio secundum propriam Filij, Ergò.

Secundò: Nàm Aug. de fide ad Petrum cap. 1. & in imperfecto de Genesi ad litteram cap. 16. & vltimo Chrisosto. ser. contrà Anomeos Hylar. lib. 4. & 5. de Trinit. circa medium concedunt, Dei vnam esse imaginem communem tribus Personis, quam imitatur homo, & ratio est, Quia teste Cyri. 5. de Trin. circa principium, exemplar & imago idem sunt, sed esse exemplar creaturarum, est essentiale Deo, Ergò, & esse imaginem.

Confirmatur: Nàm esse imaginem in humanis, non est relatiuum,

Ergò,

Ergò nequè in diuinis. Antecedens patet: quia ponitur in prædicamento qualitatis. Consequentia probatur: Nàm diuina sunt proportionabilia humanis, quantum ad esse absolutum, vel relatiuum.

Tertio etiàm probo nō dici propriè imaginē in diuinis Nàm Filius non est propriè imago Patris, Ergò. Antecedens probatur: quia Filius non est similis Patri ratione relationis: quia in relationibus sunt dissimiles. Nequè in natura: quia in illa habent vnitatem non distinctionem requisitam ad similitudinem, vt dixi, Ergò.

Quartò Arguitur, & probatur, quòd de ratione imaginis, non sit esse similitudinem in specie rei, vel in aliquo signo eius, vt dicitur in Ar. Nàm Verbum est imago rei, quàm repræsentat, & tamen non est eiusdem speciei: quia est accidens spirituale res autem repræsentata substantia corporea V.G. homo, vel ens increatum, scilicèt Deus, qui non est eiusdem speciei cum accidenti, nequè habet similitudinem in aliquo signo speciei, scilicèt figura: quia, cum sit spirituale nequit assimilari figuræ corporeæ.

Quintò ꝓbatur, de ratione imaginis nō esse, quòd procedat ab eo, cuius est imago: Nàm Filius est imago Deitatis, & tamèn non est expressa ab illa: aliàs distingueretur realitèr ab illa: distinguitur enim in diuinis id, quòd procedit, exprimitur, vel emanat ab eo, à quo exprimitur, Ergò. Mai. probatur: Nàm in Conc. V. Constantinopolitano in Confessione fidei, dicitur Verbum esse imaginem Deitatis, & Greg. Nicenus in vita Gregorij Taumaturgij, idest miraculorum Patratoris narrans instructionem, quàm accepit ille à Beatissima Virgine, & Ioāne Baptista, inter cætera, ait accepisse, quòd Filius est imago deitatis, Ergò & sap. 7. de sapientia genita, scilicèt Filio, de quo dicitur, quòd est emanatio quædam claritatis Dei, & speculum sine macula, quæ sunt nomina propria Filij, dicitur quòd est imago bonitatis Dei, & ad hæbre. 1. dicitur, quòd est figura, & imago substantiæ Dei, idest essentiæ ità D. Tho. ibi, Ergò.

Sed contra est auctoritas D. Thomæ.

IN hoc dub. Duran. in 1. d. 28. Quæst. vltima propter tertium argumentum tenet in diuinis non dici propriæ imaginem.

Dico primò, sed In diuinis datur propria imago.

HAec Conclusio est communis Theolog. Et probatur. Primò, quia Verba Sacræ scripturæ, sunt accipienda propriè, quando ratio non cogit contrarium, sed nulla cogit sumi impropriè verba, quæ significant imaginationem in diuinis, vt Collos. 1. Qui est imago inuisibilis Dei, & ad Rom. 1. & 2. ad Chor. 4., Ergò.

Secundò; Nàm in diuinis propriè, conuenit Filio, ratio imaginis scilicèt esse similitudinem in natura expressam ab alio, Ergò.

Dico secundò, imago propriè sumpta dicitur in diuinis personalitèr, non essentialitèr.

ITà cum D. Tho. communitèr omnes Scholastici in 1 d. 28. Probatur ratione: quia nomen imaginationis propriè sumptæ, significat similitudinem in natura, vel signo naturæ, expræssam ab alio teste Aug. lib. imperfecto in Genes. Cap. 16. & Quæst. 4. in Deuteronò. & lib. 83. quæstionū Quæst. 74. sed in diuinis solùm est Personale, & non essentiale id, quòd est expræssum, vel productum ab alio, vt potè pertinens ad originem, quæ est propria Personarum, Ergò.

Ad primum Ergò & 2. Respondeo ex D. Tho. in 1. d. 28. Quæst. 2. Art. 1. & Mag. ibi, quòd imago aliquandò sumitur pro exemplari, quo etiàm modo sumitur, ab auctoribus profanis, vt est videre in Thesauro linguæ latinæ, Verbo Imago; Aliquãdo pro similitudine producta ad imitationem exemplaris. Primo modo sumitur large. Secundò propriè, quando Ergò Sacra Scriptura, & Sancti tribuunt rationem imaginis essentiæ diuinæ, non loquuntur de illa propriè; sed largè, sumendo imaginem pro exemplari hic autem sumitur propriè.

Ad Confirmationem secundi, Respondeo, quod proportio inter imaginem creatam, & diuinam debet seruari sine imperfectione diuinę, & quia non posset non dicere imperfectionem esse absolutum, & esse productum, quòd est de ratione imaginis propriæ: quia res absoluta producta ab alio distinguitur ab eo, in natura saltim indiuiduali, vt dixi suprà, ideò imago in diuinis, debet, seruata proportione in cęteris ad imaginem creatam, dici relatiuè. Vide dicta Quæst. 34. Art. 1. ad Confirmationem primi.

Ad tertium. Nego Antecedens pro 2. parte; Nàm ideò dicitur ad

Collos.

Collos. 1. quòd est imago inuisibilis Dei, idest Patris, & ad Hæb. 1. quòd est figura substantiæ eius, idest Personæ Patris.


Ad probationem Respondeo, quòd est similis in natura: quia sunt diuersa realitèr extrema participantia eamdem naturam, quæ est fūdamentum similitudinis, & ad similitudinem, non requiritur distinctio in fundamentis, & forma, in qua fit assimilatis, sed inter extrema, quæ assimilantur vt dixi Quæst. 34. Art. 3. dub. 1. ad 2.

Ad quartum. Vazq. hic disp. 145. Cap. 3. negat, similitudinem in natura, vel signo naturæ, requiri ad rationem imaginis, sed ad illam sufficere, quòd sit aliqua similitudo expræssa ad repręsentandum. Idē insinuat Suar. 9. de Trin. Cap. 8. nu. 4.

Sed contrarium docent D. Thò. Aug. vbi suprà Hyla. lib. de Synodis, circa principium, vbi ait, imaginem esse eius rei, ad quam imaginatur species indifferens idest, vt ait D. Thom. quòd habeat eamdem speciem, vel signum speciei cum eo, quòd imitatur, vndè similitudo alterius in albedino non constituit rationem imaginis eius, scilicèt, si illa immitatio sit expræssa ab illo: quia non est similitudo, neque in natura, neque in signo naturæ.

Ad argumentum Ergò. Distinguo Min. Non est eiusdem speciei ex parte formæ, & naturæ Nego Min. Ex parte modi essendi concedo de quo Quæst. 12. & Quæst. 14. suprà.

Ad quintum. Glosa interlin. sap. 7. ait, quòd dicitur imago bonitatis: quia est repræsentatio illius. Similitèr. Ergò in alijs locis dicendū est, quòd dicitur de ratione imaginis, est esse repræsentatiuam alterius, & expressam ab eo Filius dicitur imago Deitatis, non quantùm ad expræssionem, sed quantùm ad repræsentationem, idest est repręsentatio illius, & ideo non distinguitur realitèr ab illa: Distinguitur enim realitèr imago ab eo, à quo exprimitur, non ab eo, quòd repræsentat: Nàm repræsentat se, & licèt ad Patrem referatur realitèr, vt est genitus ab illo, tamèn sola ratione refertur ad illum, & Spiritum Sanctum, vt est repręsentatiuus eorum. Locum vero ad Hęb. 1. alitèr explicui suprà Quęst. 34. Art. 3. dub. 1. ad 2.



AR-

ARTICVLVS II.

An nomen Imaginis, sit proprium filij.

Conclusio est affirmatiua.

DVBITATVR.

An hæc Conclusio, sit vera.



IDETVR, quòd non. Nàm ad Rom. 8. dicitur, Quos prędestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, & 1. ad Cor. 15. sicut Portauimus imaginem Terrestris, portem imaginem cælestis. In quibus locis intelligit Spiritum Sanctum esse imaginem Filij vt docet. Basilius 5. contrà Euno. Cap. 6., & 8. Cyri. 11. in Ioan. Cap. 25. & 13. Thesauri Cap. 1. Athanas. Epist. ad Serapionem, & ser. 3. Niceni Concilij, citatus à D. Tho. opusculo 1. Cap. 10., & alij Sancti, Ergò.

Secundò, Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, vt eis similis in natura, Ergò, vt imago eorum. Consequentia patet: quia vt cõstat ex Art. præcedenti, hoc sufficit ad rationem imaginis, Antecedẽs verò probatur: quia vt dictum est Quæst. 27. Art. 4. Spiritus Sanctus verè procedit à Patre, & Filio, Deus, & habens eamdem naturam, Ergò similis in natura.

Dices, cum D. Th. ad 2. ad rationem imaginis requiri, quod ex vi suæ processionis procedat, vt similis, quod non habet Spiritus Sanctus.

Sed contra Arguitur 3. Spiritus Sanctus, ex vi suæ processionis procedit, vt similis insigno proprio, & specifico naturæ diuinæ, Ergò vt imago. Consequentia patet. Antecedens probatur: Nàm amor infinitus est proprium signum naturæ diuinæ, ex vi autèm suæ processionis Spiritus Sanctus, procedit, vt amor infinitus, Ergò.

Confirmatur: Nàm homo est imago Trinitatis: quia procedit ab

illa

illa participans eius naturam, licèt multum imperfectè, & non quia ex vi suæ processionis procedit, vt similis in natura diuina, Ergò multo magis Spiritus Sanctus. Min. patet: quia procedit per voluntatem.

Quartò. In hoc, quod est Spiritum Sanctum esse productum, & repræsentatiuum alterius, similemquè ei in natura nō opponitur cum Filio, Ergò etiam Spiritus Sanctus, habet esse repræsentatiuum alterius simile illi in natura, & productum ab illo, ac subindè esse imaginem Antecedens patet: quia Filius, & Spiritus Sāctus vterquè est productus, & similis Patri in natura, ac repræsentatiuus illius, in quo nullam rationem originis habet Spiritus Sānctus à Filiō, Ergò.

Sed contra est authoritas D. Thomæ.

IN hoc dub. præter hæreticos, qui Spiritū Sanctum esse Verbum, & Filium affirmarunt, qui Consequentèr dicunt esse imaginem hoc tenent communitèr Græci suprà relati, & Caiet. ad Hæb. 1. Aureolus relatus à Capræol. in 1. dist. 27. Quæst. 2. cōtra 6. Conclusionē Duran. vbi suprà, qui tenent rationem imaginis in diuinis conuenire Filio, & Spiritui Sancto.

Dico primò. Sed ratio imaginis in diuinis conuenit soli Filio.

QVod conueniat illi, est de fide, & probatur ad Collos. 1. Qui est imago inuisibilis Dei, & alijs testimonijs citatis Art. 1. Argumento 5.

Confirmatur ex Athan. ser. 4. contra Arria. & Epistola de decretis Synodi Nicenæ Hylar. 7. de Trin. Aug. 3. de Trin. Cap. 2. Amb. ad Hæbr. Cap. 1. Cyril. Thes. Cap. 1. Ruperto 2. de Trin. Cap. 2. Richar. de S. Vict. 6. de Trin. Cap. 19.

Rationes probatur. Quia conuenit illi diffinitio imaginis, quod sit sit similitudo in specie; vel signo speciei expresa ab alio, Ergò. Et hæc ratio ostendit, quod sit imago non accidentalis, & solùm repræsentatiua, sed etiam substantialis: quia procedit in eadem natura, teste Paulo, & figura substantiæ eius, idest, substantialis.

Secunda pars Conclusionis probatur ex sanctis citatis pro prima,

cuius rationem adhibet Vazq. disp. 145. Cap. 5. scilicèt: Quia de ratione imaginis, est, vt sit similitudo in natura, vel signo naturę expræssa ad repræsentandum id, à quo procedit, & quia hoc habet Filius respectu Patris, ideò est imago: Spiritus Sanctus verò, non est imago; quia, licèt sit similis in natura, non est expræssus, ad repræsentandum Patrem, vel Filium: quia nulli intellectui repræsentat illius, nec Patris, nec Filij, nec creaturarum: omnes enim isti vident Patrem, & Filium in essentia, & Spiritū Sanctū non est forma, vel terminus productus per intellectionem, quo videantur prædictæ Personæ, sed hæc ratio sufficientèr impugnata est supra Quæst. 27. Art. 4. modo verò impugnatur ex dictis Quæst. 27. Art. 2. dub. 2. Conclusione vlt. Patrem scilicèt posse nosce omnia in Spiritu Sancto, sicut omnia noscit in se Ergò, Spiritus Sāctus ratione suę essentiæ potest Patri, Filio, ac creaturis omnia in se ipso repręsentare, quātū; vt ex parte suæ essentiæ, licèt non ratione proprietatis Personalis, imò, cum habeat eamdem essentiam, quàm Pater, & Filius, eamdem, & eodem modo repræsentationem habebit.

Confirmatur: quia Basi. & alij relati Quæst. 34. Art. 2. Spiritum Sānctum vocant Verbum, quia vt obiectum cognitum in se habens naturam Patris, & Filij, potest illos repræsentare; si enim per impossibile quis per se primò videret Spiritum Sanctum, in ea ratione essentiæ, videret cæteras Personas.

Confirmatur secundò: quia vnum simile repręsentat aliud simile sed Spiritus Sanctus est maximè similis Patri, & Filio, Ergò.

Arguit prætera Suarez, contra hanc rationem lib. 11. de Trin. Cap. vlt. quia licèt non esset aliquis intellectus, cui imago repræsentet, sati est ad rationem eius, si ex natura sua possit repræsentare intuenti, Ergò, cum Spiritus Sanctus, sit repræsentatiuus, erit imago.

Dicendum est Ergò, rationem esse. Quia Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis non procedit, vt similitudo. hæc ratio est D. Tho. hic & suprà Quæst. 28. Art. 2. ad 3. quæ habetur, tueturquè ab eo D. 1. ad Anib. Quæst. 28. Art. 2. ad 2. quàm sequuntur communitèr eius Discipuli, & Henr. quod lib. 4.

Dico secundò. Verbum, vel Filius, licèt habeant esse repræsentatiuum omnium; tamen non est imago, nisi Patris.

PRobatur, non est productum ab essentia, Spiritu Sancto, vel creaturis, sed à solo Patre, Ergò illius solùm est imago; quia, vt aliquid

quid ſit imago alicuius,debet eſſe productum ab eo, vel tamquàm à principio QVOD producente,vel mediante ſpecie realitèr diſtincta,vt ſæpè dixi,& hac ratione Anſel.in Monolo. ait,Verbum non eſſe imaginem ſui,aut Spiritus Sancti: quia non naſcitur ab illis.

Teſtimonia,quæ inſinuant,Verbum eſſe imaginem eſſentiæ, explicui iàm Art.1.

Multa alia nomina Filij, referuntur à Nazianz.in apolog. Cap.1. circa fi. Theodoreto 2. de curandis affectionibus Græcorum,Hylario lib.de vnitate Patris,& Filij in fine.

Ad primum Ergò Reſpondeo, illa loca non intelligi de imagine: niſi de illa,quæ eſt Verbum,Ità communitèr Latini,& aliqui Græcorũ Amb.Chriſoſ.Hyer.ibi Aug.14.& Tri. Cap.18. & 22.de Ciuit. Cap. 12.& 16.Cyri.9.in Ioan.Cap.vlt.Patres verò Græci,qui Spiritum Sãctum, vocant imaginem,loquuntur de imagine largè quantùm ad ſimilitudinis perfectæ rationem,non verò quantùm ad rationem completam imaginis,vt ex vi ſuæ proceſſionis,habeat hanc ſimilitudinem ità D.Tho.hic,& opuſc.1.Cap.10.

Ad ſecundum,bona eſt ſolutio ibi data.

Ad tertium, contra illam Nego Antecedens.Ad probationem diſt. Antecedens.Amor infinitus omnibus modis,eſt proprium ſignum, & inclinatio naturæ diuinæ,concedo antecedens. AMOR tantùm infinitus obiectiuè,& productiuè ideſt,qui procedit à principio infinito Nego Antecedens: Nàm ſi per impoſſibile amor Charitatis, in nobis procederet, vt à principio productiuo à Spiritu Sancto, qui eſt infinitus,vel terminaretur ad Deum, qui eſſet obiectum infinitum,talis amor ſic infinitus,non eſſet proprium ſignum naturæ diuinæ:Spiritus Sanctus autèm,vt hic habet Caiet.licèt materialitèr procedat omnibus modis diuinus,& infinitus in ratione amoris: tamèn formalitèr, & ex vi ſuæ proceſſionis,ſolùm procedit, vt amor infinitus obiectiuè, & ellicitiuè,ideſt productus à Deo,& tendens in Deum,vt obiectum, & ideò ex vi proceſſionis,non procedit, vt ſimilis Deo in ſigno proprio Deitatis verè ſuprà Quæſt.27.Art.4. ad primam, & ſecundam Confirmationem 2.

Ad Confirmationem,Nego Antecedens pro ſecunda parte, quia homo eſt artificiatum reſpectu Dei,& artificiata procedunt ab artifice mediante Idæa, & exemplare illius, cui artificiatum aſſimilatur, ideò licèt procedat per voluntatem Dei,vt applicantem cauſam effectiuam,ſcilicèt ſcientiam Dei,ad effectum, ex eo tamèn, quòd procedit mediante idæa,quàm Deus habet,quatenus cognoſcit ſe,vt ab ho-

mine


mine immitabilis intellectualitate, quæ est essentia Dei, id quòd procedit ab idea, vt sic, procedit, vt simile illi, & exemplari ex vi suæ processionis, ideò homo vt procedens ab idæa sua, procedit vt similis Deo in intellectualitate, quæ est natura Dei. Spiritus Sanctus, verò qui est amor, & inclinatio non procedit, vt similis ideæ, & essentiæ Dei, & ideò non est imago,ità D. Tho. 1. ad Anib. d. 28. Quæst. 2. Art. 2. ad 3.

Ad vltimum, dist. antecedens. Non opponitur in ratione generica producti concedo: Nàm vterque est productus, in ratione specifica, & particulari. Nego Antecedens: Nàm Filius ex vi suæ processionis, producitur vt similis, Spiritus Sanctus, verò vt impulsus, & quia id, quòd procedit per impulsum, vt impulsus, & amor ex vi suæ processionis, nō procedit vt simile ex se, habet procedere ab eo, quòd per se producitur vt Verbum, & vt simile, ideò Spiritus Sanctus, vt sua propria processione productus, dicit relationem originis ad Verbum, vt productū sua propria productione, & quia ratio imaginis dicit esse productam per modum similis, ex vi suæ processionis, ideo Spiritus Sanctus, habet ex se originari ab imagine, quæ ex vi processionis, est similis: quia procedit vt impulsus, & amor, ex vi processionis, & non ut similis.

Explicit Quæstio 35.

QVÆSTIO XXXVI.

De his, quæ ad Spiritus Sancti Personam pertinent, satis suprà diximus; attamen videte Caiet. & Mag. Zumel, & Bannez.



QVAE-

QVÆSTIO XXXVII.

De nomine Spiritus Sancti, quod est AMOR.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum amor, sit nomen Spiritus Sancti proprium.

Conclusio.

Amor secundum, quòd personalitèr sumitur, est proprium nomen Spiritus Sancti, sicut Verbum est proprium Filij.



IN hoc Articulo. Nota primò circa diuisionem amoris in essentialem, & personalē vanum esse laborem Argumētorū Aureol. apud Capræol. 1. d. 32. Quæst. 1. Art. 1. intendentis probare contra D. Th. non posse reperiri in diuinis duos amores, Alterum personalem Alterum essentialem, quasi cōtrarium ipse docuerit hic, quòd non solùm nō docuit, sed nec somniauit quidem, Cum enim distinguit amorem in essentialem, & personalem, non sic accipienda est distinctio, quasi sit distinctio rei, hoc est duplicis amoris, sed quasi distinctio habentis diuersas significationes: tota enim distinctionis ratio, est accomodatio notionis ad aliam, & aliam significationem, vndè quemadmodum. Si hoc nomen NOTITIA, importans actum intelligendi, accomodaretur ad significandum Verbum ex vitalis actus productum, hoc nomen NOTITIA diuersimodè sumptum, non importaret duos actus intelligendi, sed actum intelligendi, & terminum ipsius. Ità hoc nomen Amor, sumptū essentialitèr, vt significat actum amandi, & personalitèr, vt importat terminum, ex vitalis actus productum, non importat distinctos amores,

res, sed amorem essentialem, & terminum ipsius, quòd est Spiritus Sanctus, productus per modum cuiusdam impulsus, imò sumptum notionalitèr, vt importans amorem per modum proximi principij Quo, producendi Spiritum Sanctum, seu actualem productionem ipsius, non importat amorem, distinctum ab amore essentiali, sed amorem ipsum essentialem; connotans tamen relationem spirationis, vt conditionem necessariam ad exercendam rationem talis principij quemadmodum Dictio, vt principium proximum Quo, producendi Verbum, seu actualis productio ipsius, importat intellectionem essentialem, connotans relationem Paternitatis, vt conditionem necessariam ad exercitium talis rationis productiuæ, & Hinc fit, hoc nomen AMOR in diuinis, esse æquiuocum, habens triplicem significationem.

Primam, quàm importat præcisè habitudinē amantis ad rem amatam, secundùm quam dicitur essentialitèr, atq; adeò communitèr de tribus diuinis Personis.

Secundam, qua præter talem habitudinem, quàm principalitèr dicit, connotat habitudinem producentis per voluntatem ad rem productam, ex vi ipsius, secundum quàm dicitur notionaliter, & sic solùm de Patre, & Filio, quasi de vno principio.

Tertiam, qua importat habitudinem producti per voluntatem ad principium, à quo procedit, secundum quàm dicitur personalitèr, atq; adeò solùm de Spiritu Sancto, vndè manifestè patet, qualitèr numquā importet distinctos actus amādi, alterum essentialem, alterum Personalem, vt D.Th. falsò imposuit Aureolus.

Nota secundò circa prædictam Conclusionem, illam desumpsisse D. Th. ex Aug. 15. de Trin. Cap. 17. vbi asserit, amorem producentē, quòd est Deus, esse Spiritum Sanctum, probatq; ex illo Ioan. 4. Charissimi diligamus inuicem: quia dilectio ex Deo est, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum, qui non diligit non nouit Deum, quantùm Deus charitas est, vbi Ioan. duo dicit, & dilectionem esse Deum, & dilectionem esse ex Deo, est igitur Deus amor procedés non alius, quàm Spiritus Sanctus, cum ille solùs procedat per voluntatem, Ergò amor secūdùm, quòd Personalitèr sumitur, pro amore procedenti, est proprium nomen Spiritus Sancti. Nihilominùs Suar. 1. p. lib. 11. Cap. nu. 4. dicit, ex prædictis Verbis, non posse sufficientèr colligi, nomen amoris Personalitèr sumptum, esse proprium Spiritus Sancti, & probat. Primò, licèt in symbolo Filius dicatur Deus de Deo, non sequitur, nomen Dei esse proprium Filij, sed solùm per particulam

DE.

DE. trahi ad ſupponendum pro Filio, Ergò, licèt Spiritus Sanctus, dicatur dilectio ex Deo, non ſequitur nomen dilectionis, ſeu amoris eſſe proprium Spiritus Sancti, ſed ſolùm per particulam. EX. trahi ad ſupponendum pro Spiritu Sancto.

Secundò; Conc. Milleuitanum Can.4. explicat prædicta verba: quia dilectio ex Deo, eſt de dilectione creata, ità vt particula EX. non dicat dimanationem ad intra, ſed ad extra, & in hoc ſenſu vtitur illis Aug. lib.1. de gratia iuxti Cap.22. vt indè probet, dilectionem noſtrã, qua iuſtificamur, & ſaluamur, ex Dei gratia manare, Ergò non ſufficientur, indè colligitur, quod amor procedens ad intra, ſit proprium nomen Spiritus Sancti, ſufficit tamèn auctoritas Aug. vt teneamus veritatem prædictam ex iſtis Verbis, & Spiritu Sancto litteralitèr intellectis ſufficientur colligi. Nec rationes iſtæ, quibus Suarez impugnat illam, aliquid concludunt.

Reſpondeo enim ad primam, hoc nomen Deus, eſſe nomen naturæ, vt docet D.Th. ſuprà Quæſt.13. Art.8. & quia natura diuina eſt communis per identitatem; omnibus diuinis perſonis, cum Filius dicitur DEVS DE DEO ex vi illius determinationis DE, non importatur aliquid perſonale, & proprium, ſed eſſentiale, & commune trahitur ad ſupponendum perſonalitèr pro Filio, at hoc nomen AMOR maximè ſignificat terminum productum per actionem volũtatis, qui formalitèr voluntatem inclinat, & impellit in rem amatam, actio namq; qua talis terminus producitur, magis eſſet dicẽda amatio, quã amor, ſed quia prior vox vſitata non eſt, dicitur amor, ſeu dilectio vndè, cum dicitur. Quia dilectio ex Deo eſt, importatur amor, vt terminus procedens ex vi voluntatis diuinæ, ac per Conſequens aliquid perſonale, & proprium Spiritus Sancti, & non eſſentiale, & commune tractum ad ſupponendum pro illo perſonalitèr.

Ad ſecundam Reſpondeo, non eſse inconueniens eumdem locum Sacræ Scripturæ, habere plures ſenſus litterales proprios de quo Bannes prima parte Quæſt.1. Art.10. dub.7. vndè, licèt prædicta Verba intelligantur de dilectione increata, vt explicat Aug. loco citato, Poſſunt etiam litteralitèr explicari de dilectione creata, vt explicat Conc. Milleuita citatum, in quo maximè commendatur excellentia charitatis, quod proprium nomen Spiritus Sancti, ſibi accommodatur, & ex illis Verbis (in priori ſenſu explicatis) poteſt ſufficiẽtèr colligi, nomen amoris, perſonalitèr ſumptum, eſſe proprium Spiritus Sancti, cum detur in diuinis amor procedente ad intra, & hic non ſit alius, quàm Spiritus Sanctus.

Nota Tertiò circa solutionem ad 4. Quòd, cum tres personæ diuinæ sint vnus Deus, ità quòd nec vnitas diuinæ naturæ excludat Trinitatem personarum, nec e contrà, Trinitas diuinarum personarum excludat vnitatē diuinæ naturæ, actus essentiales, quales sunt intelligere, & amare, exercentur à Patre, & Filio, & Spiritus Sancto, & quatenus sunt vnus Deus, & quatenus ad inuicem personalitèr distinguuntur, diuersimodè tamèn: Nàm quatenus sunt vnus Deus, exercent tales actus, vt essentiales sunt, videlicèt patet, vt præcisè important habitudinem ad rem intellectam, seu amatam, sed quatenus ad inuicem personalitèr distinguūtur, exercent tales actus, habentes annexum aliquid notionale, v.g. Pater intelligit: quia Deus, Intelligit verò, vt producens Verbum: quia Pater, Filius intelligit: quia Deus: Intelligit verò, vt Verbum productum: quia Filius, Spiritus Sāctus intelligit: quia Deus: intelligit verò, vt amor spiratus: quia Spiritus Sanctus. Similitèr Pater amat: quia Deus, & Filius amat: quia Deus, sed vterquè simul amat, vt producens amorem: quia hoc principium spirans, Spiritus Sanctus amat: quia Deus: amat verò, vt amor productus: quia Spiritus Sanctus, quemadmodum Ergò Pater essentialitèr intelligens producens Verbum, non ex vi intellectionis essentialis præcisè, sed secundum quòd habet annexam relationem Paternitatis, vt conditionem necessariam ad productionem Verbi, & quia hæc conditio non saluatur in Filio, & Spiritu Sancto, licèt essentialitèr intelligant, non tamèn producunt Verbum, Ità Pater, & Filius essentialitèr amantes producunt Spiritum Sanctum, non tamèn ex vi amoris essentialis præcisè, sed vt habet in ipsis annexam relationem spirationis, vt conditionem necessariam ad talem productionem, & quia hæc conditio nō saluatur in Spiritu Sancto, licèt essentialitèr amet, non tamèn producit amorem. Hæc significat D.Th. dum ait in hac solutione, quod nec Filius (essentialitèr intelligens) producit Verbum: quia intelligit, vt Verbum procedens, nec Spiritus Sanctus (essentialitèr amans) spirat amorem: quia amat, vt amor procedens. Et sunt multum conformia his, quæ docet D. Tho. infrà Quæst. 41. Art. 5. de potentijs respectu actuum notionalium, importare Verbum essentiam in recto, & relationem in obliquo: per hoc enim actus proportionantur potentijs, quia sicut potentia generatiua v.g. importat, vt rationem formalem agendi, essentiæ naturam, & vt conditionem necessariam relationem Paternitatis, & quamuis, quantùm ad rationem formalem sit in Filio, non tamèn potest Filius generare: quia non est in illo conditio necessaria talis potentiæ, ità similiter, generatio importat principaliter in-

tellectionem essentialem, & minùs principalitèr per modum necessariæ conditionis relationem Paternitatis, & licèt essentialis intellectio saluetur in Filio, non tamèn dicitur generatio in ipso: quia deest prædicta conditio, & idem dicendum est proportionalitèr de potentia spiratiua, & actuali intellectione. Et actuali spiratione, de quo nos infrà loco citato.

Reliqua ad hunc Articulum spectantia, superius excussa sunt Quæst. 27. Art. 2. & 3.

ARTICVLVS II.

Vtrùm Pater, & Filius, diligant se Spiritu Sancto.

Conclusio Prima.


Sumendo diligere essentialitèr, Pater, & Filius, non diligunt se Spiritu Sancto.

Secunda Conclusio.

Sumendo diligere notionalitèr; Pater, & Filius, diligunt se Spiritus Sancto.

DVBITATVR.

Vtrùm doctrina istius Art. vera sit.



IDETVR quòd non. Primò fundamentum D. Tho. est falsissimum; Ergò. Probo Antecedens. Fundamentum est Quotiescumq; datur aliquis effectus immediatus alicuius actionis, quē intrinsicè includit, talis actio tūc agēs denominatur ab effectu, sicut dicitur Arbor florere floribus, sed hoc est falsum, aliàs essent concedendæ omnes istæ proposi-

tiones Aedificator ædificat ædificiuũ, Pater generat Filiũ, Pater, & Filius, ſpirant Spiritum Sanctum, cum in omnibus his fiat denominatio ab effectu immediatæ actionis, intrinſicè incluſum in conceptu illius; Quas tamèn communis Theolog. Schola, non admittit.

Confirmatur. Quotieſcumq; terminus actionis conſtituitur, illo modo, cum Verbo ſignificante productionē, Talis terminus ſignificatur, vt forma eius, cui applicatur, & ideò oportet, vt det illi denominationem formalem, vel intrinſecam, & propriam. Vt in hac. Ignis calefacit lignum calore producto, vel extrinſecam, aut per adiacentiã aliquàm, vt in hac. Arbor floreſcit floribus: quia flores manent in Arbore, & ornant illam, aut extrinſecam repræſentationem, vt in hac Pater dicit ſe, & alia Verbo, ſed Pater, & Filius, non poſſunt recipere à Spiritu Sancto aliquàm denominationem formalem, neq; intrinſecã, vt conſtat, neq; extrinſecam modis prædictis: quia Spiritus Sanctus, neq; adiacet Patri, & Filio, nec repræſentat illos, Ergò.

Secundò. Hæc propoſitio, PATER, & FILIVS DILIGVNT SE SPIRITV SANCTO, eſt falſa ſumendo diligere eſſentialitèr: quia non habet dilectio eſsentialis peculiarem ordinem ad Spiritum, Ergò etiam eſt falsa, ſumendo diligere notionalitèr. Patet Conſequētia; quia dilectio notionalis non includit, id quod eſt commune omni perſonæ, aliàs ex vi illius non dignoſcerentur perſonæ diſtinctæ, ſed habere reſpectum rationis ad aliquem, vt dilectum commune omni perſonæ: Omnis enim perſona diligit aliquid, Ergò talis reſpectus non poteſt includi in dilectione notionali, Quo fit, vt iſta propoſitio (ratione talis reſpectus) de actu notionali vera eſse non poſſit.

Confirmatur, licèt talis reſpectus rationis includeretur in actu notionali: actus tamèn notionalis, nec eſse, nec intelligi poteſt, ſine reſpectu ad rem productam, tamquam ad primarium terminum, Ergò necpoterit reſpicere aliquid, quin primò reiciat rem productam, ſed Pater, & Filius, non producuntur dilectione, Ergò dilectio notionalis in illos non poteſt primariò ferre, & Conſequentèr falsa eſt talis propoſitio, ſumendo diligere notionalitèr.

Tertiò. Diligere notionaliter eſt ſpiratio, cum nihil aliud ſit, quã diligendo producere, ſed falſum eſt dicere, quod Pater, & Filius ſpirant ſe Spiritu Sancto, Ergò & quod diligunt ſe Spiritu Sancto.

Confirmatur. Actus notionalis ſuprà ſuum principium reflecti nō poteſt, & ideò negamus, Patrem generare ſe, ſed diligere, vt hic ſumitur, eſt actus notionalis, Ergo non poteſt reflecti ſuprà Patrem, & Filium, quod habent rationem principij reſpectu ipſius, ac per Conſequens

quens falsum est dicere, quod Pater, & Filius diligant se Spiritu Sancto.

Quarto. Pater nec intelligit se Verbo suo, nec est sapiens sapientia genita, Ergò Pater, & Filius non diligunt se Spiritu Sancto. Probatur Consequentia duplicitèr.

Primò. Quia sicut intelligere se habet ad intelligentem, & producentem per intellectum, ità diligere se habet ad diligentem, & producentem per voluntatem, & si Verbum est terminus productionis, & nõ alitèr comparatur ad Patrem, ita Spiritus Sanctus est terminus productionis suæ, & non alitèr comparatur ad Patrem, & Filium.

Secundò. Ideò Pater, non est sapiens sapientia genita: quia sapere est aliquid in Patre, & Pater nihil recipit à suo genito, neq, formalitèr, neq; effectiuè, quas habitudines ablatiuum illud potest significare, sed etiam diligere dicit perfectionem formalem, nec intrinsecam diligenti, quàm nullo modo possunt Pater, & Filius recipere à Spiritu Sancto, Ergò.

Quintò. Sequitur concedendam esse istam propositionem Pater, & Filius diligunt creaturas Spiritu Sancto, Consequens est falsum, Ergò. Sequella patet: quia Spiritus Sanctus, tamquàm terminus productus per dilectionem, non solùm habet respectum producti ad Patrem, & Filium, verum etiam respicit obiecta secundaria amoris, sicut ipsa dilectio notionalis. Min. sumendo diligere essentialitèr, certissima est, cum essentialis dilectio non habeat peculiarem ordinem ad creaturas. De notionali verò probatur: quia dilectio notionalis solùm dicitur esse illius obiecti, quod, vt primarium, & per se respicit, aut saltim, quod necessariò comitatur primarium: Creaturæ autèm neq; sunt obiectum primarium dilectionis notionalis, neq; necessariò comitantur primarium obiectum, quod est essentia Dei: quia contingentèr, & liberè diligunt, Ergò.

Sed contra est authoritas D. Thomæ.

In hoc dubio sunt 5. sententiæ, quas refert D.Th. hic, quarum.

PRima. Videlicèt, propositionem istam PATER, ET FILIVS DILIGVNT SE SPIRITV SANCTO esse in rigore falsam, & retractatam ab Aug. in sibi simili, cum scilicèt retractauit hanc, PATER EST SAPIENS SAPIENTIA GENITA, fuit Gothofredi

Pictauienſis, vt referunt Bonau. Scotus, & Capræolus in 1. d. 32. cui non nulli recentiores ad hærent, inter quos eſt Canare. in hunc Art. fatetur enim ſe prorſus neſcire præd. propoſitionem in proprio ſenſu defendere.

Secundã, videlicèt eſſe in rigore verã, minùstamèn propriam, atq; adeò non poſſe verificari, niſi de dilectione eſſentiali in hoc ſenſu PATER, ET FILIVS DILIGVNT SE SPIRITV SANCTO, hoc eſt amore eſſentiali, quòd appropriatur Spiritui Sancto, fuit Durtan. in 1. d. 32. Quæſt. 1. & vt aliqui putant Alenſis 1. p. Quæſt. 47. mem. 2. & membro 3. Art. 3.

Tertia ſententia. Videlicèt Patrem, & Filium diligere ſe Spiritu Sancto, ad hunc ſenſum, quòd Spiritus Sanctus, eſt ſignum, quo Pater, & Filius mutuo ſe diligant, in quantum procedit ab illis, vt mutuus amor ex vi ſuæ dilectionis, fuit Simonis Fornacenſis, vt referunt Bonar. Scotus, & Capræol. vbi ſuprà Quæſt. 1. Art. 3. & Quæſt. 3. Art. 1.

Quarta, videlicèt ablatiuum illum (Spiritu Sancto) cōſtrui in habitudine cauſæ formalis, & verificari prædictã propoſitionem in hoc ſenſu, quòd Spiritus Sanctus ſit formalis amor, quo ſe formalitèr diligunt Pater, & Filius, fuit Aegidij in 1. d. 32. Quæſt. 1. & 2.

Quinta deniquè, Ablatiuum illum, importare habitudinem, veluti effectus formalis, & conſequēter Patrem, & Filiū diligere Spiritu Sancto, tamquàm termino producto ex vi propriæ dilectionis, ſicut Pater diuinus dicit ſe Verbo, tamquàm termino immediato dictionis diuinæ eſt D. Tho. hic quæ communitèr ſequuntur eius Interpætes.

Sed pro explicatione.

Dico primò. Quatuor primæ ſententiæ falſæ ſunt.

QVòd prima ſit falſa patet: Nàm eſt expreſſe contra Aug. 6. de Trin. Cap. 5. vbi Spiritum Sanctum, vocat amorem, quo genitus à gignente diligitur, genitoremquè ſuum diligit.

Contra Hyer. pſ. 17. vbi Spiritum Sanctum ipſam dilectionem appellat, quàm habet Pater in Filio, & filius in Patre, contrà Bern. de amore Dei Cap. 7. & 8. vbi, Spiritum Sanctum amorem Patris, ad Filium, & Filij ad Patrem appellat, Neque valet dicere, Aug. virtualitèr iſtam retractaſſe ſententiam primo lib. retractationum Cap. 27. & 6. de Trin. Cap. 1. & 2. lib. 7. Cap. 3. & lib. 15. Cap. 7. per hoc quòd retra-

ctauit

ctauit hanc PATER EST SAPIENS, SAPIENTIA GENITA, Tùm, quia non est eadem ratio de ista, ac de nostra proportione, vt patebit infrà in solutione ad 4. Vndè per hoc, quòd istam retractauerit, non est censendus retractasse nostram, Tùm etiàm: quia, si expresse retractasset illam, Auctoritas Hyeron. & Bern. quos citauimus, & communis consensus Theologorum (in hac parte) magni momenti est, vt prædictam propositionem veram esse in rigore, cum ipsis teneamus.

Quòd secunda sententia sit falsa, probatur: Nàm, si hæc est vera: PATER, ET FILIVS DILIGVNT SE SPIRITV SANCTO: quia diligunt se amore essentiali, qui appropriatur Spiritui Sancto, etiàm hæc erit vera. PATER, ET FILIVS SVNT BONI SPIRITV SANCTO, quia sunt boni, bonitate essentiali, quæ appropriatur etiàm Spiritui Sancto, quam tamên, nullus concedit.

Falsitas tertiæ sententiæ conuincitur, tùm quia pari ratione concederemus Patrem, & Filium diligere se creaturis rationalibus: Nàm etiàm tales creaturæ sunt signum mutuæ dilectionis, qua Pater, & Filius se diligunt, tùm etiàm: quia similitèr concederemus, ignem comburere fumo, cum fumus sit signum, quòd ignis comburat.

Quartam deniq; sententiam esse falsam ostendo. Primò, quia impossibile est, quòd Pater amet tãquàm per formalem amorem per rẽ aliquam à se distinctam, aliàs hoc, quòd est formalitèr amare, haberet à tali re, vel formalitèr, vel effectiuè, quorum vtrumquè est impossibile, sicut impossibile est, Patrem esse in potentia, respectu alicuius, cum sit purus actus essentialitèr.

Secundò, probatur, Amat se, & Spiritum Sanctum, sicut omnia alia per suam essentiam, tamquàm per formalẽ amorẽ, Ergò non formalitèr per Spiritum Sanctum. Pater Consequentia: quia impossibile est, quòd voluntas, quæ est vna re, & ratione, habeat nisi vnicum amorẽ re, & ratione. Quòd, si dicas, Spiritum Sanctum esse formalem amorem Patris, & Filij, non vt distinguitur ab illis, sed vt identificatur cũ illis in ratione essentiæ. hoc nihil aliud est dicere quàm, quòd essentia Spiritus Sancti, est amor Patris, & Filij, ac per Consequẽs, Patrem, & Filium non se diligere formalitèr Spiritu Sancto, tamquàm amore formali sui, quòd est intentum.

Dico secundo. Quinta Sententia est vera, sumendo diligere non essentialitèr, sed notionalitèr.

HOc est dicere quòd Pater, & Filius non diligunt se Spiritu Sancto, ablatiuo isto, veluti in habitudine effectus formalis cōstructo, si diligere sumatur essentialitèr, si autèm diligere sumatur notionalitèr Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto, ablatiuo isto importante habitudinem veluti formalis effectus.

Pro hac Conclusione, sic explicata videatur D. Thom. in 1. d. 32. Quæst. 1. Art. 1. vbi expræsse habetur.

Et quoad 1. partem probatur primò, propterea Aug. 7. de Tri. Cap. 1. & lib. 15. Cap. 7. & primò retractatorum Cap. 6. negat hanc propositionem, Pater est sapiens sapientia genita, quoniam Patri idē est esse, & sapere, & consequētèr sicut non habet esse sapientia genita, ita nec sapere, Ergò eadem ratione naganda est, ista propositio, Pater, & Filius diligūt se Spiritu Sancto, si diligere sumatur essentialitèr, patet Consequentia: quia Patri, & Filio idem est esse, & diligere essentialitèr, sed non habent esse Spiritu Sancto, Ergò nec diligere essentialitèr Spiritu Sancto.

Secundò, si per impossibile Pater, & Filius non producerent Spiritum Sanctum, nihilominùs essentialitèr se diligerent, Ergò non diligunt se essentialitèr Spiritu Sancto. Consequentia est euidens, & antecedens probatur. Dilectio essentialis est prior, nostro modo intelligēdi, Spiritu Sancto, non formalitèr, & intrinsecè includens illum in suo conceptu, Ergò tali dilectione diligerent se, etiàm si nō esset Spiritus Sanctus.

Quoad 2. verò partem probatur. Primò. Sicut verbum procedens per intellectum se habet ad dictionem in ratione termini, ità Spiritus Sanctus procedens per voluntatem, se habet ad dilectionem notionalem, sed verissimè, & proprijssimè Pater dicit se Verbo, Ergò æquali veritate, & proprietate Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto sumendo diligere notionalitèr. Probatur Min. quia Pater, formalissimè dicit se, & non nisi Verbo, sine quo dictio intelligi nequit.

Secundo, sicut filius producitur per cognitionem compræhensiuā Patris, per quàm Pater cognoscitur ità Spiritus Sanctus, producitur per amorem Patris, & Filij, quo se alterutrum diligunt, Ergo sumendo dilectionem, vt dicit habitudinem intrinsecam ad Spiritum Sanctum tanquàm ad terminum immediatè productum, & intrinsecè in-

clusum

clusum in ratione sui sicut Pater producens Filium, dicit se Filio, ita Pater, & Filius producentes Spiritum Sanctum, diligunt se Spiritu Sancto.

Tandèm quoad vtramq; partem simul, & peculiaritèr, quòd ablatiuus ille importet habitudinem veluti formalis effectus, probatur ratione D.Tho.hic, quæ ad formam redacta est talis. Quando in intellectu actionis clauditur formalitèr effectus, agens potest denominari tale, & ab actione, & ab effectu; si autèm effectus non claudatur formalitèr in intellectu actionis, agens solùm potest denominari tale ab actione, sed dilectio, notionalitèr sumpta, includit in suo formalitèr conceptu Spiritum Sanctum, veluti in ratione effectus, & non sumpta essentialitèr, Ergò Pater, & Filius dicuntur diligentes se essẽtialiter præcise à dilectione essentiali, notionalitèr verò, & dilectione notionali, & termino ex vi ipsius producto, hoc est Spiritu Sancto, Mai. patet exemplis: arbor enim non denominatur à floribus producens florem, sed à productione florum: quia in conceptu productionis, vt sic, non includuntur formalitèr flores, & tamen: quia in conceptu floritionis, vt sic flores formaliter includuntur arbor dicitur florens, non solùm floritione, sed floribus, & ratio est: quia actio denominat agentem, vt actio est, formaliter, Ergò secundùm id, quòd est de formali conceptu illius, Ergò quandò effectus formaliter includitur in conceptu actionis, talis actio denominat agentem formaliter, & secundum se, & secũdum quòd formalitèr includit effectus, Ergò agens potest denominari formalitèr tale, & actione, vt actio est, & effectu, seu quasi effectu actionis, vt ab illa procedit, secùs autem si talis effectus non includatur formalitèr in conceptu actionis. Min. verò probatur: quia dilectio notionalitèr sumpta nequit intelligi sine Spiritu Sancto in ratione termini ex vi talis dilectionis producti, sicut dictio nequit intelligi sine Verbo: dilectio tamen essentialitèr sumpta cum, vt sic, non sit productiua termini, complerè, & formaliter, intelligitur absque hoc, quòd intelligatur terminus aliquis ex vi illius productus, & formaliter inclusus in conceptu illius. Concluditur Ergò, hanc propositionem esse veram, & formalem Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto, diligere notionaliter sumpto, & ablatiuo illo, Spiritu Sancto, in habitudine quasi formalis effectus constructo, cuius germanus sẽsus est, Pater, & Filius diligunt se, producendo Spiritum Sanctum, sicut sensus istius, Pater dicit se Verbo, est, Pater intelligendo se producit Verbum.

Ad primum Ergò Argumẽtũ Respondeo, Negando Antecedens.

Ad

Ad probationem, Nego Sequellam; Pro quo aduerte, quia actiones sunt in duplici differentia, Aliæ inter quas, & obiectum, quòd vltimo attingitur, mediat seu mediare significatur aliquis effectus proximus, & immediatus talium actibnum, sicut inter ignem, & lignum calefactum, mediat formalitèr calor, quo lignum formalitèr calefit, & quādo actiones sunt huiusmodi, Agens denominatur formalitèr tale non solùm ab actione, sed etiam à proximo, & immediato effectu actionis qualiter ignis dicitur calefaciens formalitèr, & calefactione, & calore producto, non dissimilitèr: quia inter dictionem, & rem vltimò dictam, Verbum mediat, quasi proximus, & immediatus terminus dictionis Pater denominatur, dicens formaliter, & distinctè, & Verbo producto, & quia inter dilectionem notionalitèr sumptam, & rem vltimò dilectam, mediat amor, procedens nostro modo intelligendi, hoc est Spiritus Sanctus, Pater, & Filius dicuntur diligere se notionalitèr dilectione notionali, vt actu Spiritu Sancto, vt termino, seu qualis terminus, talis actus. Aliæ autem actiones sunt, inter quas, & obiectum, quandò vltimo attingitur nihil mediat, nec secundùm rē, nec secundùm intellectum, & quandò actiones sunt huiusmodi, agens solùm denominatur tale ab actione, vt actio est, non tamen ab effectū actionis, tales sunt ædificatio, respectu ædificii, generatio, respectu Filii. Spiratio, respectu Spiritus Sancti, nec enim inter huiusmodi actiones, & suos terminos, qui vltimò attinguntur mediat, seu mediare intelligitur aliquid, atq; adeò nec dicitur ædificator ædificans ædificio ædificatione, nec Genitor dicitur generans Filio, sed generatione, nec Spirator, dicitur spirans Spiritu Sancto, sed spiratione, & ratio differentiæ est, quòd cum omne agens denominetur ab actione, & in actionibus primi generis effectus ille immediatus, potius se teneat ex parte actionis, quàm ex parte obiecti vlti. sicut agens denominatur à talibus actionibus, ità denominatur ab eorum effectibus, quòd non contingit in actionibus secundi generis, vndè quandò D. Tho. docet hic in corpore, & ad secundùm, quòd si effectus includatur in intellectu actionis, agens denominabitur, & ab actione, & ab effectu, debet intelligi, quandò includitur, vt immediatus effectus, seu quasi effectus ipsius in ordine ad aliud obiectum, quòd vltimo attingitur Domino.

Ad Confirmationem Respondeo, Denominationē hanc esse vnionis cuiusdam affectiuę: Nàm ea, quæ se diligunt, vniuntur affectu, & ideò rectè dici possunt, vniri dilectione ipsa, tamquàm actione vnitiua, & termino producto, tamquàm eo, in quo vniuntur. Cōtingit enim

aliqua

aliqua vnire in quinto, seu in termino aliquo, & tùnc non denominātur ab ipsa tantùm vnione seu actione, qua vniuntur, sed etiàm actio (qualitèr lineæ) dicūtur vniri centro, & duæ naturę in decimo dicūtur vniri persona, sic Ergò Pater, & Filius dicuntur vniri Spiritu Sancto, non infirmatiuè, quasi aliquid recipiant ab illo, sed terminatiuè, & eodē modo dicūtur diligere se Spiritu Sācto, vbi Verbū diligere significat productionem Spiritus Sancti; cum quadam vnitione affectiua personarum producentium in ipso, quòd est diligere se, producendo Spiritum Sanctum.

Ad secundum, Respondeo quòd, si actus notionales, nō essent operationes intellectus, & voluntatis; vel esto essent operationes huiusmodi potentiarum, non includerent formalitèr intelligere, & diligere vt dicunt habitudinem ad rem intellectam, seu dilectam, non possent includere aliquid commune omnibus Personis diuinis, ratione tamèn actuum essentialium, quos formalitèr includunt in se, & quos relationibus suis peculiari modo determinant, & modificant, bene possūt illud includere.

Ad Confirmationem Respondeo, quòd licèt huiusmodi actus nequeant intelligi, sine respectu ad terminum primariò productum, vt notionales sunt, tamèn qua ratione actus essentiales includunt, possūt respicere obiectum, quòd vt sic, vltimo attingitur, licèt non producāt illud.

Ad tertium, Respondeo quòd quemadmodùm dicere sumitur duobus modis, vno modo per hoc, quòd est generare pręcisè; & sic Pater non dicit, nisi Verbum. Alio modo per hoc, quòd est dicendo exprimere, & significare rem Verbo dictam, & expræssam, qualiter Pater se, & omnia alia, quæ intelligit, dicit Verbo. Ità diligere potest sumi duplicitèr, vno modo per hoc, quòd est spirare, & sic Pater, & Filius diligunt Spiritum Sanctum, hoc est spirant, non tamèn diligunt se Spiritu Sancto. Alio verò modo per hoc, quòd est diligere producendo, qua ratione in suo conceptu formalitèr includit essentialem dilectionem, & sic Pater, & Filius, diligunt se Spiritu Sancto. Per quòd patet ad Confirmationem. Dicimus enim, quòd actus notionales, si sumantur sine vlla prorsùs àdmixtionè, sicut generare, & spirare, solū cadunt suprà terminos productos, si autèm sumantur, vt includunt actus intellectus, & voluntatis essentialitèr dictos sicut dicere, & diligere, sic etiàm cadunt suprà suum principium, quatenùs est obiectū quòd vltimò attingitur, ex vi talium actuum.

Ad quartum. Nego Consequentiam, concedendo Antecedens. Ad

pri-

primam probationem Respondeo, quòd sapere sicut intelligere solū sumitur essentialitèr, vt dicit habitudinem ad rem intellectam, & quia, vt sic, non includit sapientiam genitam formalitèr in suo conceptu, Pater non potest denominari sapiens, sapientia genita: at verò diligere sumitur æquiuocè, & essentialitèr, & notionalitèr, & licèt primo modo sumpto non dicantur Pater, & Filius diligere se Spiritu Sācto propter eandem rationem: benè tamèn sumpto diligere secundò modo.

Ad secundam probationem Respondeo, quòd ablatiuus ille, SPIRITV SANCTO, in prædicta propositione, dicit habitudinem effectus, seu quasi effectus formalis, vnde potest denominare Patrem, & Filium diligentes se terminatiuè, absq; hoc, quòd communicet illis ipsum diligere, vel formalitèr, vel effectiuè, quòd non potest verificari de sapientia genita, cum dicitur PATER SAPIENS: quia esse sapientem, sicut intelligentem, non includit in suo formali conceptu, cum sit aliquid essentiale, sapientiam genitam in ratione effectus, seu quasi effectus producti.

Ad quintum, Concedo Patrem, & Filium diligere creaturas Spiritu Sancto, si diligere sumatur notionalitèr, quantumcumque reclamet Scotus in 1.d.31. quòd expræssè concedit D.Tho. hic ad 3. & cùm eo Bonau. in 1.d.32. Art.1. Quæst.1. ad penu. argumentum Marsi. in 1. Quæst.35. Art.1. propositione 5. post responsiuam Conclusionem, & communitèr omnes interpraetes D.Tho. & ratio est: quia sicut Verbum dicit respectum rationis nō solùm ad Patrem, sed etiàm ad creaturas, ità Spiritus Sanctus dicit respectum rationis non solùm ad Patrem, & Filium, sed etiàm ad creaturas, vnde sicut Pater, se, & creaturas dicit Verbo, ità Pater, & Filius se, & creaturas diligunt Spiritu Sancto, ad quòd non requiritur quòd creaturæ ex necessitate absoluta coniungantur cum obiecto primario amato, sed satis est, quòd supposito, quòd sunt, non possint diligi alio amore, quam illo quo producitur Spiritus Sanctus.

Explicit Quæstio 37.

QVAE-

QVÆSTIO XXXVIII.

De nomine Spiritu Sancti, quod est Donum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Donum, sit nomen Personale.

Conclusio.

Diuinæ Personæ, competit donum esse, & dari.

DVBITATVR.

Vtrum Donum, sit nomen personale.



IDETVR, quòd non. Primò Nullum nomē personale conuenit essentiæ, vt essentia est, sed esse donum conuenit essentiæ, vt essentia est, Ergò, donum non est nomen personale. Probatur Min. ex illo Ioan. 10. quod dedit mihi Pater maius omnibus est, quē locum de essentia diuina exponit Conc. Lateran. c. Damnamus de Sum. Trin. &c. & ex Hyla. 8. de Trinitate.

Secundò, Nomen personale non conuenit, nisi vni Personæ, sed esse donum conuenit Deo, vt præintelligitur ante Personas, & omnibus Personis simul, Ergò. Probatur Min. ex illo Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus, quibus verbis significatur per gratiam dare se Deum, & omnes tres Personas simul, animæ gratæ, quatenus sunt in illa, & vt cognitum in cognoscente, & vt amatum in amante supernaturalitèr.

Tertiò Nullum nomen importans effectum in creatu est proprium alicuius Personæ, & consequentèr, nec personale, sed hoc nomen donum importat effectum in creatura, Ergò, Mai. patet: quia operatio ad

extra indiuisa est Trinitati, & communis tribus personis diuinis, Ergò, Nomen denotans huiusmodi operationẽ, & effectum ad extra, est commune omnibus illis, atq; adeò non proprium, & personale. Min. probatur: quia donum importat habitudinem ad creaturam, cui donatur, tamquam ad recipiẽtem, sed hoc non potest esse; sine reali mutatione ex parte creaturæ, Ergò importat effectum in creatura.

In contrarium est auctoritas D. Th.

PRo explicatione. Nota primò ex D. Th. & Cai. hic, tria importari nomine doni, scilicèt rem, qua donum denominatur, habitudinem ad principium, quod donat, aut donare potest, & habitudinem ad terminum, cui potest donari connotaturq; donationem huiusmodi gratuitam esse, & liberalem, vt auctor est Arist. 4. Thopic. Cap. 4. Sed (vt ipse loquitur) dationem indebilem: illud enim propriè donatur, quod liberalitèr tribuitur, & non propter aliquam recompensationem.

Nota secundo; Omnia hæc, posse in diuinis reperiri, & quidem, quòd Deus possit dici donum patet: Nàm est aptus donari, cum in hoc, quòd dicimus Deum donari, nulla inuoluatur imperfectio, nec enim dicitur donari posse, quasi possit sub alicuius dominio constitui, vel ab illo imperfectó modo possideri, sed quia potest incipere esse in aliquo modo quodam nouo, & speciali, qualitèr Deus dicitur iustis donari per gratiam: quia incipit esse in illis, vt obiectum intimæ cognitionis, & dilectionis supernaturalis, absq; aliqua mutatione sui, secundum denominationem extrinsecam à mutatione reali creaturarũ desumptam, & hinc infertur, duplicem illam habitudinem supra positam, & ad principium, quod potest donare, & ad terminum, cui donari potest, reperiri in Deo, si enim habet aptitudinem, vt donetur debet esse, vt ab aliquo donetur alicui, atquè adeò ad vtrumquè se habere, quod autèm donatio Dei posset esse gratuita, & liberalis ex eo patet, quòd Deus creaturis rationalibus, maximè donatur per gratiam.



His

His suppositis.


Dico. Hoc nomen DONVM in diuinis, & essentialitèr, & Personalitèr, dici potest secundum diuersas significationes.

HAec Conclusio est expresse D.Th. vt patet ex Caiet. dicente hic quòd quandò D.Th. quærit. Vtrum donum sit nomen personale, & respondet affirmatiuè, non intendit docere, quòd sit personale necessarium, sed possibilitèr. Et probatur: Nàm Donum in diuinis potest accipi, vt est dantis per idētitatem, iuxtà modū loquendi Aug. super Ioan. Quid tam tuum, quàm tu qualitèr conuenit essentiæ, quatenus Filio datur à Patre, cuius est per identitatem, & quatenus à Patre, & Filio simul, quorum est per identitatem datur Spiritu Sancto, quaiitèr etiam conuenit omnibus, & singulis personis diuinis, quæ sui esse dicuntur per quamdam identitatem, & liberè donans se per gratiam, & gloriam rationalibus creaturis. Et potest accipi, vt est alicuius per originem qualitèr conuenit Filio: ille enim est Patris per originem, tamquàm eius, à quo procedit, & ab illo hominibus datus est, vt illos redimeret, iuxtà illud Isaiæ 9. Filius datus est nobis, & Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret. Qualitèr etiam conuenit Spiritui Sancto, ille enim est Patris, & Filij per originem, tamquam illorum, à quibus procedit, & ab illis datus est hominibus, vt illos sanctificaret, iuxtà illud Paul. ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, & Ioan. 14. Alium paraclitum dabit vobis. Sed quòd conuenit essentiæ, & omnibus personis simul, & singulis seorsum, dicitur essentialitèr, & quòd conuenit vni personæ, vt ab alia distinguitur, dicitur Personalitèr, Ergò hoc nomen Donum in diuinis, & essentialitèr, & personaliter dici potest.

Et per hoc patet ad duo prima Argumenta in principio posita.

Ad tertium Respondeo; Nō esse inconueniens quominus, hoc nomē Donum sit personale, importans effectum in creaturā. Pro cuius intelligentia aduertendum est, duplicitèr posse aliquod nomen importare effectum in creaturā, & respectum ad ipsam. Vno modo inde terminatè, hoc est non determinando aliquid, quod peculiaritèr conueniat vni personæ, vt Creator, Saluator, & similia, & hæc talitèr sunt essentialia, ꝙ personalia dici non possunt. Alio verò modo determinatè,

nate, hoc est, determinando aliquid, quod peculiaritèr non conueniat vni personæ, & hæc, licèt quantùm ad illam operationem ad extra, & respectum communem essentialia dici possent: quia tamèn superaddunt aliquid, quod specialitèr conuenit vni personæ, dicuntur personalia, v. g. assumptio humanitatis, & incarnatio, dubiùm non est, quin importent actionem quamdam vnitiuam naturæ humanæ, cum Verbo, quæ actio, communis est tribus personis, & quantùm ad illam vtrumquè dicit aliquid essentiale, sed vltra illam actionem, importatur terminatio ipsius ad vnam personam, tamquam ad trahentem humanitatem ad se, & hæc terminatio peculiaritèr fit ad personam Filij, ideò humanitatis assumptio, & incarnatio, peculiaritèr dicuntur de Filio, qui solus dicitur assumere humanitatem, & incarnari eodem igitur modo, licèt donum importet aliquem effectũ in creatura, & quantùm ad hoc aliquid commune omnibus personis diuinis, & Consequentèr essentiale: tamèn, quia vltra hoc importat in Filio peculiarem habitudinem procedentis ad Patrem, & in Spiritu Sãcto peculiarem habitudinem procedentis à Patre, & Filio, ideò personalitèr dicitur de vtroq; licèt magis propriè de Spiritu Sancto, vt videbimus Art. sequenti.



ARTICV-

ARTICVLVS II.

Vtrum Donum, sit nomen proprium Spiritus Sancti.

Conclusio.

Donum personalitèr sumptum, in diuinis est proprium nomen Spiritus Sancti.

DVBITATVR.

An Conclusio sit vera.



VIDETVR quòd non. Primò. Vnius personæ est tantùm vna proprietas constitutiua, sed persona Spiritus Sancti, quæ est vna, constituitur proprietate processionis, quæ est alia à ratione doni, Ergò esse donum, non est proprietas Spiritus Sancti. Probatur Min. & quidem, quòd persona Spiritus Sancti constituatur proprietate processionis docet expresse D.Th. infrà Quæst. 40. Quòd autem proprietas processionis, sit alia à ratione Doni, probatur ex Aug. 19. de Trin. Cap. 19. dicente, quòd Spiritus Sanctus intantùm donum est Dei, inquantùm datur eis, quibus datur, apud se tamèn Deus est, etsi nemini detur.

Confirmatur. Si esse donum, esset proprietas constitutiua Spiritus Sancti, eius emanatio posset appellari datio. Sicut emanatio geniti dicitur generatiò. Consequens est contra Aug. 5. de Trin. Cap. 18. dicētem, quòd Spiritus Sanctus, non eò, quòd datur, habet, quòd sit Spiritus Sanctus, sed eo, quod procedit, quibus verbis innuit, quòd processio Spiritus Sancti, non sit datiò.

Secundò. Nullum ens rationis, potest constituere formalitèr ens reale, sed esse donum, est formalitèr ens rationis, Ergò non est proprie-

tas constitutiua Spiritus Sancti formalitèr, & Consequenter, Donum non est proprium nomen illius. Probatur Min. Omne, quod in diuinis dicitur secundũ relationem formalem ad creaturas, est formalitèr ens rationis, cum Deus non possit ad illam referri formalitèr, sed esse donum dicitur in diuinis secundum relationem formalem ad creaturas, quibus est donabile, Ergò est formaliter ens rationis.

Confirmatur. Omnis proprietas personalis conuenit diuinæ personæ ex vi suæ processionis, cum ex vi illius habeat, quòd sit talis personalitèr, sed esse donum, non potest cõuenire Spiritui Sancto ex vi suę processionis, Ergò non est proprietas personalis Spiritus Sancti. Probatur Min. quia id, quod est formalitèr ens rationis, nulli potest competere ex vi productionis realis.

Tertiò quælibet persona diuina intelligitur sufficcientèr constituta essentia, & proprietate antequam intelligantur creaturæ aliquo modo, ratio autèm Doni necessariò intelligitur cum ordine ad creaturas, cum non nisi in ordine ad illas intelligatur donabile in diuinis, Ergò antequam intelligatur Spiritus Sanctus esse donum, concipitur iã proprietate personali constitutus, ac per Consequens, ratio doni non potest ad proprietatem personalem formalitèr pertinere. Probatur Mai. duplicitèr.

Primò: quia quælibet persona diuina in suo completo esse considerata, est prior simplicitèr, quàm creaturæ, Ergò intelligitur sufficientèr constituta, antequàm intelligantur creaturæ.

Secundò creaturæ non possunt intelligi, nisi vt entia participata, Ergò necessariò in sui intellectione præsupponunt ens per essentiam, cuius sunt formales participationes, sed quælibet diuina persona, essentia, & proprietate formalitèr constituta, est ens per essentiam, Ergò, vt sic, præsupponitur intellecta ad intellectionem creaturarum.

Quartò. Quælibet proprietas personalis in diuinis, est notio, cum sit ratio cognoscendi vnam personam, vt ab alia distinctam, sed in Spiritu Sancto, non est nisi vnica notio, nempè processio, vt docet D. Th. suprà Quæst. 32. Art. 3. Ergò non est in illo, nisi vnica proprietas personalis, ac per Consequens, esse donum, nõ est proprietatis personalis ipsius, alias esset in Spiritu Sancto, duplex proprietas personalis, & duplex notio, scilicèt Processio per habitudinẽ ad Patrem, & Filium, & donum per habitudinẽ ad creaturas, Nec sufficit dicere, quòd processio, & donum, sunt idem secundum rem: Nàm innascibilitas, & Paternitas in Patre, sunt idem secundum rem, & tamèn sunt duæ notiones, secundum quòd, quatenùs ratione distinguuntur diuersimodè ex

vii pſarum ignoteſcit perſona Patris, vt docet D. Th. loco, modò citato, ſed perſona Spiritus Sancti alitèr innoteſcit ex vi proceſſionis, nempè in ordine ad ſuum principium, & alitèr ignoteſcit ex vi Doni, nempè in ordine ad creaturas, quibus dicitur poſſe donari, Ergò ſi eſſe donum, eſt proprietas Spiritus Sancti, cum ratione diſtinguatur à proceſſione, & vt ſic diſtincta, diuerſimodè notificet talem perſonam, erit diuerſa notio Spiritus Sancti.

Quintò. Quòd conuenit Duabus perſonis, non poteſt eſſe proprietas vnius, ſed eſſe donum conuenit Filio, vt diximus dub. Art. praecedentis, Concluſione vni. quaeſtione praecedenti, Ergò non eſt proprietas Spiritus Sancti, & Conſequentèr, hoc nomen Donum, non eſt nomen proprium illius.

Sed contra eſt authoritas D. Th.

In hoc dubio ſunt quatuor ſententiae.

PRima. Durandi d. 18. dicentis, Donum aequè propriè conuenire eſſentiae diuinae ſecundum, quòd donari poſſunt creaturae rationali, appropriari tamèn tertiae perſonae ſpecialitèr.

Secunda. Oshami, quem refert Marſilius in 1. Quaeſt. 21. Art. 1. notat. 3. aſſerentis, donum duplicitèr accipi poſſe. Vno modo pro eo, quòd gratis alicui poteſt donari, & ſic competere cuilibet perſonae diuinae.

Alio modo pro eo, quòd procedit ex vi amoris alicuius obiecti, non quia liberalitèr alicui debetur, & ſic competere Spiritui Sancto, non reſpectu creaturarum, quibus liberalitèr donatur, ſed reſpectu Patris, & Filij: quia eſt vtriuſq; mutuus amor. Eamdē ſententiam tenet Gab. in 1. d. 18. Quaeſt. vnica Art. 1. & 2. Concluſione prima, vbi docet, quòd Spiritus Sanctus eſt mutuus amor Patris in Filium, & Filij in Patrem, & eadem ratione, exiſtimat eſſentiam diuinam, eſſe donum Patris in Filium, cui ab aeterno donatur à Patre, & illi conſentit Capreol. eadem diſt. Quaeſt. 1.

Tertia. Scoti ibidem Quaeſt. vni. dicentis non conuenire Spiritui Sācto (ratione proprietatis perſonalis) eſſe donum, & vt defendat Auguſtinum, qui aliquibus docet in locis, Donum eſſe proprietatem Spiritus Sancti, ait donum Triplicitèr accipi poſſe. Primò pro eo, quòd liberalitèr procedit per actū amoris. Secundò pro mutuo amo-

re duorum, vel plurium. Tertiò pro eo, quòd liberaliter datur, & duobus primis modis inquit, esse donum, est proprietas Spiritus Sancti, non tamen tertiò modo.


Quarta Sententia est D. Th. hic, & in 1. d. 18. Quæst. 1. Art. 4. vbi docet, tertiam personam diuinam sua proprietate personali non esse, sed etiam donum, & eo, esse donum, quo Spiritus Sanctus, Sicut secunda persona eo est Verbum, quo est Filius diuinus, D. Th. sequntur Bonau. ibidem Quæst. 5. Capræol. Quæst. vni. ad 1. Argumentum secundi ordinis, & ad 2. & 6. Marsil. Quæst. 21. Art. 3. dub. 4.

Pro explicatione.

Dico primò. Ratio doni, nec essentiæ diuinæ conuenit per habitudinem ad diuinas Personas, nec diuinis Personis secuncundum habitudines intrinsecas, quas habent intèr se.

PRobatur primò. De ratione doni est, quòd sit suprà facultatem eius, cui potest donari, illud enim nobis donari dicitur, quod aliundè habemus, vt loquitur D. Th. Art. præcedenti, sed nec essentia diuina est suprà facultatem alicuius diuinæ personæ, nec vna diuina persona est suprà facultatem alterius, vt patet, Ergò nec essentia, nec persona, habet rationem doni per comparationem ad intrà.

Secundò. Teste Arist. 4. Thopi. Cap. 4. de ratione doni est, quòd gratuitò, & liberalitèr donetur, quòd explicuimus Art. præcedenti dub. vn. notab. 1. & per Consequens non debet ex aliqua necessitate prouenire, sed talis donatio esse non potest, nec intèr essentiam diuinam, & personas, nec intèr ipsas personas, si ad inuicem comparentur, Ergò; Probatur Min. quia Pater non liberè, sed necessariò, communicat Filio diuinam naturam, qualiter etiam Pater, & Filius simul communicant illam Spiritui Sãcto, & similiter omnis communicatio, quam diuinæ personæ habent inter se, est necessaria, & naturalis.



Dico

Dico secundò. Hoc nomen Donum, essentialitèr sumptum, non est proprium Spiritus Sancti, est tamèn proprium illius sumptum personalitèr, pro eo, quòd sua parte natura est Donum.

HAec Conclusio, quoad primam partem patet: Nàm vt diximus Art. præcedēti Donum, essentialitèr sumptum, dicitur de essentia diuina, & de omnibus, & singulis personis diuinis per habitudinem ad creaturas rationales, quatenùs liberè possunt ipsis communicare, Ergò in hac acceptione, non est proprium nomen Spiritus Sancti.

Dixi in secunda parte Conclusionis, esse proprium nomen Spiritus Sancti Donum sumptum personalitèr, pro eo, quòd sua parte natura Donum est.

Pro cuius explicatione est aduertendum, quòd, licèt Filius à Patre procedens secundum originem, & hominibus datus in redemptionē sit personalitèr donum iuxtà dicta Art. præcedenti, non tamèn est personalitèr donum, quòd sua parte natura habeat rationem doni, & ratio est: quia processio eius non habet ex se rationem donationis, cum non sit processio amoris, sed hāc habet ex adiuncto amore Patris iuxtà illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitū daret, at Spiritus Sanctus, à Patre, & Filio procedens secundum originem, & hominibus datus in Sanctificatorem, Ità donatur illis, quòd processio eius, habet ex se rationem donationis, cum sit processio amoris, & non ex voluntate aliqua, seu amore, sibi aduenienti, vndè est Donum ex vi suæ processionis, & Consequentèr sua parte natura, & hoc est, quòd dicimus esse proprietatem Spiritus Sancti. Hæc pars Cōclusionis, sic explicata probatur primò, auctoritate Aug. 4. de Trinitate Cap. 20. dicentis, sicut Spiritum Sanctum donum Dei, esse est à Patre procedere per voluntatem, ità nihil est cognosci, quòd ab illo procedat, vbi pro eodem reputat Spiritum Sanctum esse Donum, & procedere à Patre per voluntatem, sed à Patre sic procedere, est proprietas Spiritus Sancti, Ergò, & esse donum; idem docet. 5. de Trinit. Cap. 11.

Secundò. Auctoritate D. Th. in 1. d. 18. Quæst. 1. Art. 4. dicentis. Si processio sumatur pro relatiua proprietate Spiritus Sancti, processione habet esse donum, sed non esse Deum, quia proprietate relatiua non est Deus, sed essentia est Deus, si verò processio accipiatur pro

origine per eam habet vtrumq; scilicèt esse donum: quia per eam habet, vt talis procedat, & esse Deum: quia per eam habet communicatam essentiam, qua Deus est.

Tertiò, ratione, Quandò res aliqua non solùm est donabilis, sed etiàm intrinsecè includit, amorem singulari modo dicitur donum, sed Spiritus Sanctus, ex vi suæ processionis habet, non solùm esse donabilẽ à producente, quòd etiàm habet Filius, sed etiam habet esse amorem simul, Ergò singulariter includit rationem doni. Mai. patet: Nàm cũ amor sit propensio in rem amatam, est primum, & maximum donum vt potè ratio donandi alia. Minor est certa, & constat ex dictis suprà Quæst. 27. Art. 3. & 4. &c. Nec refert quòd Pater etiàm, & Filius includat in suo esse amorem: quia Pater includit sine processione aliqua à principio, & Filius includit non ex vi processionis formalitèr, sed concomitantèr at verò Spiritus Sanctus, ex vi suæ processionis, includit formalissimè, quòd sit amor, & consequentèr, quòd sit Donum substantialiter, & hoc dicimus esse proprium ipsius.

Ad argumentum primum Respondeo, quòd eadem proprietas importatur, & nomine doni, & nomine processionis, cùm amor sit primum donum, vndè procedere per modum doni, & procedere per modum amoris, idem formalissimè est. Nec hoc negat Aug. Nàm: sicut Spiritus Sanctus est Deus, & si nemini detur, ità etiàm est donum, quo ad essentiam (etiàm si nemini detur) ex eo, quòd sua parte, natura donabilis est, vndè cum dicit, Spiritum Sanctum in tantùm donum Dei esse, inquantum datur, eis, quibus datur loquitur de dono quantùm, ad exercitium doni, non quantùm ad essentiam.

Ad Confirmationem, Nego Mai. nec valet similitudo de genito: quia generatio non dicit quid temporale, sicut donatio, si autèm donatio sumatur sine tali respectu temporali, vt potest sumi ex eo, quòd non habemus nomina ad exprimendum illa, quæ pertinent ad emanationem voluntatis, sicut habemus ad exprimendum illam, quæ spectant ad emanationem intellectus, benè potest concedi Mai. nec est contrà Aug. ille enim loquitur de donatione, vt importat respectum rationis ad creaturam in tempore recipientem.

Ad secundum Respondeo, quòd licèt nullum ens rationis posset cõstituere personam Spiritu Sancti, tamèn aliquid, de cuius ratione est in obliquo respectus rationis, potest constituere talem personam. huiusmodi est donum, & sic conceditur, quòd respectus ille rationis, qui nomine doni importatur ad creaturas, non constituit Spiritum Sanctum, sed consequitur rationem constitutiuam ipsius: non enim po-

test

test intelligi Spiritus Sanctus, personalitèr constitutus, nisi cointellecto tali respectu.

Ad Confirmationem Respondeo, quod licèt ens rationis, non possit alicui competere ex vi productionis realis, tamquàm terminus per se primò productus; bene tamèn potest competere ipsi, tamquàm aliquid Consequens primarium terminum, & eius productionem, qualiter ex vi creationis conuenit Deo, consequenter esse dominum, & Verbo diuino, ex vi assumptionis humanitatis, conuenit consequentèr esse vnitum, Itá in præsentiarum respectus iste rationis, qué donum pro formali dicit ad creaturas conuenit Spiritui Sancto, ex vi suæ productionis, non tãquàm terminus primarius, sed tamquàm vi continens terminum primarium productum.

Ad tertium Respondeo, quòd sicut in ratione Verbi includitur respectus ad creaturas, itá in ratione doni, quare sicut esse Verbum, non obstante respectu illo rationis, est proprietas Filij, itá nec respectus rationis inclusus formalitèr in Donum, obstat, quominùs Donum sit proprietas Spiritus Sancti, esse autèm Verbum, itá constituitur proprietas Filij, vt antequàm denotet respectum ad creaturas, etiàm possibiles, constituat personam, vel saltim (in omnium sententia) ante quàm actu respiciat creaturas futuras, quarum nihilominùs dicitur Verbum, vndè sicut Filius constituitur proprietate Verbi, antequàm sit actu Verbum creaturarum per hoc solùm, quòd est Verbum Patris, & talis proprietatis in se, vt si creaturæ sint possibiles, vel futuræ, earum etiàm sit Verbum, Eodem modo Spiritus Sanctus, constituitur in ratione Doni, proprietate personali, non quatenus actu includit respectum ad creaturas etiàm possibiles, iste enim respectus est rationis, sed quatenus ex se, talis exit á Patre, & Filio per voluntatem, vt si possibiles sint creaturæ, eis donari possit, quare proprietas Spiritus Sancti, non est donum formalitèr sub expræssa ratione Doni, sed vt logicè dicitur, fundamentalitèr, hoc est fundamentum doni, quòd est tali amore produci, est proprietas Spiritus Sancti. Per hocque patet ad duas probationes adductas, concedimus namquę prius intelligi personam Spiritus Sancti, constitutam essentia, & proprietate, quàm intelligantur creaturæ, sed in illo priore licèt, non intelligatur respectus ad creatutas formalitèr, intelligitur tamèn fundamentalitèr.

Ad quartum Respondeo, Notiones diuinas, cum sint rationes dignoscendi diuinas personas, vt ad inuicem distinctas, debere distingui secundùm diuersos respectus, in ordine ad se, non in ordine ad creaturas, vndè quemadmodùm esse Filium, & esse Verbum, non sunt

distinctę notiones in secunda persona Sanctissimæ Trinitatis: quia esse Verbum, suprà esse Filium, solùm addit respectum rationis ad creaturas, ità processio, & donum, non sunt distinctæ notiones Spiritus Sancti: quia donum solùm addit super processionem, respectum rationis ad creaturas: Paternitas autèm, licèt sola ratione ab innascibilitate distinguantur in Patre, addit super illam respectum quēdam ad intra. Nempe ad Filium, vndè est notio distincta ab innascibilitate, sed de hoc latius suprà Quæst. 22. Art. 3.

Ad quintum Respondeo, quòd licèt Filio, vt ab essentia, alijsq; personis distincto, conueniat personalitèr esse Donum, secundum quòd datur hominibus, tamquàm aliquid procedens à Patre, cuius est secūdum originem, ratione tamen, quare Filius datur, est Spiritus Sanctus cum sua processio, vt potè per modum amoris, sit ratio omnis creatæ processionis, & omnis donationis, inquantùm includit essentiale attributum, quòd est amor, seu donum, vnde Spiritui Sancto, dumtaxat conuenit esse donum sua parte natura, tamquàm proprietas ipsius, Filio autem conuenit esse donum, quasi accidentariò, cùm hoc non conueniat ipsi ex vi suæ processionis, sed aliunde.

Explicit Quæstio 38.



QVAE-

QVÆSTIO XXXIX.

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in diuinis essentia, sit idem, quòd Persona.

Conclusio.

Essentia est idem, quòd Persona. Ipsæ tamen Personæ inter se distinguuntur realitèr.



HAEC Conclusio, quoad vtramq; partem est de fide. Prima pars est diffinita in Cōcilio Rhemensi, sub Eugenio 3. cōtra Gilbertum, deinde in Concil. Lateranen. Cap. Damnamus, diffinitum est, non esse in Deo quaternitatem, idest numerum quaternarium rerum, qui necessariò sequebatur ex sententia Gilberti, cum diceret proprietates personales esse tres inter se, & ab essentia distinctas. Et deniq; cōstat ex communi proloquio Theologorum, in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiāt relationis oppositio.

Secunda pars patet ex illo Matthæi vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Io. 15. cum venerit paraclitus, quē ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, vbi denotatur distinctio Spiritus Sancti à Patre, & Filio, per hoc quòd dicitur missus ab vtroq; & per hoc, quòd denotat Filius, se virtutem accepisse à Patre, mittendo Spiritum Sanctum, ostenditur distinctio inter

ter Patrem, & Filium. Est etiàm diffinita hæc pars in omnibus Concilijs generalibus post Nicenum, in quibus omnibus, recipitur Simbolũ continens istam distinctionem. Vtraq; pars simul conuincitur ex illo primæ Io. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.

Circa istam Conclusionem posset disputari primò, An diuina Persona distinguatur ex natura rei ab essentia. Secundò, An diuinæ Personæ formalitèr, & actualitèr, includantur in essentia, & includant illam. Sed Vtraq; Quæstio disputatur suprà Quæst. 28. Art. 2. Nàm quòd ibi dictum est, de relationibus, & essentia, idem dicendum est hic de Personis, & essentia, cùm personæ diuinæ relationibus constituantur.

ARTICVLVS II.

Vtrum sit dicendum, tres Personas esse vnius essentiæ.

Conclusio.

Vna essentia dicitur esse trium Personarum, & tres Personæ vnius essentiæ.



IN omnibus tribus personis esse eãdem numero essentiam, est certum secundum fidem, vt patet ex illo Io. 10. Ego, & Pater vnum sumus. Vnde Damasus Papa in expositione de fide ad Paulinum ait. Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnam diuinitatem, potestatem, & Maiestatem, anathema sit. & ratio manifesta est, Nàm si multiplicarentur deitates, multiplicarentur & Dij, quòd est contrà fundamentum fidei. Ergò &c. Sequela patet, quia ad multiplicationẽ substantiui, nil aliud requiritur, quàm multiplicatio suppositorum, & naturarum. Nàm ideò Petrus, & Paulus, sunt duo homines, quia sunt duo supposita habentia humanitates distinctas, Ergo si tres Personæ diuinæ, haberent distin-

distinctas deitates, siuè essentias saltem numero distinctas, essent tres Dij. Ergò, tres Personæ diuinæ, habent eamdem numero essentiam. Qui modus loquendi habetur in 6. Synodo generali act. 4. & 11. vbi habetur, Trinitatem vnius essentiæ, virtutis maiestatis, & naturæ confitemur; qualitèr etiam loquitur Aug. 3. contra Maximinum, Cap. 14. ex quo patet, quàm intolerabiles sint hæreses Arij, & sequentium, asserentium Personam Filij, non esse eiusdem dignitatis, & substantiæ ... Patre, sed esse creaturam Deo inferiorem, vt refert Nicesorus lib. ...ilius codex habet) lib. 6. cap. 9. Tùm etiàm Macedoniano... refert Philaster lib. de hæresibus, asserunt, Spiritum San... se naturæ diuinæ, & consequentèr, non esse Patri, & Filio ...tialem.

...s primæ hæresis obiiciunt primò Verba Ignatii, in episto... ...etianos, dicentis de Filio sic, vnum, & solùm verùm Patrē ...untiauit. Ergò, secundum Ignatium, solus Pater est verus ...undò obiiciunt, eumdem Ignatium in Epistola ad Iarsenses, ... de Christo, quòd non est ipse ille, qui est super omnia Deus, ...s ipsius. Ergò sentit Filium Dei, non esse Deum super omnia. ...r Auctores secundæ hæresis obiiciunt. Primò, quòd in scriptu... ...itus Sanctus nūquàm Deus appellatur. Ergò nō est verè Deus. ...ò, obiiciunt illud Io: 1. omnia per ipsum facta sunt, idest per ...m. Ergò Spiritus Sanctus, etiàm est factus per Verbum. Ergò ...t Deus.

... primam obiectionem, pro prima hæresi Respondetur, particu... ...illam (solum) sinistri interpretantur hæretici, ea enim refertur ... Deum, quem solum, & verum, Ignatius appellat, vt excludat alios ...eos, sed non refertur ad Patrem, vt excludat aliam Personam in ea... ...em natura. exemplum est Io. 17. vt cognoscant te solum Deum ve... ...um, & quem misisti Iesum Christum, vbi particula (solùm) non ex... ...ludit à cognitione aliàs Personas à Patre, sed excludit solùm alios Deos.

Ad secundum Respondetur, non negare Ignatium, Filium Dei esse Deum super omnia, cū postea (paucis interiectis), dicat de decimo illum non esse purum hominem, sed intendit illum à Patre suppositalitèr distingui, & ideò consultò non dixit de Filio, quòd non est Deus super omnia, sed cum pronomine demonstratiuo, quòd non est ille, qui est super omnia Deus. Vnde illo pronomine, ille Personā Patris demonstrat.

Ad primam obiectionem secundæ hæresis. Respondetur, negando Ante-

eas constitutiua Spiritus Sancti formalitèr, & Consequenter, Donum non est proprium nomen illius. Probatur Min. Omne, quod in diuinis dicitur secundū relationem formalem ad creaturas, est formalitèr ens rationis, cum Deus non possit ad illam referri formalitèr, sed esse donum dicitur in diuinis secundum relationem formalem ad creaturas, quibus est donabile, Ergò est formaliter ens rationis.

Confirmatur. Omnis proprietas personalis conuenit diuinæ personæ ex vi suæ processionis, cum ex vi illius habeat, quòd sit talis personalitèr, sed esse donum, non potest cōuenire Spiritui Sancto ex vi suę processionis, Ergò non est proprietas personalis Spiritus Sancti. Probatur Min. quia id, quod est formalitèr ens rationis, nulli potest competere ex vi productionis realis.

Tertiò quælibet persona diuina intelligitur sufficcientèr constituta essentia, & proprietate antequam intelligantur creaturæ aliquo modo, ratio autèm Doni necessariò intelligitur cum ordine ad creaturas, cum non nisi in ordine ad illas intelligatur donabile in diuinis, Ergò antequam intelligatur Spiritus Sanctus esse donum, concipitur iā proprietate personali constitutus, ac per Consequens, ratio doni non potest ad proprietatem personalem formalitèr pertinere. Probatur Mai. duplicitèr.

Primò: quia quælibet persona diuina in suo completo esse considerata, est prior simplicitèr, quàm creaturæ, Ergò intelligitur sufficientèr constituta, antequàm intelligantur creaturæ.

Secundò creaturæ non possunt intelligi, nisi vt entia participata, Ergò necessariò in sui intellectione præsupponunt ens per essentiam, cuius sunt formales participationes, sed quælibet diuina persona, essentia, & proprietate formalitèr constituta, est ens per essentiam, Ergò, vt sic, præsupponitur intellecta ad intellectionem creaturarum.

Quartò. Quælibet proprietas personalis in diuinis, est notio, cum sit ratio cognoscendi vnam personam, vt ab alia distinctam, sed in Spiritu Sancto, non est nisi vnica notio, nempè processio, vt docet D. Th. suprà Quæst. 32. Art. 3. Ergò non est in illo, nisi vnica proprietas personalis, ac per Consequens, esse donum, nō est proprietatis personalis ipsius, alias esset in Spiritu Sancto, duplex proprietas personalis, & duplex notio, scilicèt Processio per habitudinē ad Patrem, & Filium, & donum per habitudinē ad creaturas, Nec sufficit dicere, quòd processio, & donum, sunt idem secundum rem: Nàm innascibilitas, & Paternitas in Patre, sunt idem secundum rem, & tamèn sunt duæ notiones, secundum quòd, quatenùs ratione distinguuntur diuersimodè ex

vi

vii ipsarum ignotescit persona Patris, vt docet D.Th.loco, modò citato, sed persona Spiritus Sancti alitèr innotescit ex vi processionis, nempè in ordine ad suum principium, & alitèr ignotescit ex vi Doni, nempè in ordine ad creaturas, quibus dicitur posse donari, Ergò si esse donum, est proprietas Spiritus Sancti, cum ratione distinguatur à processione, & vt sic distincta, diuersimodè notificet talem personam, erit diuersa notio Spiritus Sancti.

Quintò. Quòd conuenit Duabus personis, non potest esse proprietas vnius, sed esse donum conuenit Filio, vt diximus dub. Art. præcedentis, Conclusione vni. quæstione præcedenti, Ergò non est proprietas Spiritus Sancti, & Consequentèr, hoc nomen Donum, non est nomen proprium illius.

Sed contra est authoritas D.Th.

In hoc dubio sunt quatuor sententiæ.

PRima. Durandi d. 18. dicentis, Donum æquè propriè conuenire essentiæ diuinæ secundum, quòd donari possunt creaturæ rationali, appropriari tamèn tertiæ personæ specialitèr.

Secunda. Oshami, quem refert Marsilius in 1. Quæst. 21. Art. 1. notat. 3. asserentis, donum duplicitèr accipi posse. Vno modo pro eo, quòd gratis alicui potest donari, & sic competere cuilibet personæ diuinæ.

Alio modo pro eo, quòd procedit ex vi amoris alicuius obiecti, non quia liberalitèr alicui debetur, & sic competere Spiritui Sancto, non respectu creaturarum, quibus liberalitèr donatur, sed respectu Patris, & Filij: quia est vtriusq; mutuus amor. Eamdē sententiam tenet Gab. in 1. d. 18. Quæst. vnica Art. 1. & 2. Conclusione prima, vbi docet, quòd Spiritus Sanctus est mutuus amor Patris in Filium, & Filij in Patrem, & eadem ratione, existimat essentiam diuinam, esse donum Patris in Filium, cui ab æterno donatur à Patre, & illi consentit Capreol. eadem dist. Quæst. 1.

Tertia. Scoti ibidem Quæst. vni. dicentis non conuenire Spiritui Sācto (ratione proprietatis personalis) esse donum, & vt defendat Augustinum, qui aliquibus docet in locis, Donum esse proprietatem Spiritus Sancti, ait donum Triplicitèr accipi posse. Primò pro eo, quòd liberalitèr procedit per actū amoris. Secundò pro mutuo amo-

re duorum, vel plurium. Tertiò pro eo, quòd liberaliter datur, & duobus primis modis inquit, esse donum, est proprietas Spiritus Sancti, non tamen tertiò modo.


Quarta Sententia est D. Th. hic, & in 1. d. 18. Quæst. 1. Art. 4. vbi docet, tertiam personam diuinam sua proprietate personali non esse, sed etiam donum, & eo, esse donum, quo Spiritus Sanctus, Sicut secunda persona eo est Verbum, quo est Filius diuinus, D. Th. sequuntur Bonau. ibidem Quæst. 5. Capræol. Quæst. vni. ad 1. Argumentum secundi ordinis, & ad 2. & 6. Marsil. Quæst. 21. Art. 3. dub. 4.

Pro explicatione.

Dico primò. Ratio doni, nec essentiæ diuinæ conuenit per habitudinem ad diuinas Personas, nec diuinis Personis secuncundum habitudines intrinsecas, quas habent intèr se.

PRobatur primò. De ratione doni est, quòd sit suprà facultatem eius, cui potest donari, illud enim nobis donari dicitur, quod aliundè habemus, vt loquitur D. Th. Art. præcedenti, sed nec essentia diuina est suprà facultatem alicuius diuinæ personæ, nec vna diuina persona est suprà facultatem alterius, vt patet, Ergò nec essentia, nec persona, habet rationem doni per comparationem ad intrà.

Secundò. Teste Arist. 4. Thopi. Cap. 4. de ratione doni est, quòd gratuitò, & liberalitèr donetur, quòd explicuimus Art. præcedenti dub. vn. notab. 1. & per Consequens non debet ex aliqua necessitate prouenire, sed talis donatio esse non potest, nec intèr essentiam diuinam, & personas, nec intèr ipsas personas, si ad inuicem comparentur, Ergò; Probatur Min. quia Pater non liberè, sed necessariò, communicat Filio diuinam naturam, qualiter etiam Pater, & Filius simul communicant illam Spiritui Sãcto, & similiter omnis communicatio, quam diuinæ personæ habent inter se, est necessaria, & naturalis.



Dico

Dico secundò. Hoc nomen Donum, essentialitèr sumptum, non est proprium Spiritus Sancti, est tamèn proprium illius sumptum personalitèr, pro eo, quòd sua parte natura est Donum.

HAec Conclusio, quoad primam partem patet: Nàm vt diximus Art.præcedēti Donum, essentialitèr sumptum, dicitur de essentia diuina, & de omnibus, & singulis personis diuinis per habitudinem ad creaturas rationales, quatenùs liberè possunt ipsis communicare, Ergò in hac acceptione, non est proprium nomen Spiritus Sancti.

Dixi in secunda parte Conclusionis, esse proprium nomen Spiritus Sancti Donum sumptum personalitèr, pro eo, quòd sua parte natura Donum est.

Pro cuius explicatione est aduertendum, quòd, licèt Filius à Patre procedens secundum originem, & hominibus datus in redemptionē sit personalitèr donum iuxtà dicta Art.præcedenti, non tamèn est personalitèr donum, quòd sua parte natura habeat rationem doni, & ratio est: quia processio eius non habet ex se rationem donationis, cum non sit processio amoris, sed hāc habet ex adiuncto amore Patris iuxtà illud Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum Vnigenitū daret, at Spiritus Sanctus, à Patre, & Filio procedens secundum originem, & hominibus datus in Sanctificatorem, Ità donatùr illis, quòd processio eius, habet ex se rationem donationis, cum sit processio amoris, & non ex voluntate aliqua, seu amore, sibi aduenienti, vndè est Donum ex vi suæ processionis, & Consequentèr sua parte natura, & hoc est, quòd dicimus esse proprietatem Spiritus Sancti. Hæc pars Cōclusionis, sic explicata probatur primò, auctoritate Aug. 4. de Trinitate Cap. 20. dicentis, sicut Spiritum Sanctum donum Dei, esse est à Patre procedere per voluntatem, ità nihil est cognosci, quòd ab illo procedat, vbi pro eodem reputat Spiritum Sanctum esse Donum, & procedere à Patre per voluntatem, sed à Patre sic procedere, est proprietas Spiritus Sancti, Ergò, & esse donum; idem docet. 5. de Trinit. Cap. 11.

Secundò. Auctoritate D. Th. in 1. d. 18. Quæst. 1. Art. 4. dicentis. Si processio sumatur pro relatiua proprietate Spiritus Sancti, processione habet esse donum, sed non esse Deum, quia proprietate relatiua non est Deus, sed essentia est Deus, si verò processio accipiatur pro

origine per eam habet vtrumq; scilicèt esse donum: quia per eam habet, vt talis procedat, & esse Deum: quia per eam habet communicatam essentiam, qua Deus est.

Tertiò, ratione, Quandò res aliqua non solùm est donabilis, sed etiàm intrinsecè includit, amorem singulari modo dicitur donum, sed Spiritus Sanctus, ex vi suæ processionis habet, non solùm esse donabilē à producente, quòd etiàm habet Filius, sed etiam habet esse amorem simul, Ergò singulariter includit rationem doni. Mai. patet: Nàm cū amor sit propensio in rem amatam, est primum, & maximum donum vt potè ratio donandi alia. Minor est certa, & constat ex dictis suprà Quæst. 27. Art. 3. & 4. &c. Nec refert quòd Pater etiàm, & Filius includat in suo esse amorem: quia Pater includit sine processione aliqua à principio, & Filius includit non ex vi processionis formalitèr, sed concomitantèr at verò Spiritus Sanctus, ex vi suæ processionis, includit formalissimè, quòd sit amor, & consequentèr, quòd sit Donum substantialiter, & hoc dicimus esse proprium ipsius.

Ad argumentum primum Respondeo, quòd eadem proprietas importatur, & nomine doni, & nomine processionis, cùm amor sit primum donum, vndè procedere per modum doni, & procedere per modum amoris, idem formalissimè est. Nec hoc negat Aug. Nàm: sicut Spiritus Sanctus est Deus, & si nemini detur, ità etiàm est donum, quo ad essentiam (etiàm si nemini detur) ex eo, quòd sua parte, natura donabilis est, vndè cum dicit, Spiritum Sanctum in tantùm donum Dei esse, inquantum datur, eis, quibus datur loquitur de donoquantùm, ad exercitium doni, non quantùm ad essentiam.

Ad Confirmationem, Nego Mai. nec valet similitudo de genito: quia generatio non dicit quid temporale, sicut donatio, si autèm donatio sumatur sine tali respectu temporali, vt potest sumi ex eo, quòd non habemus nomina ad exprimendum illa, quæ pertinent ad emanationem voluntatis, sicut habemus ad exprimendum illam, quæ spectant ad emanationem intellectus, benè potest concedi Mai. nec est contrà Aug. ille enim loquitur de donatione, vt importat respectum rationis ad creaturam in tempore recipientem.

Ad secundum Respondeo, quòd licèt nullum ens rationis posset cōstituere personam Spiritu Sancti, tamèn aliquid, de cuius ratione est in obliquo respectus rationis, potest constituere talem personam. huiusmodi est donum, & sic conceditur, quòd respectus ille rationis, qui nomine doni importatur ad creaturas, non constituit Spiritum Sanctum, sed consequitur rationem constitutiuam ipsius: non enim po-

test

test intelligi Spiritus Sanctus, personalitèr constitutus, nisi cointellecto tali respectu.

Ad Confirmationem Respondeo, quod licèt ens rationis, non possit alicui competere ex vi productionis realis, tamquàm terminus per se primò productus; bene tamèn potest competere ipsi, tamquàm aliquid Consequens primarium terminum, & eius productionem, qualiter ex vi creationis conuenit Deo, consequenter esse dominum, & Verbo diuino, ex vi assumptionis humanitatis, conuenit consequentèr esse vnitum, Ità in præsentiarum respectus iste rationis, quẽ donum pro formali dicit ad creaturas conuenit Spiritui Sancto, ex vi suæ productionis, non tãquàm terminus primarius, sed tamquàm vi continens terminum primarium productum.

Ad tertium Respondeo, quòd sicut in ratione Verbi includitur respectus ad creaturas, ità in ratione doni, quare sicut esse Verbum, non obstante respectu illo rationis, est proprietas Filij, ità nec respectus rationis inclusus formalitèr in Donum, obstat, quominùs Donum sit proprietas Spiritus Sancti, esse autèm Verbum, ità constituitur proprietas Filij, vt antequàm denotet respectum ad creaturas, etiàm possibiles, constituat personam, vel saltim (in omnium sententia) ante quàm actu respiciat creaturas futuras, quarum nihilominùs dicitur Verbum, vndè sicut Filius constituitur proprietate Verbi, antequàm sit actu Verbum creaturarum per hoc solùm, quòd est Verbum Patris, & talis proprietatis in se, vt si creaturæ sint possibiles, vel futuræ, earum etiàm sit Verbum, Eodem modo Spiritus Sanctus, constituitur in ratione Doni, proprietate personali, non quatenus actu includit respectum ad creaturas etiàm possibiles, iste enim respectus est rationis, sed quatenus ex se, talis exit à Patre, & Filio per voluntatem, vt si possibiles sint creaturæ, eis donari possit, quare proprietas Spiritus Sancti, non est donum formalitèr sub expræssa ratione Doni, sed vt logicè dicitur, fundamentalitèr, hoc est fundamentum doni, quòd est tali amore produci, est proprietas Spiritus Sancti. Per hocque patet ad duas probationes adductas, concedimus namque prius intelligi personam Spiritus Sancti, constitutam essentia, & proprietate, quàm intelligantur creaturæ, sed in illo priore licèt, non intelligatur respectus ad creatutas formalitèr, intelligitur tamèn fundamentalitèr.

Ad quartum Respondeo, Notiones diuinas, cum sint rationes dignoscendi diuinas personas, vt ad inuicem distinctas, debere distingui secundùm diuersos respectus, in ordine ad se, non in ordine ad creaturas, vndè quemadmodùm esse Filium, & esse Verbum, non sunt

distinctę notiones in secunda persona Sanctissimæ Trinitatis: quia esse Verbum, suprà esse Filium, solùm addit respectum rationis ad creaturas, ità processio, & donum, non sunt distinctæ notiones Spiritus Sancti: quia donum solùm addit super processionem, respectum rationis ad creaturas: Paternitas autèm, licèt sola ratione ab innascibilitate distinguantur in Patre, addit super illam respectum quẽdam ad intra. Nempe ad Filium, vndè est notio distincta ab innascibilitate, sed de hoc latius suprà Quæst. 22. Art. 3.

Ad quintum Respondeo, quòd licèt Filio, vt ab essentia, alijsq; personis distincto, conueniat personalitèr esse Donum, secundum quòd datur hominibus, tamquàm aliquid procedens à Patre, cuius est secũdum originem, ratione tamen, quare Filius datur, est Spiritus Sanctus cum sua processio, vt potè per modum amoris, sit ratio omnis creatæ processionis, & omnis donationis, inquantùm includit essentiale attributum, quòd est amor, seu donum, vnde Spiritui Sancto, dumtaxat conuenit esse donum sua parte natura, tamquàm proprietas ipsius, Filio autem conuenit esse donum, quasi accidentariò, cùm hoc non conueniat ipsi ex vi suæ processionis, sed aliunde.

Explicit Quæstio 38.



QVÆSTIO XXXIX.

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in diuinis essentia, sit idem, quòd Persona.

Conclusio.

Essentia est idem, quòd Persona. Ipsæ tamen Personæ inter se distinguuntur realitèr.



HAEC Conclusio, quoad vtramq; partem est de fide. Prima pars est diffinita in Cōcilio Rhemensi, sub Eugenio 3. cōtra Gilbertum, deinde in Concil. Lateranen. Cap. Damnamus, diffinitum est, non esse in Deo quaternitatem, idest numerum quaternarium rerum, qui necessariò sequebatur ex sententia Gilberti, cum diceret proprietates personales esse tres inter se, & ab essentia distinctas. Et deniq; cōstat ex communi proloquio Theologorum, in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio.

Secunda pars patet ex illo Matthæi vlt. Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & Io. 15. cum venerit paraclitus, quē ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, vbi denotatur distinctio Spiritus Sancti à Patre, & Filio, per hoc quòd dicitur missus ab vtroq; & per hoc, quòd denotat Filius, se virtutem accepisse à Patre, mittendo Spiritum Sanctum, ostenditur distinctio in-

ter Patrem, & Filium. Est etiàm diffinita hæc pars in omnibus Concilijs generalibus post Nicenum, in quibus omnibus, recipitur Simbolũ continens istam distinctionem. Vtraq; pars simul conuincitur ex illo primæ Io. 5. Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt.

Circa istam Conclusionem posset disputari primò, An diuina Persona distinguatur ex natura rei ab essentia. Secundò, An diuinæ Personæ formalitèr, & actualitèr, includantur in essentia, & includant illam. Sed Vtraq; Quæstio disputatur suprà Quæst. 28. Art. 2. Nàm quòd ibi dictum est, de relationibus, & essentia, idem dicendùm est hic de Personis, & essentia, cùm personæ diuinæ relationibus constituantur.

ARTICVLVS II.

Vtrum sit dicendum, tres Personas esse vnius essentiæ.

Conclusio.

Vna essentia dicitur esse trium Personarum, & tres Personæ vnius essentiæ.



IN omnibus tribus personis esse eãdem numero essentiam, est certum secundum fidem, vt patet ex illo Io. 10. Ego, & Pater vnum sumus, Vnde Damasus Papa in expositione de fide ad Paulinum ait. Si quis non confitetur Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vnam diuinitatem, potestatem, & Maiestatem, anathema sit. & ratio manifesta est, Nàm si multiplicarentur deitates, multiplicarentur & Dij, quòd est contrà fundamentum fidei. Ergò &c. Sequela patet, quia ad multiplicationẽ substantiui, nil aliud requiritur, quàm multiplicatio suppositorum, & naturarum. Nàm ideò Petrus, & Paulus, sunt duo homines, quia sunt duo supposita habentia humanitates distinctas. Ergo si tres Personæ diuinæ, haberent distin-

distinctas deitates, siuè essentias saltem numero distinctas, essent tres Dij. Ergò, tres Personæ diuinæ, habent eamdem numero essentiam. Qui modus loquendi habetur in 6.Synodo generali act. 4. & 11. vbi habetur, Trinitatem vnius essentiæ, virtutis maiestatis, & naturæ confitemur; qualitèr etiam loquitur Aug.3.contra Maximinum, Cap.14. ex quo patet, quàm intolerabiles sint hæreses Arij, & sequentium, asserentium Personam Filij, non esse eiusdem dignitatis, & substantiæ cum Patre, sed esse creaturam Deo inferiorem, vt refert Niceforus lib. 9.cap.17.(alius codex habet) lib.6.cap.9. Tùm etiàm Macedonianorum. qui, vt refert Philaster lib. de hæresibus, asserunt, Spiritum Sanctum non esse naturæ diuinæ, & consequentèr, non esse Patri, & Filio consubstantialem.

Auctores primę hæresis obiiciunt primò Verba Ignatii, in epistola ad Magnetianos, dicentis de Filio sic, vnum, & solùm verùm Patrē suum annuntiauit. Ergò, secundum Ignatium, solus Pater est verus Deus. Secundò obiiciunt, eumdem Ignatium in Epistola ad Iarsenses, dicentem de Christo, quòd non est ipse ille, qui est super omnia Deus, sed Filius ipsius. Ergò sentit Filium Dei, non esse Deum super omnia. Similitèr Auctores secundæ hæresis obiiciunt. Primò, quòd in scripturis, Spiritus Sanctus nūquàm Deus appellatur. Ergò nō est verè Deus. Secundò, obiiciunt illud Io: 1. omnia per ipsum facta sunt, idest per Verbum. Ergò Spiritus Sanctus, etiàm est factus per Verbum. Ergò non est Deus.


Ad primam obiectionem, pro prima hæresi Respondetur, particulam illam (solum) sinistri interprætantur hæretici, ea enim refertur ad Deum, quem solum, & verum, Ignatius appellat, vt excludat alios Deos, sed non refertur ad Patrem, vt excludat aliam Personam in eadem natura. exemplum est Io. 17. vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum, vbi particula (solùm) non excludit à cognitione aliàs Personas à Patre, sed excludit solùm alios Deos.

Ad secundum Respondetur, non negare Ignatium, Filium Dei esse Deum super omnia, cū postea (paucis interiectis), dicat de decimo illum non esse purum hominem, sed intendit illum à Patre suppositalitèr distingui, & ideò consultò non dixit de Filio, quòd non est Deus super omnia, sed cum pronomine demonstratiuo, quòd non est ille, qui est super omnia Deus. Vnde illo pronomine, ille Personā Patris demonstrat.

Ad primam obiectionem secundæ hæresis. Respondetur, negando Ante-

Antecedens. Falsum enim est, quòd Spiritus Sanctus, numquam in Sacris litteris Deus nominetur, vt patet Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei. & ad Titū. 3. Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti, ex quibus locis optimè arguit Nazianzenus, pro diuinitate Spiritus Sancti, his verbis, si non est Deus Spiritus Sanctus, quomodo mę Deum per baptismum facit? ac si dicat, si in baptismo eius inuocatione sanctificor, & efficior Deus per participationē, Ergò ille est Deus, qui solùm Deus est, qui sanctificat, & delet peccata. Et clarius patet Actorum 5. vbi dixit Petrus ad Ananiam, Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus, sed Deo.

Ad secundam obiectionem, Respondetur cum Nazianzeno Oratione suprà de Theologia, non omnia, quæ facta sunt, facta esse per Verbum, sed omnia, quæ facta sunt, facta esse per Verbum, alioquin Pater etiam factus esset per Verbum. Cum igitur Spiritus Sanctus, sit extra ordinem rerum, quæ factæ sunt, non sequitur ipsum factum esse per Verbum.



ARTICVLVS III.

Vtrum nomina essentialia prædicentur singulariter de tribus Personis.

Conclusio Prima.

Substantiua prædicantur de Tribus Personis, singulariter tantùm, ità, quòd pluraliter.

Secunda, Adiectiua prædicantur de Tribus Personis, in numero plurali.

DVBITATVR.

Vtrum nomina concreta singulariter, vel pluraliter prædicentur iuxta singularitatem, vel pluralitatem formarum.



IDETVR, quòd non. Primò, Auctoritate D.Tho.3.p.Quæst.3.Art.7.ad 2.dicentis, quòd si vna Persona diuina assumeret duas humanitates, esset vnus homo, non plures: quia nomen impositum ab aliqua forma, nō dicitur pluraliter, nisi ob pluritatem suppositorum; Ergò nomina concreta, non prædicantur singulariter, vel pluraliter iuxtà singularitatem, vel pluritatem formalem, vel formarum.

Confirmatur primò. Suprà Quæst.26.Art.4.docuimus ex D.Tho. quòd licèt in Patre, alia sit virtus productiua Filij, & alia productiua Spiritus Sancti, Pater tamèn, non est dicendus simpliciter duplex principium respectu Filij, & Spiritûs Sancti: quia non est duplex suppositum, Ergò, quòd nomina concreta singulariter prædicentur peruenit ex singularitate suppositi.

Confirmatur secundò. Christus Dominus dicitur simpliciter vna substantia, & nō duæ: quia licèt habeat duas naturas substantiales, nō tamèn est nisi vnū suppositū, Ergò.

Se-

Secundò. Arguitur, Deus, & subsistens formalitèr in diuinitate sunt essentialitèr adæquatè, & conuertibilitèr idem, vt patet, sed esto, sit vna diuinitas Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, dicuntur simplicitèr plures subsistentes in pluralitate, propter pluralitatem suppositorum, Ergò pari ratione dicentur plures Dij, & Consequenter, hoc concretum Deus non sumit vnitatem ex vnitate formæ.

Confirmatur. Si Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, assumerent eamdem humanitatem proculdubio essent tres homines simplicitèr, Ergò pari ratione habentes eamdem diuinitatem, sunt simplicitèr tres Dij. Consequentia patet à paritate rationis. Et Antecedens probatur, pro quo supponimus, quòd vnio humanitatis nō fieret immediatè ad subsistentiam absolutam communē tribus personis, sed immediatè ad proprietates relatiuas, vt modo fit immediatè ad proprietatem personalem Filij, at hypotesi facta, Pater esset hic numero homo, signata persona Patris subsistenti immediatè in tali natura, & Filius esset hic numero homo signata persona Filij subsistenti immediatè in eadem natura, Ergò hic homo, qui esset Pater, non esset hic numero homo, qui esset Filius, Patet Consequentia: quia non esset idem numero suppositum.

Arguitur tertiò. Omne concretum est nomen suppositi: in hoc enim differt ab abstracto, quod abstractum solùm naturam significat, cōcretum autèm significat suppositum in natura, de quo D. Th. suprà Quæst. 13. Art. 1. ad 3. explicat Arist. dicentem nomina significare substantiam, cum qualitate, hoc est suppositum, cum natura, vel forma determinata, in qua subsistit, Ergò tale nomen debet à supposito singularitatem, vel pluralitatem accipere, & non à natura, Patet Cōsequentia: quia singularitas, vel pluralitas nominis, debet desumi ex proprio per se, & formali significato.

Sed contra est auctoritas D. Th.

In hoc dubio est.

PRima sententia. Quam refert Ricardus in 3. d. 1. Art. 1. Quæst. 5., Eorum, quē dicunt nomina concreta, etiam substantiua, non accipere in vniuersum singularitatem, vel pluralitatem à singularitate, vel pluritate formarum, qui Consequentèr asserunt, quòd si vna diuina persona assumeret plures humanitates, nec vnus homo simplicitèr,


citèr, nec plures homines simplicitèr esset dicenda, quam oppositionem Ricar. non improbat, nec sequitur planè Duran. ibidem Quæst. 3. ad 3.

Secunda. Marsilij in 3. Quæst. 2. Art. 3. dub. 2. dicentis, quod in formis creatis, singularitas, vel pluralitas cuiusmodi nominum ex pluritate, vel singularitate suppositorum, & non formarum suppone̅da est, qui Consequentèr dicit, quòd siuè vna persona assumeret duas naturas, siuè duæ personæ, eamdem naturam assumerent, ex supposito, & non ex natura, numerus accipiendus esset, hanc sententiam amplectitur Gabriel ibidem d. 1. Quæst. 2. Art. 3. dub. 4. ad 2. rationem.

Tertia. Gabriel. Vazq. hic disp. 155. Cap. 4. asserentis, vnitatem, vel pluritatem huiusmodi concretorum, si substantiua sint, in vniuersum sumendam esse ex vnitate, vel pluritate formæ, totalitèr à suppositis præscindendo. Citat pro se, Altisiodo lib. 3. summæ tractatu 1. Cap. 1. Quæst. 5. Scotum in 3. d. 1. Quæst. 3. & in 1. d. 12. Quæst. 1. & quod amplius est D.Th. in 3. d. 1. Quæst. 2. Art. 5. ad 2. & 3. dicentem, (vt ipse ait) quòd si vna persona assumeret plures humanitates, esset simplicitèr plures homines, cum ipsoq; dicit sentire Capræol. in 1. d. 4. Quæst. 1. Art. 1. ad primum Aureoli.

Quarta. Caietani hic, & 3. p. Quæst. 3. Art. 7. circa solutionem ad 2. cui adhæret Canari. in commentarijs huius Art. & istis subscribunt alij recentiores Thomistæ, qui omnes doncent non esse sumendā pluritatem nominis substantiui cōcreti solùm ex pluritate formæ, sed requiri etiam pluritatem suppositorū, concordat cum eis Ferrar. 4. cōtra Gentiles Cap. §. Circa istam propositionem, vbi asserit, esse conditionem requisitam, vt nomen substantiuum pluralitèr prædicetur multitudine suppositorum.

Quid in hac dificultate sentiat D.Th. quem Gabriel Vazq. loco citato assirmat variè locutum fuisse in hac parte, explicabitur Conclusionibus subsequentibus.



Conclusio prima.

Si vna Persona diuina assumeret duas humanitates, necessariò dicenda esset, vel vnus homo simplicitèr, vel plures homines simplicitèr.

HAec Conclusio est cõtra Ricard. & Duran. suprà citatos, & probatur primò. Ens adæquatè dicitur per vnum, & multa, vt docet D. Th. ex Arist. suprà Quæst. 11. Ergò vbicumq; reperitur natura entis, necesse est, vel vnitatem simplicitèr, vel pluritatem simplicitèr reperiri. Tenet hæc Consequentia à diuiso, ab altero membrorũ diuidentium disiunctiuè, quæ est euidens, sed in tali casu, persona illa diuina esset simplicitèr ens, vt patet, Ergò, vel simplicitèr vnum ens, vel simplicitèr plura, sed secundum formam assumptam, nec esset vnũ ens, nec plura entia vagè, Ergò indeterminata species constituta per formam assumptam, cum Ergò talis forma sit humanitas, vel esset vnus homo simplicitèr, vel plures homines simplicitèr.

Secundò. Ricardus, & Durandus, quorum sententiam impugnamus, censent vnitatem, seu pluritatem nominis substantiui, in concretò dici de Deo, non tàm ex natiua, & primeua eius impositione debere desumi, quàm ex communi vsu, quo iam ad significandum est applicatum, sed hoc est falsum, Ergò, & illorum sententia. Mai. patet: Nàm propterea dicunt illa hypothesi facta personam illam, nec vnũ hominem simplicitèr, nec plures simplicitèr forè dicẽdam, sed de vnitate, vel pluritate ipsius secundùm formam assumptam esse loquendum juxtà applicattionem istius nominis, Homo factam ex vsu. Min. verò probatur: Nàm Gentiles, apud quos non est adhùc determinata talis applicatio, ex eo, quòd Trinitatis Mysterium, & naturam assumptam non dum cognouere, sed hæc sibi proponerentur, non ex nominis significatione scirent, qualitèr in hac parte deberent loqui, & cũ aliàs id sibi non ignotesceret ex aliquo vsu, non haberent certam regulam ad loquendum in huiusmodi Mysterijs, quòd sanè absurdũ est, vt potè derogans veritati, & dignitati ipsorum.

Dico

Dico secundo. Nomen substantiuum, vt pluralitèr prædicetur, & verificetur, postulat pluralitatem formarum, & suppositorum.

HAec Conclusio est contra Marsil. & contra Vazq. suprà citatos; & quidem, quòd sit secundum mẽtem D.Th. patet ex eo, quòd asserit 3.p. Quæst.3. Art.7. ad 2. numquàm nomen impositum ab aliqua forma pluralitèr dici, nisi propter pluralitatem suppositorum, & istius doctrinæ exẽplum adducit in hac materia suprà Quæst. 36. Art. 4. vbi ait, quòd quàmuis in Patre, sint plures proprietates, quarum vna referatur ad Filium, alia verò referatur ad Spiritum Sanctum, non tamèn dicitur plura principia: quia implicaretur pluralitas suppositorum, quæ loca, licèt sibi obijciat Vazq. ipse tamẽ non explicat iuxtà propriam sententiam.

Duplicitèr igitur loqui possumus de singularitate, & pluralitate huiusmodi nominum. Vno modo quantùm ad rationem, & causam formalem singularitatis, & pluralitatis ipsorum præcisè, & absolutè. Alio modò quantùm ad causam simul, & id, quòd causam hanc concomitatur, quòd potest dici causa, sine qua non. Si primo modo loquamur de hac singularitate, & pluralitate, sic sola pluralitas formæ mæ significatæ requiritur ad pluralitatem nominis substantiui. Si autèm loquamur secundo modo, sic præter pluralitatem talis formæ ad prædicatione nominis in plurali concurrit pluralitas suppositorum, & quòd pluralitas formæ requiratur per modũ rationis, & causæ formalis talis prædicationis probatur: quia nomen substantiuum formalitèr significat per modum substantiæ, sed substantia ex se formalitèr habet pluralitatem ad differentiam Accidentium, quæ plurificantur ex subiecto, Ergò ratio, & causa formalis, quare eiusmodi nomina pluralitèr prædicantur, est ipsamet forma substantialis formaliter significata.

Quòd verò per modum necessariæ conditionis requiratur pluralitas suppositorum probatur. Quia forma substantialis per se constituit proprium suppositum, Ergò ex natura sua quamlibet formam substantialem concomittatur proprium suppositum, Ergò, si, vt nomen substantiuum pluraliter prædicetur, & verificetur, est necessaria, vt ratio formalis talis pluritatis, pluralitas formæ concomittanter requiritur, vt necessaria conditio eiusdem pluralitas suppositorum.

Sed obijcit Vazq. Vt nomen substantiuum singularitèr prædicetur sufficit singularitas formæ significatæ, nec requiritur singularitas suppositi, etiam per modum conditionis, Ergò vt pluralitèr prædicetur sufficit pluralitas formæ, & non requiritur suppositum pluralitas, vt necessaria conditio. Consequentiam probat à paritate rationis. Et Antecedens: quia in diuinis Deus singularitèr prædicatur propter singularitatẽ diuinæ naturæ, propter pluritatã suppositorum.

Respondeo, Negando paritatem rationis, differentia est Quantũ ad hoc, quòd pluralitas importat aliquid positiuum, vt potè diuisionem, atq; adeò, vt nomen pluralitèr prædicetur, exigit illam ex parte omnium, quæ importat in suo formali significato, & quia in illo importat, cum accipitur in concreto, & Spiritum Sanctum, & naturam, vt prædicetur pluralitèr, requirit, & quòd sit multiplex natura, & quòd sit multiplex suppositum. Vnitas verò importat aliquid negatiuum, nempè negationem diuisionis, & Consequentèr ex defectu cuiuscumq; diuisionis dicitur vnum, quantumcumq; sit diuisio ex parte alterius, quo fit, quòd ad prædicationem talium nominum in plurali non sufficiat pluritas formæ, sed requiratur simul pluralitas suppositorum, Ad prędicationem verò illorum in numero singulari sufficiat, vel vnitas suppositi, etiam si sit pluralitas formæ, vel vnitas formæ, etiam si sit pluralitas suppositorũ, Vnum namq; dicitur ex quocumq; defectu diuisionis.

Hinc sequitur primò, hanc locutionem. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt vnus Deus, esse veram, & propriam. Patet quia Deitas, est forma substantialis, substantialitèr importata respectu trium personarum, & vnica, & singulari suprà respectum ipsarum, Ergò hoc nomen Deus, quòd ab illa sumitur, non potest de illis pluralitèr prædicari. Hoc Corrolarium, quoad veritatem propositionis est certũ secundùm fidem. Patet deuteron. 6. Audi Israel Dominus Deus tuus vnus est, & primę ad Chor. 8. Nullus Deus, nisi vnus sunt, qui dicantur Dij, nobis autèm vnus est Deus, & diffinitur expressè, in Concilio Lateran. c. firmiter, & c. Damnamus. Quoad proprietatem verò loquendi, patet ex Fulgentio lib. de fide ad Petrum Cap. 1. Vnum rectè credimus, & dicimus Deum: quia vna prorsus æternitas, vna immensitas, & vna est naturalitèr terminum personarum diuinitas.

Secundò sequitur, quòd si vna Persona diuina duas assumeret humanitates, non esset dicenda plures homines, sed vnus simplicitèr homo. patet: quia vt aliquòd nomen substantiuum, in singulari numero prędicetur simplicitèr sufficit in diuisio, vel ex parte formę, vel ex parte suppositionis.

Sed

Sed esto, ità sit, quòd hoc nomen homo dictum de Filio Dei, sit substantiuum, de quo Conclusione sequenti est indiuisio simplicitèr ex parte suppositi, cum in Filio Dei habente duas humanitates, non sit pluralitas suppositioni, Ergò. Nec contrarium docet D. Tho. in 3. d. 1. Quæst. 2. Art. 5. ad 2. & 3. quē pro se citat idem Vaz. non enim dixit quòd si vna Persona diuina, duas humanitates assumeret diceretur simplicitèr duo homines, sed quod diceretur duo homines, propter pluralitatem formæ significatæ, quod est esse duos secundùm quid. hoc est, cum addito, quantùm ad naturam assumptam, cum qua pluralitate stat vnitas simplicitèr.

Aliter potest D. Tho. explicari, quod scilicèt loquatur, quantùm exigit ratio, & causa formalis pluralitatis nominis substantiuè: quia enim in tali casu, esset vera causa pluralitatis talis nominis, scilicèt pluralitas formæ significatæ, quantùm est, ex vi istius diceretur duo homines, cum quo tamèn stat, quod considerata causa, & simul conditione, talem causam, necessario concomitantē ex defectu huiusmodi conditionis, quàm diximus iam debere esse pluralitatem suppositorum dumtaxàt, sit vnus homo simplicitèr.

Dico tertio. Vt nomen adiectiuum pluralitèr prædicetur, & verificetur, requiritur, & sufficit pluralitas suppositorum.

QVod talis pluralitas requiratur, patet ex Conclusione præcedēti, maximè auctoritate D. Tho. ex 3. p. Quæst. 3. Art. 7. adducta, Quod verò hæc sufficiat, probatur: quia nomen adiectiuum significat aliquid per modum accidentis, sed vt accidentia sua natura plurificentur, sufficit pluralitas suppositorum, Ergò eadem sufficit, vt nomen importans aliquid per modum accidentis, quale est adiectiuum prædicetur pluralitèr.

Confirmatur. Huiusmodi nomina significant formam per modum adiacentis hoc est, quasi ab aliquo subiecto additam. Ergò, sufficiens ratio singularitatis, vel pluralitatis ipsorum, est suppositum, vel subiectum, cui formam adiacere significant, ita que si subiectum est vnum quantumcumq; in illo sit multiplex forma, non denominatur multiplex, secundum talem formam V.G. Corpus, etiàm, si habeat multas qualitates, dicitur vnum quale simplicitèr, & è contra, etiàm si forma sit vna, dummodo, sint multa supposita, adiectiuum importans talem

formam pluralitèr prædicatur, V.G. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, etiàm si habeant eamdem numero omnipotentiam, æqualitatē, & immensitatem, dicuntur tres omnipotentes simplicitèr, tres æquales, & tres immensi, sumptis istis nominibus adiectiuè, ità loquitur Concil. Lateran. sub Innocen. III. & refertur in Cap. firmiter de Sum. Trin. vi habetur, Pater generans, Filius nascens, Spiritus Sanctus procedens, consubstantiales, & coæquales, & coomnipotentes, & coęterni. Nec obstat Atha. dicens in Symbolo. Non tres omnipotentes, sed vnus omnipotens, &c. accipitur enim nomen omnipotens, substantiuè.

Hinc sequitur, quòd si tres Personæ diuinæ, assumerent eamdem humanitatem, non essent dicendæ vnus homo, sed plures simpliciter. Hoc corollarium est contrà Vazq. Asserentem, quòd si eadem humanitas assumeretur à pluribus Personis, & deinde dimitteretur ab vna, vel etiàm ab omnibus (cū in proprio maneret supposito) semper maneret vnus homo, quòd est expresè contrà D. Tho. 3. parte Quæst. Art. 6. ad 1. dicentē, quòd tali hypothesi facta, nō posset inferri, quòd tres personę essent vnus homo simplicitèr: nihil enim prohibet dicere, quòd homines, qui sunt plures simpliciter, sint vnus tantùm, puta vn' Populus, Ergò sentit, quòd essent plures homines simpliciter, & vnus secundùm quid, hoc est vnitate naturæ. Quòd si obijcias. Vnitas naturæ diuinæ sufficit, vt tres Personæ simpliciter vnus Deus, vt patet ex Conclusione præcedenti, Ergò vnitas naturæ humanæ sufficeret, vt essent simplicitèr vnus homo. Neganda est Consequentia, & ratio disparitatis est, quòd hoc nomen DEVS, & est substantiuum, & significat per modum substantiui dictum de tribus Personis, cùm dicat naturam diuinam, illas substantialitèr cōstituentem, & QVIA talis natura non multiplicatur ex defectu multiplicationis istius, prædictum nomen singularitèr prædicatur de illis, iuxtà 2. Conclusionem, de nominibus substantiuis, at hoc nomen HOMO, licèt sit substantiuum dictum de tribus Personis diuinis, per modū quędam adiectiui, quatenus significat naturam humanam, supponentem Personas illas, simplicitèr constitutas in suo esse, & ad modum formæ accidētarię adiacentem ipsis, Vnde ex pluritate ipsarum prædicatur pluralitèr simpliciter, quàmuis natura sic importata, sit vna, & singularissima in omnibus illis, iuxtà dicta in hac Conclusione de nominibus adiectiuis.

Ad

Ad Argumenta in principio Respondeo.

AD primum, quòd cùm D.Tho. docet loco citato, nomen impositum ab aliqua forma, non dici pluraliter, nisi ob pluritatem suppositorum, debet intelligi ob pluritatem suppositorum concurrentem ad talem prædicationem in numero plurali, per modum conditionis, sine qua non, cum quo stat, quòd singulariter, & pluraliter prædicentur propter singularitatem, seu pluritatem formæ significatæ, tamquàm propter causam, & ratione formalem talis singularitatis, seu pluritatis, si concreta substantiua sint, si verò sint adiectiua singularitas, seu pluralitas suppositorum est causa, & ratio formalis, singularitatis talium nominum, & non tantùm conditio, & ratio huius differentiæ est: Nàm forma substantialis, per modum substantiæ significatæ, constituit simpliciter suppositum, vel vnum, vel plura, vnde sicut dat suppositis, vt ratio formalis ipsorum vnitatem, vel pluritatē substantialem, ità est ratio formalis, quòd nomen substantiuum singulariter, seu pluraliter prædicetur, adiectiua autem significant formam per modum accidentis, quòd aduenit enti in actu, vnde, sicut forma, sic significata, non dat vnitatem, vel pluritatem simpliciter suppositis, sed supponit illam habere supposita formaliter ex se, ità vnitas, seu pluralitas suppositorum, est ratio, & causa formalis vnitatis, seu pluritatis talium nominum.

Ad primam Confirmationem, Concedo Antecedens, & distinguo Consequens. prouenit ex singularitate suppositi tamquàm, ex ratione formali talis singularitatis in substantiuis, Nego Consequentiam. Prouenit ex illa tamquàm ex defectu conditionis per se, & necessariò requisitæ ad talem prædicationem in non plurali, Concedo Consequentiam.

Ad secundam Confirmationem Vazq. hic Cap. 6. nu. 22. & sequent. docet rationem, ob quàm nullo modo potest dici, Christum esse Duo sine additamento eam esse: quia quoties multa in aliquo vniuntur, ità quòd contineantur in illo, sub aliqua vnione, seu vnitate, non dicitur esse multa, sicut Petrus, quamuis contineat multa, non dicitur multa simplicitèr, eo, quòd multa illa talitèr cōiuncta, simplicitèr sūt vnum, vnum autèm, & multa simplicitèr opponuntur, & consequēter docet, quòd cum omnia quæ habet Christus, contineat sub aliqua unione, non potest dici duo simplicitèr, sed cum addito, quod est esse duo secundùm quid, quam doctrinam nos libenter amplectimur.

Et iuxtà illam facimus duo.

Primò soluimus Confirmationem istam dicentem, quòd licèt in Christo, sit duplex natura substantialis, humanitas, & diuinitas, non tamèn dicitur duplex substantia, sed una simplicitèr: quia illas còntinet sub vnitate suppositi.

Secundò Arguentes ad hominem impugnamus sententiam, quàm Vazq. docuit suprà, videlicet, quòd si una Persona duas assumeret humanitates, esset plures homines simpliciter, cuius doctrinæ immemor videtur esse, dum asserit hic, quòd Christus, non potest dici duo simplicitèr: non enim loquitur Consequenter, & patet. Propterea Christus non dicitur multa simpliciter: quia, licèt multa contineat, continet illa sub vnione aliqua, seu vnitate secundum istum auctorem, Ergò pari ratione, si vna Persona duas humanitates assumeret, non esset duo homines simpliciter, patet Consequentia: quia humanitatem illam sub vnitate suppositi contineret.

Ad secundum Argumentum. Concedo quòd Deus, & habens Deitatem sunt essentialitèr, adæquatè, & conuertibiliter idem ex parte rei significatæ, quòd certissimum est; differunt tamen penès modum significandi. Deus enim importat suppositum, cum natura diuina per modum substantiæ, vt potè nomen substantiuum, sed habens Deitatē importat suppositum, cum natura diuina per modum accidentis, vt potè nomen adiectiuum, & iste diuersus modus significandi, sufficiens est, vt nomen Deus, singulariter prædicetur de tribus diuinis Personis; & nomen habens naturam diuinam prædicetur pluraliter, quemadmodum æternum, idem formalissimè significat ex parte rei significatę siue substantiuè, siue adiectiuè sumatur, & tamèn propter diuersum modum significandi, si substantiuè sumatur, tres Personæ diuinæ, dicuntur vnus æternus, & si sumatur adiectiuè debentur tres æterni.

Ad Confirmationem dico, quòd siue vnio humanitatis, fieret immediatè ad subsistentiam absolutam, communem tribus Personis diuinis, siue fieret ex æquo, ad singulas illarū personalitates dato, quòd tres eamdem humanitatem assumerent, essent tres homines simplicitèr, & quandò infertur, Ergò pari ratione erunt tres Dij. Neganda est Consequentia. Disparitas assignata est clarissimè in calce tertiæ Conclusionis.

Ad tertium dico, quòd vnitas, seu pluralitas in nominibus concretis, non tantùm desumenda est ex vnitate, vel pluralitate adæquatè significatæ, quàm ex modo significandi ipsum: diuersus enim modus significandi, causat diuersam formalitèr prædicationem, & verificationem terminorum, vnde, licèt omne concretum, sit nomen suppositi, &

con-

consequentèr importet simul, cum supposito naturam, suppositum enim nihil aliud est, quàm subsistens in natura completè, indiuidualitèr, & inconuertibilitèr, nihilominus tamèn concretum, substantiuũ importat totum hoc per modum substantiæ, vnde ab illa sit significata accipit vnitatem, vel pluritatem simpliciter. Cõcretum verò adiectiuum importat, totum hoc per modum accidentis vnde antecedenter à forma, sic significata accipit vnitatem, vel pluralitatem ab vnitate, vel pluralitate suppositorum cuius differentiæ rationem assignauimus iam in solutione Ad primum.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum nomina essentialia concreta, possint supponere per Persona.

Conclusio.

Nomina essentialia in concreto, possunt propriè supponere pro Persona.

DVBITATVR.

Vtrum hæc Conclusio, & doctrina Articuli sit vera.



VIDETVR, quòd non. Primò D. Tho. docet, quòd hoc nomen Deus, in hac propositione DEVS CREAT supponit pro essentia. Cõtra quòd sic arguitur. In hac propositione prædicatum, quòd est participium creans virtualitèr inclusum in illo Verbo, non supponit pro essentia, Ergò nec subiectum DEVS. Consequentia est euidens ex communi proloquio Dialecticorum asserentium, quòd vt propositio sit vera, oportet, quod subiectum, & prædicatum superponãt pro eodem. Antecedens probatur: quia actiones sunt suppositorum, sed participium creans, importat veram actionem nempe creationem

Er gò ſupponit pro ſuppoſito, & non pro eſſentia.

Confirmatur primò. Deus ſemper ſupponit pro habente Deitatẽ, vt patet, cùm ex modo ſignificandi id importet, Ergo, & in prædicta propoſitione ſupponit pro habente Deitatem, Ergo ſupponit pro Perſona, & non pro eſſentia.

Sed, ſi dicas cum Caiet. hic negandam eſſe hanc vltimam Conſequentiam, ſtat enim quod ſupponat pro hoc Deo, qui per modum cõcreti ſingularis præintelligitur ante diuinas Perſonas, & nomine eſſẽtiæ intelligitur, cùm D. Tho. docet, quod hoc nomen Deus, quandoquè ſupponit per eſſentia.

Contra hoc obiicio tripliciter. Primò nomẽ Deus, quo ſignificatur concretum, illud eſt nomen ſuppoſitionis, vt docent Damaſ. lib. 3. de fide Cap. 11. in fine, & Nicetas 3. Theſ. Cap. 23. in principio, ſed nullum ſuppoſitum præintelligitur ante diuinas Perſonas, Ergò nec hic Deus, per modum concreti ſingularis, habentem Deitatem.

Secundò eſt, ſi hoc ſingulare concretum Deitatis, præintelligitur ante Perſonas pari ratione, ſi vnio humanitatis fieret in tribus Perſonis ſingulare concretum humanitatis, videlicèt HIC HOMO. præintelligeretur ante illas, Conſequens nequit dici, tunc enim perſonæ tres diuinæ, non aſſumerènt humanitatem, ſed hunc hominem, qui præcederet, quod eſt implicatorium.

Tertiò. Si daretur hic Deus, præcedens tres diuinas Perſonas pro quo immediate ſupponeret Deus, pari ratione daretur, hic ſpirator præcedens Patrem, & Filium pro quo immediatè Spirator ſupponeret, quod eſt contra D. Tho. dicentem hic, quod in hac propoſitione DEVS SPIRAT ſubiectum, ſupponit pro Patre, & Filio.

Cõfirmatur ſecundò. Deo debetur honor, & gloria, quatenus creãs eſt, Ergò ſi in hac propoſitione Deus creat, creatio attribuitur immediatè huic Deo, eidem immediate debetur honor, & gloria, ſed hoc non fatetur D. Tho. hic, imò aſſerit, quòd in hac propoſitione ſoli Deo honor, & gloria Deus ſupponit immediatè pro tribus Perſonis, Ergò vel tenetur fateri, quòd pro eiſdem ſupponit Deus, in iſta propoſitione Deus creat, vel ſibi ipſi contradicit.

Secundò. Arguitur contrà illud, quòd docet in Concluſione propoſita, videlicèt nomina eſſentialia inconcreto, poſſe propriè ſupponere pro Perſonis. Contra. Huiuſmodi nomina, non ſignificant propriè Perſonas: quia non ſunt impoſita ad ſignificandum illas, & quicquid ſignificant, ſignificant ex impoſitione, Ergò nec poſſunt propriè ſupponere pro illis. probatur ex Ariſt. Conſequentia in lib. periem. dicente,

te,quòd supposito propria est, acceptio termini pro re,quàm propriè significat.

Confirmatur primò:quia hoc nomen Homo(ex modo significandi) potest propriè supponere pro Personis, addito pronomine demonstratiuo,possunt designari sub illo diuersæ Personæ,vndè hæc affirmatiua est falsa,hic homo est, hic homo diuersis designatis Personis, ex parte subiecti, & ex parte prædicati, & hæc negatiua est vera. Hic homo non est hic homo,Ergò, si hoc nomen Deus,ex modo significādi,potest propriè supponere pro Personis,addito pronomine demonstratiuo,possunt designari sub illo diuersę Personæ, & consequenter Hæc est falsa.Hic Deus est hic Deus, ex parte subiecti,signato Patre, & ex parte prædicati,signato Filio,& hæc negatiua est vera, Hic Deus non est hic Deus,Consequens est absurdum, Ergò probatur. Min.hæc est falsa.Hic Deus est hic Deus, signatis istis Personis,Ergò cũ vtraq; Persona,sit Deus,est alius,& alius Deus, quòd est incidere in errorem gentilium, asserentium plures Deos.

Confirmatur secundò. Hæc propositio est hæretica. Deus distinguitur realitèr à Deo, Ergò hoc nomen Deus, ex modo significandi non potest propriè supponere pro personis,Antecedens patet: quia nõ potest Deus distingui realitèr à Deo,quin sint plures Dij,sicut nec homo ab homine,quin sint plures homines. Et Consequentia probatur: quia homo ex proprio modo significandi, potest propriè supponere pro personis. Hæc est vera,Homo distinguitur realitèr ab homine,Ergò pari ratione,posset verificari ista,Deus distinguitur realitèr à Deo, si Deus, ex modo significandi,posset supponere pro personis.

Confirmatur tertiò. Hæc est vera propositio, Deus generans est Deus genitus, Ergò, si etiam aliquid notionale adiungatur huic nomini Deus, supponit pro essentia, Ergò ex modo significandi,non habet propriè posse supponere pro personis.

Prima Consequentia patet; Nàm pro personis, hoc nomine supponent prædictam propositionem esse falsam.

Secunda Consequentia patet: Nàm, si ex modo suæ significationis haberet propriè,posse supponere pro personis potentia, hæc per adiũctionem, hanc notionalitatis reduceretur ad actum, Antecedens probatur. Deus generans, est Deus, & Deus genitus,est Deus, Ergò,vel idem Deus,vel distinctus,quòd sit distinctus Deus, non potest dici sine præiuditio fidei, Ergò dicendum est, quòd est idem Deus, Ergò Deus generans est Deus genitur.

Tertiò. Arguitur contra id,quod docet D. Tho. in solutione ad 3.

hanc

hanc propositionem esse falsam Deus non generans: quia non additur aliquid determinans subiectum ad personas, & sic datur intelligi, quòd generatio repugnet diuinæ naturæ. Arg. contra prædicatum affirmatiuum, & negatiuum, reducuntur ad idem genus, vt Aug. ait 5. de Trin. docet autèm, quòd non homo non aliud genus prædicamenti annunciat, quàm homo, sed dumtaxat negat illud, at generare est aliquid pertinens ad personam, vndè hæc est vera DEVS GENERAT: quia subiectum, ex vi illis determinatur, vt stet pro Patre, Ergò, & non generare est aliquid pertinens ad personam; & Consequentèr determinat subiectum, vt stet pro persona, sed de persona verùm est dicere, quòd non generat: quia aliqua persona non generat, Ergò hæc est vera.

Confirmatur primò. Hæc sunt contradictoria, omnis Deus generat, Deus non generat, sed in affirmatiua supponit pro personis ex vi determinationis prædicati, Ergò, & in negatiua. Patet Consequentia: quia contradictio est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem.

Confirmatur secundò. Aut subiectum istius negatiuè supponit pro essentia, aut pro persona Filij determinatè, aut pro persona diuina indistinctè: nec enim est dare medium, sed stante quacumq; istarum suppositionum, propositio est vera, Ergò. Probatur Min. Si supponat pro essentia: quia essentia non generat, si supponat pro Filio: quia nec Filius generat, si pro persona diuina indistinctè: quia in definita, cuius vna singularis est vera, simplicitèr est vera, vt hæc est vera, homo non est albus: quia Petrus v.g. non est albus, sed pro vna singulari persona v.g. Filio ista est vera, Ergò simplicitèr est vera.

Confirmatur tertiò. Non est verùm dicere, quòd cuicumq; naturæ attribuitur negatio alicuius prædicati denotatur repugnantia prædicati ad naturam: dicendo enim homo non est albus, non denotatur, quòd albedo repugnat homini, Ergò denotatur, quod generatio repugnet naturæ diuinæ, dicendo Deus non generat, falsa est, Ergò caussalis D. Th.

Quartò. Arguitur contra id, quòd docet in solutione ad 4. hanc esse veram, Deus genuit Deum, & tamèn nec se Deum, nec alium deum. Contra. Inter generantem, & genitum debet esse distinctio realis, sed Deus non distinguitur realitèr à Deo, Ergò Deus non genuit Deum.

Confirmatur primò. In hac propositione Deus, nō distinguitur realitèr à Deo, nihil ponitur notionale, ratione cuius, hoc nomen Deus deter-

determinatè accipiatur pro persona, Ergo accipitur pro essentia, sed essentia non distinguitur realitèr ab essentia in diuinis, cùm non sit, nisi vna essentia, Ergo nec Deus distinguitur realitèr à Deo, Ergo Deus non genuit Deum.

Confirmatur secundò. Inter idem, & diuersum, non est dare medium, cum sint immediatè opposita, Ergo si Deus genuit Deum, vel eumdem secum, vel diuersum à se, Ergo, vel genuit se Deum, vel alium Deum, si Ergo neutrum istorum potest concedi, nec concedendum est, quod Deus genuit Deum.

Quinto Arguitur contra illud, quod docet in solutione ad 5. hanc esse falsam. Deus genuit Deum, qui est Deus Pater. Contra. Loco relatiui in Vniuersum, licèt suum Antecedens, cum relatiuum formalitèr pro Antecedente supponat, sed si loco illius relatiui Qui, ponatur illud Antecedens Deus, propositio est vera. Probatur Min. quia hæc est vera. Deus genuit Deum, & Deus est Deus Pater.

Confirmatur. Hæc sunt æquipollentes, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater, Deus genuit Deum, & Deus est Deus Pater, vt constat, cum non differant, nisi per Antecedens expresse positum in se, & implicitè inclusum in relatiuum, sed secunda est vera, vt constat, Ergo, & prima.

Sed contra est auctoritas D.Th.

In hoc dubio est.

PRima Sententia Henrici quodlib. 5. Quæst. 8. & Duran. in 1. d. 26. Quæst. 1. nu. 6. & aliorum pro viribus defendentiū, non posse concipi ante personas diuinas, seu proprietates personales, cōcretum singulare Deitatis, Pro quo hoc nomen Deus supponat, qui immediatè, & Consequentèr asserunt, quod sicut hoc nomen Homo supponit, vel immediatè pro homine Consequentèr concepto, vel immediatè pro indiuiduis naturæ humanæ, ità quòd numquam supponit pro aliquo homine particulari, vel singulari antecedenter se habente nostro modo intelligendi ad talia indiuidua, Ità hoc nomen Deus, supponit immediatè, vel pro Deo communitèr concepto, vel pro diuinis personis, numquam tamèn pro hoc Deo præintellecto ipsis.

Secunda Sententia est Caiet. hic, & 3. p. Quæst. 2. Art. 2. circa solutionem 3. & Quæst. 3. Art. 2. & 3. non solùm adstruentis tale indiui-

diuiduum, & concretum Deitatis ante perſonas, ſed etiam illud appellantis ſemi ſuppoſitum, vel ſemi perſonam, & quidam diſcipuli D. Th. conueniunt, cum Caiet. in hoc, quòd neceſſario putant indiuiduum Deitatis concretum cogitatione noſtra prius perſonis concedere, licèt quantùm ad appellationem ſemi ſuppoſiti, vel ſemi perſonæ plures diſentiant ab illo, non admittentes modum iſtum loquendi, & auctores iſtius ſententiæ Conſequentèr dicunt, qòud hoc nomen Deus, poteſt immediatè ſupponere pro hoc Deo.

Tertia Sententia eſt Capræol. in 1. d. 4. Quæſt. 1. aſſerentis, hoc nomen Deus, numquam ſupponere pro natura, quin etiam ſupponat pro perſonis, alitèr tamèn, & alitèr: Nàm pro natura ſupponit diſtinctè: pro perſonis verò indiſtinctè. Et Conſequenter aſſerit, quòd nomina eſſentialia in diuinis, quantùm eſt ex modo ſuæ ſignificationis, & pro eſſentia, & pro ſuppoſitis ſupponunt.

Quarta Sententia eſt eorum, quos hic refert D. Th. aſſerere, quod hoc nomen Deus, & ſimile, ità ex natura ſua habent ſupponere pro eſſentia, quod pro perſonis non poſſunt propriè ſupponere, niſi ex adiũctione alicuius prædicati notionalis trahentis ipſam talem ſuppoſitionem. In quàm declinat Vazq. ſententiam, hic diſp. 157. Cap. 6. Imò expreſsè aſſerit, quod hoc nomen Deus, quoties ei non additur terminus notionalis ex parte eiuſdem extremi, ſemper ſupponit pro indiuiduo concreto Deitatis, vt in hac. Deus generat Filium: quia nomen Deus, ponitur ex parte ſubiecti, & participium GENERANS virtualiter incluſum in Verbo, ex parte prædicati non coarctatur ſubiectum, vt ſtet pro perſona Patris, & eadem ratione dicit, in hac. Pater generat, Deus non coaſtattur prædicatum, vt ſtet pro perſona Filij.

Quinta Sententia eſt D. Th. hic, & in 1. d. 4. Quæſt. 1. Art. 2. docentis, quod hoc nomen Deus, & alia nomina eſſentialia, habent ex modo ſuæ ſignificationis antecedenter ad omnem adiunctionem cuiuſcumq; notionalis poſſe pro perſonis, Quod autèm determinatè ſupnat pro hac, vel illa, habent ex ratione notionali, vnde inquit D. Tho. cum dicitur Deus generat ratione actus notionalis, ſupponit hoc nomen Deus. Quàm ſententiam ſequuntur D. Bonauent. in 1. diſt. 4. Quæſt. 4. Gab. Quæſt. 1. Art. 1. notab. 6. Greg. Quæſt. vni. & Conſequenter Thomiſtæ.

Dico

Dico primò. Datur hic Deus præintellectus diuinis personis, pro quo nomen Deus immediatè supponit, quantùm est ex vi suæ significationis.

HAec Conclusio est Caiet. quem secundo loco citauimus, & contra Henric. & Duran. quos retulimus primo loco, & quidem quòd detur hic Deus, antecedenter se habens nostro modo intelligendi ad diuinas personas, probatur. Antecedentèr ad diuinas personas intelligitur Deus creans, Ergò antecedenter ad illas intelligitur singulariter, & realitèr subsistens, Ergò hic Deus. Antecedens est D.Th. hic dicentis, quòd in hac propositione DEVS CREAT, subiectum supponit immediate non pro personis, sed pro essentia, hoc est pro singulari concreto Deitatis.

Prima Consequentia patet: quia actiones non sunt, nisi singulariter, & realiter subsistentium,

Secunda est per se nota, & hinc conuincitur, quod hic Deus intelligitur præcedere diuinas personas, non solùm quantum ad singularem naturam, sed inquantùm ad particularem subsistentiam, quòd est cōtra Gab.Vazq. hic disp. 156. Cap. 2. vbi asserit, quòd in diuinis, Indiuiduum concretum, quale est hic Deus, præintellectus personis, dicit naturam diuinam singularem secundum rem, subsistentiam verò diuinā communem, secūdum rationem, & quòd hoc sit falsum, probatur. Hic Deus, vt hic Deus creat, Ergò vt habens, & naturam, & subsistentiam singularem secundum rem. Patet Consequentia: Nàm supponere pro concreto realiter singulari, quoad naturam, abstrahente verò secundum rationem à singulari subsistentia, conuenit nomini in ordine ad actum intellectus, qui potest taliter abstrahere, non verò in ordine ad factionem secundum rem, quæ est à re, & ad rem secūdum quòd est in se, quòd optimè explicat D. Th. 3. p. Quæst. 28. Art. 1. ad 3. vbi hac ratione dicit, magis veram esse istam propositionem. Christus, vt hic homo, prædestinatus est Filius Dei, quàm istam. Christus, vt hic homō, factus est Filius Dei: sed creare importat factionem secundum rem, nempè creationem, Ergò nomen Deus in ordine ad illam, non supponit pro hoc Deo realitèr singulari quoad naturam, & abstrahēte secundum rationem à singulari subsistentia, sed pro hoc Deo realitèr singulari, & quoad naturam, & quoad subsistentiam. Idem patet ex his, quæ dicta sunt suprà Quæst. 29. Art. 2. dub. 2. Conclusione secunda, vbi ostendimus, dari subsistētiam singularem communem tribus

bus personis, qua cõstituitur hic Deus, quòd verò pro illo personis intellecto, supponat hoc nomen Deus, quantùm est ex vi suæ significationis.

Probatur primò: Nā multæ sunt locutiones veræ in Mysterio Trin. in quibus hoc nomen verificari nō potest nisi immediatè pro hoc Deo Ergò quantùm est ex vi suæ significationis pro illo supponit. Antecedens patet in locutionibus sequentibus.

Prima est. Deus est Trinitas, quæ non nisi de hoc Deo verificari potest, cum nulla ex diuersis personis, possit trinitas nominari. Quòd si Dicas cum Henr. ibi, illud nomen Deus supponere pro collectione trium personarum immediatè; Contra est: Nàm de eodem Deo verificatur, quod sit trinitas collectim, & quod diuisim sit Pater, sed collectio trium personarum non est Pater, Ergò.

Secunda est. Deus est realitèr communis Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. In qua, cum prædicatum illud non possit supponere, nec verificari, nisi pro hoc Deo singulari: nulla enim persona diuina habet realem communitatem, pro eodem necessariò supponit, & verificatur subiectum Deus, cum ad veritatem positiui affirmatiuè requiratur, quod extrema supponant pro eodem.

Secundò probatur, hoc nomen Deus (quatenus est concretum) habet supponere pro subsistente, quatenus verò est singulare ex parte rei significatæ, habet supponere pro singulari (quantùm potest) sed potest supponere pro tali subsistente particulari, & realitèr communi, nempè pro hoc Deo: quia in re ipsa datur, vt iam probauimus, Ergò quātùm est ex vi suæ significationis, supponit pro illo, quod verò hæc suppositio sit immediata, patet, tum: quia illud significatum est maximè adæquatum illius vocis, tùm etiam: quia nostro modo intelligendi subsistentia absoluta, immediatius conuenit diuinitati, quàm relatiuæ personalitati.

Hinc sequitur, quod hæc propositio est vera simplicitèr, & absolutè. Hic Deus est hic Deus, quantumcumq; sub subiecto, & prædicato diuersas personas designare intendas.

Hoc corollarium est contra Canari. hic dub. 3. dicentem prædictam propositionem, nec posse simplicitèr concedi, nec negari, sed esse distinguendam, atq; dicendum, quod si faciat istum sensum, hic, qui est Deus ostenso Patre, est hic, qui est Deus, ostenso Filio, est hæretica, si autèm faciat istum sensum, Hic Deus est Pater, & Filius est vera, & Catholica.

Nihilominùs tamèn propter nostrum corrolariū, hoc nomen Deus

ex proprio modo significandi supponit simpliciter, & absolutè pro singulari concreto Deitatis, quod est hic Deus, & hoc ex vi terminorum designatur, cum dicitur, HIC DEVS EST HIC DEVS, Ergò hæc propositio est simpliciter, & absolutè vera. Imò identica. Patet Consequentia: quia hic Deus est formalissimè idem sibi, nec sub subiecto, & prædicato habet designare Patrem, & Filium, vt ad inuicē distinguuntur, cum nomen illud nō importet relationem, quæ est formale principium distinctiuum ipsorum, sed aliquid absolutum, in quō identificantur formalitèr. Vndè, si diuersas personas designare intēdas, designans illas ex vi talium terminorum inquantum vna quęq; est hic Deus, qualitèr non distinguuntur.

Dico secundo. Hoc nomen Deus quantùm est ex vi suæ significationis, potest supponere pro Personis, & semper supponit pro illis, nisi limitetur aliundè.

HAec Conclusio est D. Th. locis supra citatis cōtra auctores illius sententiæ, quam loco quarto retulimus, & contra Capræol. 3. loco citatum.

Et quoad primam partem probatur ratione D. Th. quæ efficacissima est. Hoc nomen Deus, ex proprio modo significandi supponit pro habente Deitatem, sed diuinæ personæ sunt habentes Deitatem, Ergò quantùm est ex vi suæ significationis, potest supponere pro illis.

Confirmatur. Quia hoc nomen homo ex proprio modo significādi, supponit pro habente humanitatem, quantùm est ex vi suę significationis potest supponere pro personis humanitatis, Ergò cum hoc nomen Deus ex proprio modo significandi, supponat prohabente Deitatem, quantùm est ex vi suæ significationis potest supponere pro personis diuinis.

Quoad secundam verò partem probatur: quoniam terminus, qui ex natura sua potest supponere pro aliquibus, nisi eius suppositio aliūdè limitetur, sed hic terminus Deus, ex natura sua potest supponere pro diuinis personis (vt vidimus) Ergò semper supponit pro illis: nisi aliundè limitetur.

Hinc sequitur. Primò, quod in hac propositione Deus creat, subiectum talitèr supponit pro essentia in cōcreto, idest, pro hoc Deo, quod etiam supponit pro personis diuersimodè tamen: Nàm pro hoc Deo,

supponit

ſupponit principaliter, & immediatè, pro perſonis verò mediatè, & minus principalitèr, quòd probatur: quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus creant inquantùm, hic Deus, vt docet D.Th. infrà Quæſt.45. Art.6. Ergò prædicatum illud, quod creationem importat, non determinat ſubiectum pro aliquo, ſed conuenit ipſi immediatè pro hoc Deo, & mediatè pro diuinis perſonis, ac per Conſequens, tale ſubiectum immediatè ſupponit pro hoc Deo, & mediatè pro diuinis perſonis, & eadem ratio eſt de iſta. Soli Deo honor, & gloria, in qua, cum nulla ſit determinatio ſubiecti, ille terminus Deus, habet eamdem ſuppoſitionem.

Quòd ſi obijcias D.Th. dicentem hic, quod in hac Deus creat ſubiectum ſupponit pro eſsentia, & in hac. Soli Deo honor, & gloria ſubiectum ſupponit pro tribus perſonis. Reſpondeo, diſcrimen aſſignatum à D.Tho. inter iſtas propoſitiones, non eſſe, quantùm ad ſuppoſitionem ſubiecti ſupponentis, immediatè pro eſſentia, & mediatè pro tribus perſonis: in hac enim ſimplicitèr conueniunt, vt optimè docet Caiet. hic, ſed diſcrimen quantùm ad modum ſupponendi talis ſubiecti, quod in ſecunda talitèr ſupponit pro hoc Deo immediatè, quod mediatè non poſſit ſupponere pro ſingulis perſonis ſeorſum, ſed pro omnibus illis collectim, quod patet ex diuerſo modo verificandi prædictas propoſitiones: Nàm in prima, non ſic, ſed talis ſupponit pro hoc Deo immediate, quod mediatè ſupponat pro ſingulis perſonis ſeorſum. Sub iſta enim Deus creat, habet deſignare ſeorſum perſonas cum benè ſequatur Deus creat, Ergò Filius creat, & ſic de alijs, ſub illa verò. Soli Deo honor, & gloria, non habet ſeorſum perſonas deſignare non ſequitur ſoli Deo honor, & gloria, Ergò ſoli Patri honor, & gloria, ſed deſſignandæ ſunt omnes collectim, propter quòd dicit Auguſt. 6. de Trinitate Cap. 9. quòd in tali propoſitione ille terminus Deus ſupponit pro tota Trinitate pro modo collectionis.

Sequitur ſecundò, hanc eſſe falſam propoſitionem, Deus diſtinguitur realiter à Deo, nec enim eſt aliquis terminus, ex vi cuius poſſit ſubiectum determinari ad ſupponendum pro aliqua perſona in particulari, vnde importetur diſtinctio, non in perſonis, ſed in ipſa diuina natura, cui, inquantùm talis eſt, repugnat diſtingui realiter.

Dixi in Concluſione, niſi limitetur aliundè: quia, ſi prædicto nomini adiũgatur aliquid, quatenus diſtinguitur à pſonis, ſupponit pro eſſentia, & nullo modo pro perſonis, vt patet in his duabus propoſitionibus. Deus eſt Trinitas, Deus eſt realiter communis Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, in quibus, vt diximus Concluſione prima ſubiectum

ctum supponit pro hoc Deo, & nullo modo potest supponere pro personis: quia adiungitur illi prædicatum, quòd conuenit huic Deo, non nisi, vt ratione à personis distincto. Et probatur, licèt hoc nomen Homo, ex natura sua supponat immediatè pro essentia, & mediatè pro personis in hac propositione, HOMO EST SPECIES, talitèr supponit pro essentia, quod nullo modo supponit pro personis, cuius signũ est, quod nullã personã, licèt sub tali subiecto designari, cum nulla illarum sit species, & ratio efficax: quia esse speciem non conuenit homini, nisi quatenùs intellectus, habet esse abstractũ ab indiuiduis, sed esse Trinitatem, & esse realitèr communem, nõ conuenit huic Deo, nisi quatenùs est subsistens, subsistentia absoluta, abstracta consideratione nostra, à proprietatibus personalibus, sumptis seorsum, & diuisim; Ergò subiectum in prædictis propositionibus talitèr supponit pro hoc Deo, quod nullo modo supponit pro personis.

Dico tertiò. Si huic nomini Deus, adiungatur aliquid notionale, supponit pro persona immediatè, iuxta determinationem adiuncti.

HAec Conclusio est D. Th. hic in solutione ad 3. & probatur efficacitèr. Quandò prædicatum conuenit essentiæ, & non personis, hoc nomen Deus, talitèr supponit pro essentia, quod non pro personis, vt modo probauimus Conclusione præcedenti, Ergò quandò prædicatum talitèr conuenit vni personæ, quod non alteri, hoc nomen Deus, talitèr supponit pro vna persona, quod non pro altera, & similitèr, quandò prædicatum, ità conuenit duabus personis, quod non 3: hoc nomen Deus, sic supponit pro duabus personis, quod non pro tertia, Ergò, si adiungatur illi aliquid notionale, supponet determinatè iuxtà determinationẽ ipsius. Primum Consequens exemplificatur, quoad vtramq; partem in his duabus propositionibus. Deus generat, Deus spirat, assignatis hic à D.Th. Secunda Consequentia est per se nota.

Dixi in Conclusione, si adiungatur aliquid notionale, non specificando, quòd talis adiunctio debeat fieri, ex parte eiusdem extremi; hoc enim, non est necessarium.

Et probatur efficaciter contrà Vazq. vbi supra. Primò: quia, vt in his propositionibus Deus est, Trinitas Deus est, realitèr communis Patri, Filio, & Spiritui Sancto subiectum supponat, & terminatè per

hoc Deo, satis est quòd determinatio adiungatur, ex parte alterius extremi nempe prædicati, Ergò, vt in hac propositione, Deus generat Filium subiectum supponat determinate pro Patre, & vt in hac Pater generat Deum, prædicatum supponat determinate pro Filio, non requiritur, quòd determinatio adiungatur ex parte eiusdem extremi.

Secundò, si in his duabus propositionibus, hoc nomen Deus, supponeret pro hoc Deo præintellecto Personis, propositiones istæ essent falsæ. Consequens non admittit Vazq. Ergò male admittit Antecedens, probatur sequela: quia hic Deus, vt præintellectus personis, nec generat, nec generatur.

Hinc sequitur, hanc propositionem esse falsam, Deus generans, est Deus genitus, quicquid dicat Canari. vbi suprà, & ratio est: quia ex vi adiuncti subiectum supponit pro Patre determinatè, & prædicatum pro Filio, & quia ex vi eiusdem determinationis prædicatum istius. Deus generauit Deum, qui est Pater, supponit determinate pro Filio, similitèr est falsa. hæc verò Deus genuit Deum est vera: quia ex vi determinationis inclusæ in Verbo diuersimodo applicatæ subiecto, & prædicato subiectum supponit pro Patre, & prædicatum pro Filio, an verò in hac negatiua Deus, non generat prædicatum negatum determinet subiectum, vt stet pro Patre.

Et, quæ de hoc nomine Deus dicta sunt, intelligenda enim sunt de omnibus nominibus essentialibus in diuinis: de omnibus enim est eadem ratio.

Ad argumenta in principio posita Respondeo.

AD primum, quòd nomine essentiæ non intelligit D. Tho. essentiam in abstracto, sed in concreto nempè hunc Deum, præintellectum personis, pro quo in illa propositione supponunt prædicatum, & subiectum, nec oportet illum esse suppositum, vt ipsi tribuatur actio creandi: actiones namquæ non sunt vniuersalium suppositorum, sed singularium subsistentium.

Ad primam Confirmationem, solutio ibi data est optima. Ad primam obiectionem contrà illam Dico, hoc nomen Deus, non esse nomen suppositi, sed naturæ vt docet D. Tho. suprà Quęst. 13. Art. 8. quia tamen non significat illam in abstracto, sed inconcreto, nempe singulàre subsistens in natura diuina dicitur à Damas, & Niceta nomen suppositi.

Ad secundum, Pater Vazq. non veretur concedere, quòd in tali casu dare-

daretur hic numero homo, antecedenter se habens ad tales Personas humanas, imò fatetur vbi suprà, dari de facto extra mysterium incarnationis, hunc numero hominem, antecedentèr se habentem ad quoslibet singulares homines. Sed quòd idest sit falsum patet ex his, quæ diximus Art. præced. dub. vn. Conclusione 3. de hoc nomine HOMO dicto de Filio Dei, quòd quia habet modum adiectiui, plurificatur simplicitèr ex pluritate suppositorum, & Consequentèr in tali casu tres diuinæ Personæ non essent vnus homo, sed plures simplicitèr, & sic nec daretur hic numero homo, antecedenter se habens ad illas: datur tamen hic numero Deus: quia hoc nomen Deus, est substantiuū etiam quantum ad modum, & ad eius vnitatem simpliciter, sufficit vnitas formæ significatę. Quòd autèm 2. sit falsum patet: Nàm in rebus creatis constituit vnam rem numero, realitèr identificatam pluribus rebus realitèr distinctis, nempe hunc numero hominem realitèr identificatum pluribus hominibus realitèr distinctis, quòd est implicatorium extra mysterium Trinitatis.

Ad tertium similitèr negamus, quod licèt detur hic Deus, antecedenter se habens ad tres Personas diuinas, pari ratione detur hic Spirator antecedenter se habens ad Patrem, & Filium. Disparitatem assignauimus suprà Quæst. 36. Art. 3. dub. vnico Conclusione 2. & in solutione ad 3.

Ad secundam Confirmationem, diximus iam Conclusione 2. corollario idest, qualitèr subiecta istarum propositionum. Deus creat. Soli Deo honor, & gloria, conueniant quantùm ad suppositionem immediatam pro hoc Deo, & mediatam pro Personis, & differant quantùm ad modum supponendum pro illis diuisim, vel collectim.

Ad secundum argumentum Respondeo, quòd quando diffinitur suppositio propria, est acceptio termini pro re, quam propriè significat, vel pro qua propriè accipitur, & quia hoc nomen Deus, potest propriè accipi pro Personis, potest propriè supponere pro illis, licèt non propriè significet illas.

Ad primam Confirmationem. Dico, quòd per hoc singulare complexum HIC HOMO possunt designari diuersi homines, cum ęquiuoce significet illos, & sic hæc propositio HIC HOMO, EST HIC HOMO potest esse falsa, at per istud singulare complexum HIC DEVS. non possunt diuersi designari Dij, nec distinctæ Personæ diuinæ: nisi quatenus quælibet est hic numero Deus, & sic hæc propositio. Hic Deus est, hic Deus est simpliciter, & absolutè vera, vt diximus Conclusione 1. corollario vn. Et ratio differentiæ est: quia natura

humana per primum terminum, plurificatur in diuersis Personis, non autem natura diuina significata per secundum.

Ad secundam Confirmationem, Concedo, hoc esse hæreticã Deus distinguitur realiter à Deo, nec est eadem ratio de falsitate istius Homo distinguitur realitèr ab homine, differentia est eadem, nempe quia homo, qui est formale significatum istius termini HOMO, realitèr multiplicatur in diuersis Personis, & sic illo supponente pro diuersis in vno, & in altero extremo, prædicta propositio verificatur; at Deus (quod est formale significatum istius termini DEVS) nõ multiplicatur realitèr in diuersis personis, & sic cum in vtroquè extremo supponat immediatè pro hoc Deo, qui est formalissimè, & singularissimè idem, prædicta propositio falsificatur; quia importatur distinctio realis in natura diuina, qualis non est, nec valet dicere, quòd verificabitur pro distinctis personis, cùm terminus ille supponat indifferenter pro ipsis, vt potè non determinatus; semper enim importatur distinctio inter illas in ratione Deitatis, quæ est formale significatum ipsius quod distinctionem non habet.

Ad tertiam Confirmationem, Nego, quòd ista sit vera, Deus generans, est Deus genitus, de quo Conclusione 3. corrolario 2. & cum arguitur, vel est idem Deus, vel distinctus; dico quod est idem Deus distincta tamen persona, & hæc distinctio personalis sufficit, vt prædicta propositio simplicitèr negetur, cum in illa subiectum, & prædicatum ex adiunctione illorum notionalium, supponant simplicitèr pro distinctis Personis.

Ad tertium argumentum Respondeo, ex Caietano, & Capræo. in 1. dist. 4. Quæst. 1. Art. 2. quòd prædicatum illud. Generans affirmatũ, & negatum, pertinent ad illud genus rei secundùm quòd affirmatio, & negatio sunt eiusdem generis saltim reductiue, non tamen pertinẽt ad genus notionis: nec enim si affirmatio alicuius formæ est ratio dignoscendi aliquid, sequitur, quòd negatio eiusdem sit etiàm ratio dignoscendi illud, cum negatio formæ multis, imò enti, & non enti indifferentèr conueniat, quo fit, quòd, licèt in hac, Deus generat, prædicatum determinet subiectum ad supponendum pro Patre, tamen, in hac: DEVS NON GENERAT. non fit talis determinatio, cum non generare, indifferenter conueniat multis, essentiæ videlicèt, & personis, & consequentèr dicunt, quòd in hac negatiua subiectum supponit pro hoc Deo, non determinando aliquam Personam, atq; adeò censetur prædicatum negari de hoc Deo, pro omnibus personis, & sic est falsa. Vazq. hic disp. 157, Cap. 4. referens pro se Scotum in 1. dist.

dist. 7. Quæst. 1. ait, quòd tàm in affirmatiua, quàm negatiua illud subiectum Deus, supponit pro hoc Deo singulari quo ad naturam, connotando personam vagè, atquè confusè ratione cuius annotationis affirmatiua est vera, & negatiua falsa: quia in illa, negatio remouet generationem à diuina natura in quacumque Persona, sed vtraquæ sententia est falsa: quia hæ propositiones Deus generat, Deus non generat, sunt simplicitèr oppositæ, vt patet, imo contradictoriæ in re, sed in affirmatiua subiectum supponit pro Patre tantùm, vt probauimus Cōclusione 3. Ergò in negatiua nō supponit pro hoc Deo, vt cōmunis realiter tribus personis. Patet consequentia: quia oppositio est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem.

Confirmatur, Prædicatum istius negatiuæ, Deus non generat, non est. Non generans, sed generans, cùm illa negatio, non teneat se ex parte subiecti, at generare est aliquid notionale, Ergò determinat subiectum illius, vt stet pro Patre. Sic Ergò ad argumentum dicendū est, quòd, cum prædicatum affirmatiuè, & negatiuè, sit prorsus idem, ex adiunctione illius, eodem prorsus modo subiectum determinatur, atq; adeò sicut in hac DEVS GENERAT, subiectum supponit determinatè pro Patre, ità, & in hac DEVS NON generat; & propterea hæc negatiua est falsa, quæ æquiualet huic Pater, non generat, nec D. Tho. in solutione ad 3. sentit oppositum: solùm enim docet, quòd in prædicta propositione, non est aliquid, ratione cuius determinetur hæc vox DEVS, ad standum pro persona Filij, vbi non negat, quin determinatè accipiatur pro persona Patris, per quod patet ad 1. & 2. Confirmationem.

Ad tertiam Respōdeo, quòd in diuinis ad intrà Quidquid non cōuenit actu, actu repugnat: quòd enim repugnans non est, semper conuenit Deo, cum sit omninò immutabilis, vnde, cum generatio dicta de Deo, dicat actum diuinum ad intrà, idem est Deum non generare, & Deo repugnare generationem, & consequentèr doctrina D. Thom. est vera in tali materia.

Ad quartum Argumentum Respondeo, quòd in hac propositione Deus genuit Deum, subiectum supponit pro Patre, & prædicatum pro Filio iuxta dicta in 3. Conclusione, vnde sufficit ad veritatem illius, quod inter Patrem, & Filium, sit realis distinctio.

Ad primam Confirmationem, Concedo hanc esse veram. Deus nō distinguitur realiter à Deo, iuxtà dicta, Conclusione 2. Corollar. 2. Ex quo non sequitur, quod Deus, non generet Deum, extrema enim huius propositionis supponūt pro Patre, & Filio, qui realitèr distinguuntur.

Ad secundam Confirmationem, Dico quòd Deus genuit Deum eumdem secum in natura: alium tamen in Persona, & ideo non potest dici, vel quòd genuit se Deum: quia illud relatiuum, SE, reflectitur super Personam, & ideò denotat quòd Pater genuit seipsum, vel quòd genuit alium Deum: quia illud relatiuum, ALIVM, importat alietatem in natura.

Ad quintum Respondeo, quòd in hac propositione, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater, prædicatum illud immediatè sequens ad Verbum. GENVIT. stat determinatè pro Filio, & quia relatiuum QVI, cum sit relatiuum substantiæ identitatis, refert restrictè, stat etiàm pro Filio, atque adeò, si loco ipsius ponatur suum Antecedens, debet poni cum eadem restrictione, ità quòd sit sensus, Deus genuit Deum, & Deus est Pater hoc est, & Deus Filius est Pater, qui est falsus.

Ad Confirmationem dico, quòd ad æquipolentiam illarum propositionum est necessariũ, quòd in secũda dũ dicitur, & Deus est Pater, subiectum illud accipiatur determinatè pro Filio, iuxtà exigentiam relatiui, cuius loco constituitur, & sic est falsa, sicut prima.

ARTICVLVS V.

Vtrum nomina essentialia in abstracto, significata possint supponere pro Persona.

Conclusio.

Nomina essentialia abstracta, non possunt supponere pro Personis.



EX hac Conclusione deducit D. Tho. non esse concedendam istam propositioné ESSENTIA GENVIT ESSENTIAM. Et quod hoc ità sit, patet: Nàm propositio ista damnata est in Concilio Lateran. cap. Damnamus de Summ. Trin. & fide Catholica his Verbis, illa res, essentia scilicèt, non est generans, nec genita, nec procedés, sed est Pater, qui generat, & Filius, qui gignitur, & Spiritus Sanctus, qui procedit, vt distinctiones sint in Personis, & vnitas

vnitas in natura, & licèt Olchot in suis determinationibus Quæst. 10. dub. 4. ausus sit dicere, nos non posse sufficienter reddere rationem quare prædicta propositio falsa sit, præter reuelationem factam Ecclesiæ; in hoc tamèn fuit temerarius, licèt enim Spiritus Sanctus, in suis diffinitionibus assistat Ecclesiæ, vt infalibili regulæ veritatis, illa tamèn nihil absq; ratione diffinit, & prætermissis alijs, quæ à quibusdam traduntur, ea efficacissima est, qua hic vtitur D. Tho. quia, cum essentia non habeat ex modò suæ significationis, quòd supponat pro Personis, significat hanc essentiam, vt formam abstractam, si ea, quæ sunt propria personarum, quibus ad inuicem distinguuntur, qualia sunt generare, & generari, & procedere, attribuantur essentiæ, significaretur quòd esset distinctio in essentia diuina, sicut est distinctio in diuinis Personis.

Sed contra Conclusionem, & rationem simul arguitur. Non minus distinguuntur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus Paternitate, Filiatione, & processione, quàm distinctis originibus, quales sunt generare generari, & procedere, sed per hoc, quod concedatur essentiam esse Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, non significatur, quòd sit distinctio in essentia diuina. Ergò nec significatur talis distinctio per hoc, quòd concedatur essentiam generare, generari, & procedere.

Pro solutione istius notanda est doctrina D. Tho. hic in solutione ad 5. vbi hanc constituit differentiam inter substantiua nomina, & adiectiua, quod substantiua ferunt secum suum suppositum, adiectiua verò non, sed rem significatam ponunt circa substantiuum, ex quo sequitur quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, cum nomina substantiua sint, quantumcumq; importent realem distinctionē ad inuicem, non applicant illa naturę diuinæ, Sed secum retinent in proprijs suppositis, cùm dicitur essentia est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, at verò generare, generari, & procedere, cum sint adiectiua, distinctionem realem, quam important, ponunt circa substantiuum, atq; adeò applicant illa naturæ diuinæ, pro qua essentia supponit, cum dicitur, Essentia generat, generatur, & procedit, & ideo prima propositio concedenda est, & secunda neganda.

Hinc sequitur posse optime concedi istam propositionem: Essentia est generans, si exprimatur quòd prædicatum sumitur substantiuè, facit enim sensum, Essentia est res generās, & sic eam concedere videtur D. Tho. hoc loco, dum docet notionalia substantiua prædicari de essētia in abstracto, absolutè tamèn semper neganda est: quia vt in plurimum generās sumitur adiectiuè, & sic damnata est loco suprà citato.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Personæ possint prædicari, de nominibus essentialibus.

Conclusio.

Nomina tàm Personalia, quàm notionalia, si sint adiectiua, non prædicantur de essentia, si verò substantiua sint, prædicantur de illa.



N hoc art. duæ sunt propositiones, de quarũ qualitate potest dubitari. Prima est, Deus vel diuina essentia, est tres Personæ. De qua D. Tho. in corpore articuli tractat, & licèt Gilbertus (vt refert Canariẽsis hic) illam negauerit, cuius ratio fuit: quia Deus, dicebat ille, solùm personalitèr, & quasi diuisim supponit pro Personis diuinis: nulla autem illarum est tres Personæ: nihilominus certum ac de fide censeo, istam propositionem esse veram, tùm quia hæc est vera, Tres Personæ sunt Deus, Ergò & hęc Deus est tres Personæ. tenet Consequentia per conuersionem simplicem, tùm etiàm quia Deus nõ tantùm est Pater, vel Filius, vel Spiritus Sanctus sigillatim, & quasi diuisim, sed etiàm simul, & coniunctim, & oppositum fundamentum, nullius momenti est: quia subiectum illud supponit pro hoc Deo realitèr communi, sicut subiectum istius Deus, est Trinitas, de quo Art. 4. dub. vn. Conclusione 1.

Quòd si quæras, An præd. propositio sit per se, Respõdeo esse per se non tantùm in primo modo perseitatis, sed in secundo, cùm prædicatum non sit de essentia subiecti, sed econtra subiectum sit de essentia prædicati, quod significant Caiet. supra Quæst. 30. Art. 4. & Scotus in 1. d. 23. Quæst. 1. quatenùs asserunt in Trinitate, nihil de Deo communitèr dici, nec de omnibus personis extra Deitatem, nisi ad modum proprij.

Obijcies. Ergò hæc locutio etiam erit vera, Deus, inquantũ Deus, est tres personæ. Respondeo distinguendo Consequens, si illa dictio

Quan-

Quantum reduplicet rationem formalem, per quam prædicatum formalitèr conuenit subiecto: Nego Consequentiam: quia Trinitas personarum non est de formali, & essentiali cóceptu Dei, alioquin quælibet persona diuina esset Trinitas: quia quælibet est verus Deus, si reduplicet rationem radicalem, & veluti remotam nostro modo intelligendi, per quam prædicatum subiecto conuenit, concedo, & simile est de ista. Homo (inquantum homo) est risibilis, quæ vera est, si reduplicetur radice risibilitatis: falsa autèm, si reduplicitèr forma, per quam homo est formalitèr risibilis.

Secunda propositio est.

Deus, vel diuina essentia est Pater.

De qua D.Th. in solutione ad secundū tractat, & quidem in primis, nullus catholicus dubitat, quin vera sit, deinde certum est non esse prædicationem accidentalem quoad rem, quæ prædicatur, quia est vera substantia, seu substantialis modus, vt loquitur Caiet. suprà Quæst. 30. Art. 4. quoadmodum verò prædicationis, aliqui vocat illam accidentalem: quia est veluti inferioris, de superiori D.Th. autèm hoc non admittit, & ratio est: quia in Deo non est superius, & inferius, sed id, quod videtur esse commune, singulare est, & eius communitas est realis, id autèm, quod videtur esse inferius, est proprietas intrinseca (quàmuis inadæquata illius rei communis) docet Ergò D. Thom. prædict. propositionem esse per se, quod Caiet. cum addito, exponit esse per se identicè, quæ expositio legitima est, si subiectum sit diuina essentia, quæ est altera pars illius disiuncti, & ratio: quia, vt dictum est Artic. præced. diuina essentia ex modo significandi, non supponit pro persona, & ideò ex vi formalis prædicationis, cum dicitur essentia diuina est Pater, Pater non prædicatur de se, sed solùm propter summam identitatem, quæ est inter illa duo extrema, & sic præd. propositio est per se identicè, at verò si subiectum sit Deus, quod est altera pars illius disiuncti, cum ex modo suæ significationis habeat posse propriè supponere pro personis, vt dictum est Art. 4. significat enim Deitatem, vt in habente, cum Pater sit habens Deitatem ex vi formalis prædicationis, quandò dicitur Deus est Pater, Pater prædicatur de se, & sic prædicta proposito est per se non identicè, sed formalitèr, quod insinuat D.Th. dum ait, quod sicut


est per se ista, Pater est Deus, itá & ista Deus est Pater, non tamen Pater prædicatur de Deo per se in primo modo ab Arist. posito: quia prædicatum non est de essentia subiecti, sed prædicatur per se in secundo modo: quia subiectum est de essentia prædicati, videlicèt Deus de essentia Patris, cum Pater dicat in suo conceptu naturæ diuinæ indiuiduam substantiam, hoc est intrinsecè constantem ex Deitate tamquàm ex essentia, & ex Paternitate, tamquàm ex modo intrinseco essentiæ, quæ constitutio locum habet in diuinis secundum apræhensionem nostram seclusis imperfectionibus, vt patebit Quæstione sequenti.

ARTICVLVS VII.

Vtrum nomina essentialia sint approprianda Personis.

Conclusio.

Ad manifestationem fidei conueniens fuit essentialia attributa Personis appropriari.



ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum conuenientèr à Sacris doctoribus sint essentialia Personis attributa.

Conclusio Prima.

Secundum considerationem, qua Deus absolutè secundum esse suum consideratur, æternitas appropriatur Patri, species Filio, vsus Spiritui Sancto.

Secunda.

Secundum considerationem, qua Deus, vt vnus consideratur, vnitas appropriatur Patri, æqualitas Filio, concordia, seu connexio Spiritui Sancto.

Tertia.

Secundum considerationem, qua Deus, vt habens virtutem sufficientem ad operandum consideratur, Potentia appropriatur Patri, sapientia Filio, bonitas Spiritui Sancto.

Quarta.

Secundum considerationem, qua Deus in habitudine ad suo; effectus cõsideratur, præpositio, ex quo, appropriatur Patri, Perquem Filio, in quo Spiritui Sancto.




IRCA hos duos Articulos. Nota quod appropriari aliquid alicui personæ, est attributum quod alioquin est commune omnibus personis, accomodare alicui specialitèr propter aliquam specialem rationem, vnde omnia, quæ à Sacris doctoribus appropriantur vni personę, conueniunt alijs essentialitèr, nec obstat quod huiusmodi appropriata appellent Aug. 6. de Trin. Cap. 10. propria personis, & Mag. in 1. d. 31. proprietates personarum, sic enim loquuntur, non quia communia non sint, sed quia quatenus appropriātur

tur aliquibus personis, quasi propria aliquibus redduntur.

Hinc sequitur, errasse Petrum Abailardum, vt refert D. Ber. Epist. 190. qui affirmauit, appropriata personis esse reuera illis propria, vt potentiam esse in Patre, & non in Filio; sapientiam in Filio, & non in Patre, bonitatem in Spiritu Sancto, & non in alij personis, qui error hæresis manifestè conuincitur, & ex multis locis Sacræ Scripturę, in quibus, & potentia Filio, & Sapientia Patri, & bonitas vtriq; tribuitur. De quibus vidēdus est Noster Seraphinus Capponius hic, & ex illo memorando anxiomatè in Concilio Florentino Sancito in hac materia multoties adducto, in diuinis omnia sunt vnum; vbi non obuiat relationis oppositio; cum enim intèr Potentiam, Sapientiam, & bonitatem, nulla sit oppositio relationis, erunt vnum, atq; adeò communitèr conuenient omnibus tribus personis, sicut, & cętera, quę ad diuinam pertinent vnitatem. Quæ autèm approprientur, quibus, & ob quid huiusmodi appropriatio fiat, vide à pręd. D. Th. & Caiet. hic vbi multa docent adeò ordinatè, atq; distinctè, vt lectione potius, quàm expositione indigeant.

Explicit Quæstionis 39.



QVAE-

QVÆSTIO XXXX.
DE PERSONIS DIVINIS IN COMPARATIONE AD Relationes, vel proprietates.

ARTICVLVS PRIMVS.

An relatio sit idem, quod Persona.

Prima Conclusio est affirmatiua.

Secunda propriè, conceditur relationis,& proprietates personales esse in diuinis.

DVBITATVR.

An ità relationes, & proprietates Personales, sint in Personis diuinis, quòd propriè constituant illas.



VIDETVR quòd non, Primò: quia Persona diuina non est minus simplex, quam proprietas, vel essentia, sed essentia aut, proprietas, vel relatio propter suam simplicitatè, non cõstituitur aliquo, Ergò nec persona. Maior patet, quia persona diuina est omninò simplex, nullam omninò admittens compositionem, vt patet ex rationibus D. Tho. suprà quæst. 3. Art.7. Minor verò probatur. Quia, si proprietas vel essentia constituatur aliquo, constitutiuum etiam eius constitueretur alio, & sic esset processus in infinitum: Nàm eadem est ratio de essentia,& proprietate, atq; de constitutiuo illarum, cum etiam ta-

lè

lè constitutiuum significatur, vt forma.

Secundò constituens, non est idem, cum constituto, Ergò in persona diuina, non est aliqua relatio constituens illam: Consequentia patet, Quia alias talis relatio constituens personam non esset idem cum illa, Antecedens verò probatur, Quia constituens est causa constituti, à quo dependet ipsum constitutum, nihil enim est causa sui, aut pendet à se.

Confirmatur: quia aliàs, si esset idem constituens, esset persona, & persona constitueretur per personam, Imò idem constitueret seipsum, quæ omnia implicant.

Tertiò. Arguitur, quòd ista constitutio non sit saltem ex natura rei: quia constitutio alicuius ex natura rei, postulat distinctionem ex natura rei inter constituentia, & constitutum, sed relatio, & persona non distinguuntur ex natura rei, vt suppono ex Quæst. 28 Ergò. Maior patet: quia nihil constituit se, sed aliud, Ergò ex natura rei constituit, & constituit aliud distinctum ex natura rei.

Confirmatur tripliciter. Forma constituens, est actus constituti, Ergò, vt constituat realitèr debet esse actus realis eius, sed non potest esse actus realis sine distinctiuè ex natura rei: quia actus realis dicit habitudinem realem ad id cuius est actus, Ergò &c.

Secundò. Confirmatur Constitutio Hominis ex Animali, & rationali, non est realis, sed rationis: quia licèt extrema sint realia, tamèn sola ratione distinguitur inter se, & ab homine, sed etiam relatio sola ratione distinguitur à persona, Ergò solùm per rationem constituit illam.

Tertiò. Confirmatur constitutio alicuius requirit adunationem multorum in vno constituto, Ergò, vbi illa solùm ratione fuerint plura, constitutio erit secundùm rationem.

Quartò Arguitur. Relatio non est in Patre constituens illum, tamquam forma totalis, nec tamquàm veluti partialis, Ergò nullo modo. Antecedens pro prima parte patet: quia Ioannes, qui in Concil. Florent. Egit partes Latinorom, dixit, vt refertur Sess. 19., Personam diuinam constare ex essentia, & proprietate, approbaturq; ibi ista sententia; constare verò idem est, quòd constitui. Si autèm constitueretur relatione, vt forma totali, sola illa constitueretur, sicut Deus sola Deitate constituitur: quia est forma totalis; Item quia relatio, non est forma essentialis personæ, sed tantùm personalis, sicut personalitas Petri, Petrus autèm non constituitur sua personalitate tamquam forma totali: quia etiam includit essentiam, Ergò &c. pro secunda etiam

etiam parte probatur dupliciter idem Antecedens primo. Quia Paternitas, Verbi gratia, includit intrinsecè essentiam, vt suppono ex Quæst.28. Ergò non constituit, vt forma partialis simul cum essentia, aliàs essentia bis diceretur constituere personam, semel in se, secundò in relatione.

Secundò probatur: quia si constituit, vt pars, Ergò constituit, vt posterior, quàm persona in genere causæ formalis, & prior illa in genere causæ materialis: Nàm isto modo concurrunt partes ad constitutionem totius, Consequens autèm admitti non potest: Nàm in persona diuina, nihil est priùs aut posterius.

Quintò, & vltimò Arguitur. In omni eo, quòd constituitur ex diuersis, vna pars est actus respectu alterius, vel omnes sunt in potentia respectu totius, sed in Deo, nihil est potentialitatis, Ergò.

Sed contra est, quòd relationes significantur, vt formæ, quia significantur in abstracto; forma autèm est in eo, cuius est forma constituens illud, veluti in suo esse formali.

In hoc dubio sunt sex sententiæ. Prima dicit, relationes, non esse personas, neque in personis, quia non significantur, vt existentes in aliquo, sed vt referentes illud ad aliud. Ità Porretanus.

Secunda sententia est, quod relationes: quia sunt omninò idem cũ personis, nec sunt in personis, neq; constituunt illas: quia nihil est in eo, quod omninò identificatur sibi, nec constituit illud. Ità Præpositiuus, & Gregorius in 1.dist.26. & 27. Quæst.1.

Tertia sententia est, Relationes ex natura rei distingui à persona, vt ab essentia, & ideò simul cum essentia ex natura rei constituere personam. Ità Scot. 1. dist.5. Quæst.2. & dist. 26. Quæst. vnica, & Basolis ibidem Quæst.2. Art.2. & Durand. dist.33. Quæst.2.

Quarta sententia est, Relationem non esse in personis, nec constituere illas ex natura rei. Seipsis ex natura rei constituuntur personæ, & identificantur omninò cum relationibus: benè tamèn esse in illis, & constituere illas nostro modo intelligendi, quia adhoc sufficit, quòd distinguantur virtualitèr, & eminentèr, & hoc, inquiunt, sufficit, vt absolutè possit dici personas constitui per relationes; subdunt tamèn, relationes nostro modo intelligendi constituere personas, vt formas, non partiales, sed totales, importantes totum, quòd dicunt personæ. Ità Caiet. hic, Art.2. circa solutionem ad secundum Ferrar. 4. contra Gent. Cap.26. §. ad euidentiam horum. Torres hic Art. 2. Quæst. 1. Comentarij, & Artic. 4. & Vazq. 1. p. disput. 158. Cap. 2.

Quinta

Quinta sententia est, Relationes diuinas, ex natura rei esse in personis, & constituere illas, vt formas partiales; secluso omni modo cõpositionis, non tamèn, vt formas totales: Ità Francis. Suarez lib. 7. de Trinit.

Sexta sententia, est Relationes comparatas precisè ad personas cõstituere illas actu à parte rei, vt formas totales: consideratas verò, vt ratione, distinguuntur ab essentia, sic inquiunt, simul cum essentia solum nostro modo intelligendi constituunt personas, vt formæ partiales. Ità Molina hic disp. 1.

Prima Conclusio.

SEd pro explicatione. Dico absolutè concedendum esse, relationes, & proprietates esse in personis. Hæc Conclusio est adeò certa, vt Torres dicat, esse errorem oppositam sententiam, & Francis. Suarez. dicat esse temerariam; Mihi autèm videtur hæc sententia certa de fide, & oppositam esse hæresim: quia ità expresse est diffinita in Concil. Rhemẽsi congregato sub Eugenio, cui interfuit D. Bernardus biduo disputans contra Gilbertum; & ibi Sibertus toactus fuit suam sententiam retractare; ità refert hic Serafinus. Probatur, Ergò conclusio primò: quia in præfatione Mise de Trinitate, canẽt. Ecclesia, in personis adorare proprietates.

Secundò: quia in sexta Synodo Generali, actione 15. & 19. habetur, & approbatur Epistola Sofronij, vbi dicitur, personas diuinas habere suas proprietates, quibus distinguuntur, quod etiam habetur in Concil. Iolet. 11. in Confess. fidei. & in Concil. Lateràn. & refertur in Cap. firmiter de summa Trinit.

Confirmatur duplicitèr, primò. Quia in Concil. Florent. Sess. 19. diffinitur, personas diuinas substãtia proprietateq; consistere, & sess. 18. sæpè reperitur; illas distingui proprietatibus, sed idem est constitutiuum, & distinctiuum rei, Ergò &c.

Secundò confirmatur: Nàm Tertullianus lib. 2. contra Praxeam Cap. 2. & Cyprianus lib. de operibus Cardinalibus Christi; Cap. de Natiuitate Christi, & alij, istas proprietates, vocant formas personarum, Ergò sunt in illis.

Respondet Gregorius, istas locutiones, esse intransitiuas, idest in personis adoratur proprietas, id est, adoratur persona; quæ est proprietas.

Sec contra hoc est, quod Concilia asserentia personas habere suas

pro-

proprietates, & constare ex illis, non possunt sic explicari: Nàm sẽsus esset, personas habere seipsas, & constare ex seipsis.

Secundò Arguitur, cum proprietate, dicitur in eadem præfatione, in potentia esse Maiestatem, & in essentia vnitatem, & verè dicimus in Deo esse Sapientiam, Misericordiam, & Trinitatem, licèt hæc sola ratione diistinguantur à Deo, & nullam faciant compositionem, cum eo, Ergò idem est de relationibus, respectu personarum.

Vltimò. Verè concedimus Deum intelligere, & Patrem æternum generare, Ergò etiam debet concedi, relationes esse in Personis. Antecedens patet, quia licèt ibi ex modo significandi, significetur aliqua diuersitas inter subiectum, & prædicatum; tamèn illa non significatur ex parte obiecti, & modus significandi, vel concipiendi, licèt non conueniat Deo, non facit propositionem falsam, aliàs falsa esset omnis conceptio, quam habemus de Deo, quia concipimus illum compositiuè, non ex parte obiecti, sed ex modo concipiendi. Ergò &c. Cõsequentia verò probatur, quia etiam illa propositio, in Patre est paternitas, non significat aliquam compositionem ex parte obiecti, sed solùm ex modo significandi, & hic modus non falsificat propositionẽ.

Secunda Conclusio.

DIco secundò, Absolutè cõcedendum est, Personas diuinas con stitui suis proprietatibus, vel relationibus, Probatur, Absolutè cõcedunt concilia (vt dictum est) personas habere suas proprietates, & relationes, & consistere, vel constare ex essentia, & relatione, Ergò etiã asserendum est, absolutè constitui ex illis. Probo Consequentiam, quia consistere, vel constare ex illis, vt deducit Vasquez. vbi suprà Cap. 5. idem est, quòd constitui ex illis, vt si esset diuersum, non requiritur maior distinctio inter Constitutiuum, & constitutum, quàm inter id, ex quo aliquid constat, & id quòd constat ex illo; sed, non obstante omnimoda simplicitate, & entitate Personæ, cum relatione, absolutè concedunt Concilia, personam diuinam consistere, vel constare ex essentia, & relatione, Ergò etiam concedendum est, absolutè constitui ex illis.

Confirmatur, Absolutè concedimus, quamlibet rem constitui sua forma, & concretum suo abstracto, vt sapientem constitui sapientia, sed relatio comparatur ad personam, vt forma eius, Ergò &c.

Secundò, licèt personæ, & relationes identificentur formalitèr, absolutè conceditur, personam distingui relationibus, Ergò etiam ab-

ſolutè concedendum eſt, illas conſtitui relationibus, quia non requiritur maior diſtinctio inter conſtitutiuum, & conſtitutum, quam inter diſtinctiuum, & diſtinctum, cum id, quòd eſt conſtitutiuum, ſit etiã diſtinctiuum.

Tertiò probatur, neceſſariò concedendum eſt, perſonas diuinas eſſe in ſe incommunicabilitèr ſubſiſtentes, & non poteſt concedi, illas hoc habere ſe totis. Ergò neceſſariò concedendum eſt, & aſſerendum illas hoc habere per relationes, quas habent in ſe. Maior eſt de fide. Minor etiam eſt certa, quia perſonæ includunt intrinſecè eſſentiam, quæ de ſe eſt communicabilis. Ergò non ſunt incommunicabiles ſe totis, & ſecundum omnia, quæ includunt. Conſequentia verò probatur, quia incommunicabilitatem, non poſſunt perſonæ habere in ſe aliunde, niſi ex relationibus, quas in ſe habent.

Concluſio tertia.

Dico tertio, relationes ex natura rei, & ſecluſa operatione intellectus conſtituunt perſonas diuinas per modum ſimplicitatis, vel, vt alij dicunt, per modum identitatis, pro huius declaratione notandum eſt ex Caiet. hic Art. 3. §. circa hanc partẽ quod conſtitutio eſt duplex, prima per modum compoſitionis, vt forma ſimul cum materia conſtituit compoſitum. Secunda per modum ſimplicitatis, vel identitatis, quomodo ſimplex forma conſtituit ſuppoſitum ſimplex, vt Deitas conſtituit Deum; differunt autem; quod forma conſtituens primò modo, non eſt ipſum conſtitutum, vt anima hominis non eſt homo; Conſtituens verò ſecundo modo eſt ipſum conſtitutum, vt Deitas eſt Deus, quia non conſtituit niſi ponendo ſe, & pro tanto dicitur conſtituere, pro quanto ponit ſe in concreto, & eſt ipſum conſtitutum. Vnde D. Tho. hic art. 2. ait, quod relationes conſtituunt perſonas, inquantum ſunt ipſæ perſonę ſubſiſtentes, ſicut paternitas eſt Pater, quia in diuinis non differunt abſtractum, & concretum. Hoc ſuppoſito. Probatur primò Concluſio. Ad hoc genus conſtitutionis realis ſatis eſt, quòd forma à parte rei ſecluſa operatione intellectus ponat ſuum eſſe in concreto, & ſit ipſa res conſtituta, vt dictum eſt. Sed relationes diuinæ, ſecluſa operatione intellectus, realitèr ſunt formę, quæ ponunt ſuum actum in concreto, id eſt, in perſonis, & ſunt realitèr ipſæ perſonæ conſtitutæ, Ergò realitèr, ſecluſa operatione intellectus, actu conſtituunt perſonas diuinas.

Secundò, perſonæ diuinę realitèr, & actu diſtinguũtur relationibus, Ergò

Ergò eodem modo, constituuntur illis, Ergò &c. Antecedens patet; quia realiter actu distinguuntur aliquo, & non se totis, quia conueniunt in essentia, Ergò relationibus, Consequentia verò probatur, quia idem est constitutiuum, & distinctiuum rei, & non requiritur maior diuersitas ad constituendum, quam ad distinguendum.

Quarta conclusio.

DIco quartò. Absolutè potest concedi personam diuinam constitui ex essentia, & relatione, vel proprietate. Probatur, quia ità asseritur in 7. Synodo generali act. 6. vbi dicitur, hypostasis est substātia cum proprietate, & in conc. Flo. sess. 19. approbatur dictum Ioannis latini, asserentis personas constare ex essentia, & proprietate. Ergò &c.

Secundò, conceptus paternitatis, vt est proprietas Patris, non explicat totũ quod est in Patre, quia licèt includat essētiā distinguitur tñ ratione ab ea, & ideò non explicat eā sub proprio conceptu suo, Ergò hoc sufficit, vt verè dicatur personas constitui ex relationibus, & essentia, quia ad hoc verificandum satis est, vt ad talem constitutionem concurrant essentia, & relatio, vt ratione distinctæ.

Tertiò, licèt animal, & rationale in confuso includant quidquid includit homo, tamèn quia proprij, & formales conceptus eorum distinguuntur, verè dicimus hominem constitui, ex animali, & rationali. Ergò similitèr licèt relatio in confuso includat essentiam, & quidquid dicit Persona, tamèn quia in suo formali conceptu non explicat essentiam, verè dicitur cōstare personam ex essentia, & relatione, Vide Dur. p. dist. 5. Quæst. 2.

Quinta conclusio.

DIco quintò, hæc cōstitutio personæ ex essentia, & relatione, vt significatur per modum compositionis, ex rationibus distinctis, solùm est constitutiua secundum rationem, & ex modo concipiendi, non verò realitèr, seclusa tamen operatione intellectus, secundum id, quod importat à parte rei correspondens ipsi personæ, est realis. prima pars probatur, quia compositio significat adunationē multorum distinctorum ad constitutionem vnius, sicut essentia, & relatio, quibus constituitur persona, solùm sunt distinctæ secundum rationem, Ergò compositio ex illis solùm est secundum rationem, quia solùm

per rationem reperitur in eis distinctio requisita ad talem compositionem.

Secundò, ad istam constitutionem, vt habet modum compositionis, requiritur ordo relationis, tamquàm principij cōstitutiui ad personam constitutam, sicut hic ordo est tantùm rationis, quia est eiusdē ad seipsum, Ergò non nisi per rationem, intelligimus hanc constitutionem habere modum Compositionis.

Secunda verò pars probatur. Primo, quia isti constitutioni, sic conceptæ à parte rei, & seclusa operatione intellectus, correspondet aliquid in ipsa persona, Verbi gratia, correspondet ei quidquid conuenire solet personæ realitèr constitutæ, secludendo tamen actualem distinctionem realem, & alias sui perfectiones, correspondet enim ei, quòd sit principium, vel huius realis protestationis, & quòd personalitèr distinguantur ab alijs. Ergò hoc sufficit, vt tali constitutioni correspondeat actualitèr aliquid reale in ipsa persona.

Secundò, Inter Patrem, essentiam, & relationem; & inter intellectū, & voluntatem Dei, solùm reperitur virtualitèr distinctio formalis, & tamèn illa sufficit, vt à parte rei, pater generet Filium per intellectum, & non per voluntatem, & quòd essentia, vel relatio, non generet illum: Ergò, similis distinctio formalis virtualis inter relationem, & personam sufficit, vt relatio verè, & realitèr constituat personam, quantum ad id, quòd ei correspondet à parte rei; Probo Consequentiam, quia actualis distinctio rationis, quæ virtualiter est formalis, non impedit quamlibet rationem consequi propria sibi, ac si formalitèr, vel realiter distingueretur ab altera, & Pater, & essentia sic distinguuntur, ideò realitèr Pater generat, & non essentia, Ergò similiter distinctio rationis inter relationem, personam, & essentiam, quæ virtualitèr est formalis, non impediet, quò minus essentia, & relatio realitèr constituant personam Quantum ad id, quòd à parte rei correspondet in persona, non minus, quàm si distingueretur realiter, vel formaliter. Explicatur hoc, licèt relatio solùm ratione distinguatur à persona, tamen quia distinguitur ab illa virtualitèr, formalitèr, ideo, teste D. Th. hic ad secundum, relatio est in persona secundum rem, quantum, scilicèt, ad id, quòd correspondet ei à parte rei, quia Pater à parte rei, per illam refertur ad Filium, & distinguitur ab illo. Ergò similiter propter eamdem distinctionem virtualem Relatio realiter constituit personam, non quantùm ad modum compositionis, sed quantum ad id, quod ei correspondet à parte rei in persona.

Ad primum, Ergò Nego Minorem, nām essentia, vel relatio licèt

sint

sint omninò simplices,tamèn significantur in abstracto, & vt formę, quarum est constituere,& non constitui, & ideò illæ non constituuntur,concreta verò sunt,quæ constituuntur suis abstractis, tamquàm formis totalibus,vel ex illis,tanquàm formis partialibus.

Ad secundum,distinguo antecedens,Constituens per modum simplicitatis,Nego Antecedens, Constituens per modum compositionis quod est idem re,& ratione cum constituto,si tale aliquid datur,concedo Antecedens,Nego tamèn illud,si isto modo constituens ratione distinguuntur à constituto, Nàm animal,& rationale,constituunt hominem,à quo sola ratione distinguuntur. Ad probationem verò cōtra hoc,Nego Antecedens,Nàm teste Capræolo p. dist. 26. Quæst. 1. ad primum Gregorius,cōtrà primam,solùm tunc constituens est causa constituti, cum est pars physica illius, quòd non reperitur in diuinis. Ad Confirmationem, Nego Sequelam, Nàm prædicta distinctio virtualitèr formalitèr inter relationem, & personam sufficit, vt relatio,quæ formalitèr identificatur cum persona, & constituit illam,non sit persona.

Ad tertium distinguo Antecedens, Constitutio per modum simplicitatis ex natura rei requirit distinctionem ex natura rei, inter constituens,& constitutum, Negò Antecedens, imò requirit omnimodā identitatem,vt diximus Conclusione 3. vt docet Arist. & Linconiensis 2.post Cap.2.si verò loquamur de constitutione,per modum compositionis,quantum ad id, quòd correspondet in re,dictum est ad illam sufficere distinctionem virtualitèr formalem,licet modus compositionis non sit, ex natura rei super intellectum,quia extrema non sunt distincta ex natura rei.

Ad primam Confirmationem,Nego Antecedens,sed satis est,quòd realitèr sint idem, & virtualitèr sit actus illius; Id autem, quòd formalitèr est idem cum illo,& solùm virtualitèr est actus illius, sola ratione distinguitur ab eo.

Ad secundam distinguo Antecedens,solū est constitutio per rationem quantum ad compositionem,concedo Antecedens,quantùm ad id,quòd in re correspondet tali compositioni, scilicèt, hominem esse rationalem,Nego Antecedens,diximus enim, hoc esse aliquid reale.

Ad tertiam,distinguo Antecedens eodem modo, Constitutio erit per rationem quantùm ad compositionem,concedo Consequentiam; quantùm ad id,quòd correspondet ei in re,Nego Consequentiam.

Ad quartum principale, Molina hic ait, relationem sumi duplicitèr,primò vt præcisam ab essentia, & sic non esse formam totalem,


ſed partialem, quæ ſimul cum eſſentia conſtituit perſonam. Secundò vt includit eſſentiam, & ita conſtituere perſonam per modum ſimplicitatis non per modum formæ ſimul, cum eſſentia. Sed Franciſcus Suar.lib.5.de Trinit.Cap.3.impugnat hoc, quia ſi relatio aliqua concipitur, vt verè includens eſſentiam, diuinitas ſemper erit de eius eſſentia, & nunquam poterit excludi à conceptu illius, licèt poſſit non expreſsè ſignificari per relationem. Vnde Nego Antecedens, pro vtraq; parte.

Ad primam probationem, pro prima parte reſpondeo, illud teſtimonium ſolùm ſignificare, quòd relatio ſecundum id, quod explicat, veluti forma partialis conſtituens perſonam ſimul cum eſſentia; non tamen negat, relationem ſecundùm quòd includit eſſe formam tòtalem, vtrumq; non habeat ſecundum diuerſas conſiderationes, vt dictum eſt.

Ad ſecundam probationem, diſtinguo minorem, perſonalitas creata, concedo minorem, diuina; Nego Minorem: quia includit eſſentiã, & ità ſolùm implicitè dicit totum, quòd eſt in perſona.

Ad primam verò probationem, pro ſecunda parte Antecedentis, diſtinguo Conſequens, non concurrit, vt forma partialis ſecundum rem, & ſecundum conceptum, quo includit eſſentiam, concedo Conſequens; ſecundum conceptum expreſſum, vt ratione diſtinguitur ab eſſentia, Nego Conſequens, quia per illum ſolùm explicat rationem relationis, quæ, vt ſic, ſignificatur vt pars: neq; verò in tali Conſtitutione eſt negatum, quia non exprimitur eſſentia, licèt implicitè includatur in eſſentia relationis. Ad ſecundam probationem Reſpondeo, illas, quæ ſunt veræ partes, eſse cauſas conſtituti, non verò eas, quæ habent modum partis, ſecluſis imperfectionibus, vt hic cõtingit.

Ad quintum diſtinguo Maiorem, in omni quòd conſtituitur ex omninò diuerſis ex natura rei, Concedo Maiorem; Nego tamẽ illam, quandò ſolùm ratione diſtinguuntur, & hæc conſtitutio ſolùm eſt ex his, quæ ratione, & virtualitèr diſtinguuntur non verò ex natura rei.



AR-

ARTICVLVS II.

An Personæ distinguantur per relationes?

Conclusio est.

Melius dicitur, Personas diuinas distingui per relationes, quàm per Origines.

DVBITATVR I.

An Personæ diuinæ, constituantur per relationes?



IDETVR, quòd non, & primò probatur illas constitui per aliquod absolutum: Nàm Prouerb. 30. dicitur, quòd est Filius eius si nosti, ex quo loco sic arguitur, scriptura supponit illum esse filium, & quærit nomē proprium eius, Ergò filiatio non est nomen proprium constitutiuum illius.

Secundò, res quæ refertur est prius quàm referatur, sed in Deo non refertur essentia, sed persona, Ergò Persona est prius quàm referatur, & ità constitueretur aliquo absoluto, & non per relationem. Maior probatur dupliciter. Nàm relatio etiàm diuina, est ratio, qua aliquid refertur, non quæ refert, Ergò supponit rem, quæ referatur. Secundò, quia August. 7. de Trin. cap. 1. ait, quòd relatiuum est aliquid præter relationem, & subdit, quòd si Pater non est aliquid ad se, non est id quod refertur.

Confirmatur. Relationes diuinæ supponunt personas diuinas distinctas realitèr inter se, Ergò etiam supponunt illas constitutas aliquo absoluto. Consequentia patet: quia prius ratione est rem constitui, quàm distingui, & per Consequens, si personæ ante relationes sūt distinctæ, intelligentur etiam constitutæ non per relationes, sed per aliquod absolutum. Antecedens verò probatur: Nàm relatio realitèr exigit extrema realitèr distincta inter se, propter quod identitas sui ad se ipsum solùm est relatio rationis, vt habetur in 5. Metaf. Ergò si

Paternitas, est relatio realis Patris ad Filium, exigit Filium esse realitèr distinctum à Patre, & econtra Patrem à Filio.

Tertiò Arguitur, Pater in esse personæ, est prius ratione, quàm Filiū in esse personæ, Ergò non constituitur in esse personæ per relationem, sed per absolutum. Antecedens patet. quia generat personam Filij, generat autē aliquo modo, saltem ratione est prius genito: quia relatiua sunt simul natura, ratione, & cognitione. Confirmatur, si Pater constituitur relatione, idest, Paternitate, sequitur Filiationem nostro modo intelligendi, esse priorem persona Patris, consequens non debet admitti, Ergò &c. Sequella patet, forma constituens personam nostro modo cognoscēdi, est prior quā persona cōstituta, & ità Paternitas si constituit Patrem, erit ratione prior ipso Patre, sed in illo priori rationis intelligitur etiam Filiatio: quia relatiua sunt simul cognitione.

Quàrtò Arguitur; Persona producens supponitur ad productionem actiuam personę productę à se, Ergò etiam supponitur ad relationem, quæ consequitur talem productionem, & per Consequens non constituitur per illam, sed per aliquid absolutum; Antecedens est D. Th. hic & Art. 4. quia talis productio significatur, vt egrediens à persona, Ergò supponit illam constitutā. Consequentia verò pro prima parte patet: Nàm relatio, Verbi gratia, Paternitas fundatur in productione actiua Filij, & ideò debet supponere illam, & Consequentèr debet supponere personam, à qua egreditur, iàm constitutam, Pro secunda verò parte probatur eadem Cōsequentia: quia, si persona supponitur constituta ante talem relationem, Verbi gratia, Pater ante Paternitatem (cùm non constituatur alia relatione) constituitur per absolutum. Idem Argumentum fit de productione passiua: Nàm relatio Filii sequitur ad suam passiuam generationem in facto esse; & in termino, Ergò supponitur terminus productus ante relationem, & per Consequens non constituitur per illam relationem, sed per aliquod absolutum.

Quintò, & vltimo probatur, quod personæ diuinæ constituantur & distinguantur saltem Originibus: Nàm ità videntur docere Sancti Patres, Aug. enim lib. de fide ad Petrum Cap. 5. ait, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum distingui: quia aliud est genuisse, quàm nasci, vel procedere, & Damascenus lib. 1. de fide Cap. 2. ait, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse omninò vnum, excepta proprietate ingeniti, processionis, & generationis, & Cap. 10. & 11. ait, Spiritum Sanctum, habere omnia, quæ habet Pater, & Filius, excepta proprietate

geniti, & ingeniti, & Anſelmus in Epiſtola de proceſſione Spiritus Sãcti contra Græcos Ambroſ. lib. 1. de fide Cap. 2. Atanaſ. dialogo primo de Trinit. contra Annomaſ. & Biſſarion in Oratione pro Vnione, quæ habetur in fine Concilij Florentini Cap. 6. idem aſſerunt. Confirmatur dupliciter, primò: quia in ſententia D. Tho. relatio, vt relatio ſupponit Originem, & non conſtituit perſonam, conſtituit verò illam, vt eſt proprietas hyppoſtatica, Ergò idem poſſumus aſſerere de Origine, quod vt eſt Origo, ſupponit perſonam conſtitutam, & non conſtituit illam: conſtituit verò illam, vt eſt proprietas perſonalis: Nam vt ſic, nihil videtur ſupponere, ſicut nec relatio, vt eſt proprietas hyppoſtatica. Secundò Confirmatur; Perſona Patris, priuſquam genuit, intelligitur fecunda, & eſse principium cæterarum perſonarum non procedens ab alio principio, & hoc ſignificatur nomine ingeniti, & innaſcibilis, Ergò poterit conſtitui per rationem ingeniti, & innaſcibilis, & non per relationem Paternitatis. Probo Conſequentiã: quia prima perſona, poteſt, conſtituiq; debet per ſuam proprietatem primam perſonalem, fecunditas autèm, eſt prima proprietas perſonalis Patris.

Sed contra eſt Concluſio Articuli.

IN hoc dubio ſunt ſex ſententiæ. Prima eſt, perſonas diuinas habere quidẽ in ſe relationes, & Origines, conſtituit tamẽ in eſse perſonæ quibuſdam proprietatibus abſolutis, quæ ſunt quidam modi ſubſtantiales, determinantes naturam diuinam, ſicut perſonalitates creatæ determinant naturam creatam. Ità tenuerunt Liconienſis, & Io. de Ribera, & Adrianus, vt refert Marſilius, in 1. Quæſt. 30. Art. 1. Scot. etiam in 1. d. 26. Quæſt. Vnica. Sentit, hanc ſententiam poſſe defendi ſine aliqua cenſura, vel notà.

Secunda ſententia eſt, perſonas diuinas conſtitui, & diſtingui per Origines. Verbi gratia, Patrem conſtitui per generationem actiuam. Ità Ricardus de S. Victore, lib. 4. de Trin. Cap. 15. & Venab. in 1. diſt. 27. Quæſt. 7.

Tertia ſentẽtia eſt, perſonas diuinas noſtro modo intelligendi equè primò conſtitui per relationes ſimul, & Origines, & quod ſolùm inter eas eſt differẽtia, quoad modum ſignificandi; quia Origo, ex vi nominis, ſignificatur, vt egrediens à perſona, vel vt tendens ad perſonam, relatio verò ſignificatur, vt forma intrinſeca perſonæ, ità Valentia hic Quæſt. 14. pun. 2. & lib. 2. de Trin. Cap. 11. ex parte, quod conſentit,

cum eo Molina, hic disp. 2. memb. 3. dicens idem esse, personas constitui per relationes, & constitui per Origines: quia Origines, nec virtualiter distinguuntur à relationibus.

Quarta est, personam Patris, constitui per proprietatem innascibilitatis distingui verò à cęteris per Paternitatem, itá ex antiquis Alens. prima parte Quæst. 69. memb. 5. & alij, quos refert Dur. in 1. d. 28. Quæst. 1. & 2. & ex recentioribus tenent, idem Vazq. hic disp. 159. Cap. 5.

Quinta est personam Patris, non constitui Paternitate, sed relatione potentis generare, itá ex Enric. refert Scotus Quodlibet 4. & in 1. d. 26. & 27.

Sexta est, personas diuinas constitui, & distingui relationibus, itá D. Th. & eius Discipuli hic, idē tenent Duran. Albertus, Egidius, Ricardus, & Herueus in 1. d. 26. & 27. & Marsilius in 1. Quæst. 29. Art. 1. dub. 1.

Sed pro explicatione.

DIco primò. Personæ diuinæ nullas habēt proprietates absolutas, quibus constituantur. Hanc Conclusionem communitèr dicunt Theologi esse adeò certam, vt oppositum sit error, vel saltim proximum errori, & magna temeritas. Probatur primo: quia Scriptura eas compellat nominibus relatiuis, vt Mathæi vltimo. Baptizantes eos, vel in Nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, quo in loco, cum Christus accedentibus ad Baptismum voluerit tradere expressam notitiam personarum Trinitatis, debuit vti nominibus proprijs earum significantibus propria earum constitutiua, non enim est ratio, quare Christus ea celauerit, cum ipse ea cognouerit, & homines melius ea perciperent, si essent absoluta: quia assueti sunt personis creatis, quæ constituuntur per absoluta.

Confirmatur duplicitèr, primo: quia in Concilio Florent. Sessione vltima in litteris Sāctæ Vnionis, diffinitur Patrē omnia, quæ sua sūt dedisse Filio, prætèr esse Patrem, sed non dedit ei suam proprietatem personalem, & constitutiuam, vt sic: quia illa, vt sic, non potest esse, nisi in Patre, Ergò proprietas personalis Patris, nulla alia est, nisi Paternitas, aliàs aliquid non dedisset præter esse Patris.

Secundò, sola relatio multiplicat Trinitatem, Ergò sola relatio cōstituit personas Trinitatis. Consequentia patet: quia proprietates constituentes plures personas Trinitatis multiplicari illas, & per Cōsequens

ſequens, Si abſoluta conſtituerent illas abſoluta eam multiplicarent. Antecedens autèm approbatur à Concilio Flor. Seſsione 18. & 19. & difinitur in Concil. Toletano 21. in Confeſſione fidei. habetq; illud Auguſt. 39. in Ioann. 2. probatur: Nam Patres communitèr docent, in diuinis omnia prætèr Relationes eſſe idem, & communia omnibus perſonis, & tamèn ſi proprietates conſtitutiuę eſſent abſolutę aliquid abſolutis non eſſet commune omnibus, ſed proprium perſonæ, quàm conſtituit, Ergò. Mai. aſſeritur à Boetio lib. 1. de Trinitate. Damaſc. lib. 1. de fide. Cap. 10. & 11. Anſelm. lib. de Incarnatione Verbi Cap. 3. & lib. de Proceſſione Spiritus Sancti, Cap. 1. Ambr. lib. 1. de fide Cap. 1. Nazian. Orat. 5. de Theologia Ciril. lib. 7. Theſauri Cap. 1. Atanaſ. in Dialogo de Sancta Trinitate, quibus conſonat Aug. lib. 5. de Trinitate Cap. 5. Dicens in Deo tantùm eſſe relationem, & eſſentiam, & quicquid non eſt relatiuum pertinere ad eſſentiam.

Tertiò probatur implicat dari plura infinita abſoluta, Ergò implicat dari plures proprietates perſonales abſolutas in diuinis. Conſequentia patet: quia illæ cum non eſſent creaturæ eſsent Deus, & per Conſequens ſimplicitèr infinitę, Antecedens autē oſtenditur ſuprà Quæſt. 11. Art. 3. quia vel illa non differūt, ſi quodlibet eorum haberet quicquid habet alterum, vel ſi vni eorum conueniret aliquid, quin alteri, illud haberet priuationē talis perfectionis, & per Conſequens non eſset ſimplicitèr infinitum.

Confirmatur, illæ proprietates abſolutę non habēt, vndè multiplicentur, & diſtinguantur, Ergò non ſunt ponendæ. Conſequentia patet: quia ad conſtitutionem, & diſtinctionem trium perſonarum diuinarum neceſſariò debemus ponere tres proprietates conſtitutiuas, & diſtinctiuas illarum. Antecedens autem probatur: quia omnis multiplicatio formarum immaterialium, & incompoſibilium in eodem ſubiectò, prouenit ex hoc, quòd habēt aliquā oppoſitionē, ſed iſtæ proprietates abſolutè ſunt immateriales, & incompoſibilis in aliquo ſubiecto, & nō habet inter ſe aliquā oppoſitionē, Ergò implicat illas multiplicari. Ma. patet: quia, ſi non ſunt oppoſitæ, licèt ſint diuerſarum ſpetierum, poſſunt eſſe ſimul in eodem ſuppoſito, vt album, & triangulare. Mi. verò probatur, quòd illę proprietates de ſe ſint incompoſibiles in eodem ſuppoſito, quia ſunt vltimi termini naturæ, & implicat dari in eadem perſona duos vltimos terminos, aliàs ſi eadem perſona terminata vno termino vltimo, & perſonalitate, terminaretur alio, eadem perſona eſſet plures perſonæ, vt diſputatur in materia de incarnatione. Hoc autèm implicat. Ergò. quod verò non habeant

oppo-

oppositionem patet ratione D.Th.4.contra Gent. Cap.24.& Duran. 1. d. 26. vtsuprà nu. 10. Nàm non opponuntur contradictoriè, cum ambæ sint, positiuæ, neq; priuatiuè eadem ratione, & quia omnis, sunt infinitè perfectæ,& nihil perfectionis est in vna, quin reperiatur in alia neq;contrariè: quia istæ formæ, quæ opponuntur contrariè sunt diuersæ secundum naturam,& formam, in diuinis autèm nō est diuersitas secundum formam: Nàm ad Philip.2. dicitur, quod Filius est in forma Dei, & omnes personæ habent eandem formam essentialem,& naturam solùm, Ergò super est oppositio relatiuè, qua opponantur, aliàs non poterunt multiplicari.

Dices cum Scoto ad hanc multiplicationem, & incompossibilitatē satis esse distinctionem formalem inter proprietates absolutas: Nàm illa sufficit, vt duæ personalitates creatæ,& duæ naturę Angelicæ multiplicentur, & sint incompossibiles in eodem.

Vel, dices secundò illas proprietates opponi contrariè: quia personas habere eamdem essentialem formam,& naturam non tollit,quod minus proprietates indiuiduales earum, sint contrarię.

Sed contra solutionem facit, quod illæ naturæ, & proprietates opponuntur priuatiuè aliquo modo, aliqua non perfectio est in vna, quæ non est in altera aliàs non possent distingui. Hæc autèm oppositio non potest reperiri in diuinis personalitatibus: quia sunt infinitæ, eadem ratione impugnatur secunda solutio: quia teste Arist. 1. Fisicorum tex.49. & D.Th. in 1.d.26. Quæst.2. Art.2. in omni contrarietate vnum extremum est imperfectius altero, & per Consequens habet aliquàm priuationem illius perfectionis, quæ est in altero, nulla autèm proprietas diuina, est altera imperfectior, Ergò.

Dicò secundò, licèt personæ diuinæ, intelligantur habere origines, & relationes incommunicabiles, tamèn nostro modo intelligendi, nō per se primò, & equalitèr constituuntur in esse personæ per origines simul, & relationes. Hæc Conclusio est D.Th. hic dicentis, Quod libet personæ per relationes, & origines distinguantur, tamèn priùs distinguntur per relationes, secundò probatur, constitutiuum formale rei permanentis, & significatæ, vt in facto esse nostro modo intelligēdi, debet esse permanens, & in facto esse, & non debet nostro modo intelligendi supponere personam constitutam, vel tendere ad eam constituendam, Ergò origo, non potest esse nostro modo intelligendi formale constitutiuum alicuius personæ diuinæ, quæ est permanens, & in facto esse. Probo Consequentiam: quia origo, tàm actiua, quàm passiua significatur, vt fluens, & non in facto esse, sed in fieri, & origo acti-

ua, vt generare: quia significatur, vt fluens à persona producente nostro modo intelligendi, supponit talem personam constitutam. Origo verò passiua (vt generari) quia est via ad producendam personam nostro modo intelligendi pręcedit illas, & ità nostro modo intelligendi non potest significari, vt forma illius: quia cum formæ sit dare esse, forma personæ erit dare esse personæ, & ità non erit forma illius, quæ supponit esse ipsam personam, vel est via ad esse personæ.

Tertiò, illud est per se primò, & formale constitutiuum personæ, quod est per se primò illi proprium, sed talis est relatio, vt relatio, & non, vt origo, Ergò Min. patet: Nàm relatio, vt relatio secundum rationem, quàm explicat, & importat in recto, est propria personæ, Origo verò in recto dicit actum essentialem, qui est communis omnibus personis, & solùm ratione relationis, quàm connotat appropriatur alicui, vt dicetur Quæst. sequēti Art. 5. Ergò. Confirmatur; Origo cōueniēs alicui personæ diuinæ ex natura sua supponit relationē propriam illi, Ergò non constituit eam. Consequentia patet: quia formale constitutiuum illius, non supponit aliam proprietatem personalem, sed est prima, quæ illi competit. Antecedens autèm probatur: Nàm generatio actiua, V.g. est ipsum intelligere Verbi, vt est in Patre connotando ipsam Paternitatē, vt conditionem: Nàm ideò non conuenit Filio, & Spiritui Sancto, Ergò necessariò supponit eam, aliàs non esset, cùm illi soli conueniret.

Quartò, Id est formale, & per se primò constitutiuū personæ, quod per se primò reddit illam incommunicabilem, sed hoc habet relatio personalis: quia vt sic, opponitur cęteris. Origo verò id non habet, nisi ratione relationis, quàm connotat, Ergò relatio per se primò constituit personam, & non origo Mai. patet: quia constitutiuum personę non constituit eam secundum essentiam, sed vt incommuncabilem. Min. verò patet; quia origo dicit actum essentialem communem omnibus, connotando relationem ratione cuius appropriatur personæ.

Ex his sequuntur quatuor; Primus contra Molin. personas diuinas, à parte rei constitui quidem per origines secundum earum rationem formalē actualem; non tamèn, secundum eam qua virtualitèr distinguntur à relationibus, Probatur, sola distinctio virtualis intèr Patrem, & essentiam, & inter intellectum, & voluntates sufficit, vt Pater generet per intellectum, & non per voluntatem, & vt essentia non generet: quia ratio formalis generationis postulat esse à Patre, & ꝑ intellectū, & non ab essentia secundum eas rationes, quibus virtualitèr, distingūtur Pater, & essētia intellectus, & volūtas, Ergò similitèr litteras rei, &

forma-

formalitèr actualitèr sint idem origo, & relatio, tamèn quia virtualitèr distinguntur, & constitutio diuinæ personæ postulat, vt per se primò fiat, per eam rationem, quæ de se est incommunicabilis, & propria, & non ratione alterius connotati, & quæ habet modum formæ permanentis, & in facto esse, ipsa à parte rei constituetur per relationem vt virtualitèr distinctam ab origine, & nõ per originem, vt virtualitèr distinctam à relatione.

Confirmatur, quandò nos concipimus personas constitui per relationes, verè cõcipimus, vt patebit dubio Sequenti, Ergò ista est à parte rei, quod illæ constituantur per relationes secundum eam rationem, qua virtualitèr distinguntur ab origine, & non per originem, vt virtualitèr distinctam à relatione, aliàs, non verè conciperemus: quia ista conceptio non tenet se ex parte nostri intellectus, & modi cõcipiendi, sed ex parte obiecti, de quo enuntiamus constitui vna ratione, & non alia falsificat autèm propositionem à parte rei, & ex parte obiecti nõ esse ità sicut concipimus, licèt non falsificet eam modus, qui solùm tenet se ex modo cognoscendi distinctus ab eo, qui à parte rei contingit, vt diximus Art. 1. Conclusione secunda.

Secundum est contra Bonauent. personas diuinas non tantùm formalitèr constitui per origines etiam nostro modo intelligendi. Probatur: Nàm rationis factæ pro secunda concl. Hoc conuincunt Nàm, vt dictum est, origines significantur vt supponentes relationes, & personam constitutam, vel, vt productiones personarum, actus autèm qui supponit personam constitutam, vel sunt productiones personarũ vel non sunt formalitèr constitutiui illarum.

Confirmatur: quia origines, vt dictũ est, non sunt propriè ratione sui principalis significati, sed solùm ratione connotati, & ratione illius faciunt personas incommunicabiles, Ergò non cõstituunt illas in esse personæ, nisi ratione relationis connotatæ.

Tertium est ratio, quare D. Th. docuit in Art. relationes significari vt formas personarum, non verò origines, ratio huius est: quia forma rei permanentis, & in facto esse non debet significari, vt via, & fluxus à persona iam constituta, vel ad constituendam personam; & forma secundum se totam debet dare esse, & non ratione alteriùs Cõnotati, aliàs non esset forma secundum se, sed ratione connotati, constat autèm originem significari, vt viam, & fluxum à persona constituta, vel ad constituendam personam, & nõ esse proprietaté ratione sui principalis significati, sed ratione relationis connotatæ, & ratione illius solùm facere personam incommunicabilem, constat etiam relationem

sumptam eo modo, quod dicemus dub. Sequenti, non significari, vt operationem, viam, & fluxum à persona constituta, vel ad personas constituendas, & significari, vt permanentem, & secundum totum suū principale, & formale significatum dare personæ esse incommunicabile, Ergò certum, est relationem significari, vt formam constitutiuam personæ, non verò originem, licèt origo significetur vt forma personæ, non secundum se, sed vt est producens aliam, vel producta ab alia.

Quartum est ratio, quare D. Th. dixit in Art. personas diuinas distingui etiam originibus, non enim ibi loquimur de distinctione formali personarum diuinarum, quod illæ formalitèr distinguantur per origines, Sed loquitur de distinctione, & constitutione earum, vel vt est in via, vel radicali; declaratur hoc, origines passiuæ tamquam viæ pertinent ad distinctiuum, & constitutiuū personarum: Nā ideò producitur Filius, quia producitur per actū intellect⁹, & generationē, & ideò producitur Spiritus Sāctus, quia producitur per actum amoris non quia istæ processiones sint constitutiuæ talium personarum, sed quia cùm sint distinctæ formalitèr, vt diximus Quæst. 27. Art. 3. dub. 2. debent terminari ad terminos habētes diuersas proprietates, similitèr generatio actiua, qua Pater producit Filiū, per se formalitèr non constituit Patrem, benè tamèn radicalitèr: quia constituitur per Paternitatem, quæ est radix saltim, vt conditio generationis actiuæ.

Dico quartò, contrà Vazq. persona Patris non constituitur in esse primæ personæ per innascibilitatem, neq; verò per relationem potentis generare: prima pars huius Conclusionis, est D. Tho. multis in locis, docet illam opusculo. 2. Cap. 60. vbi eā probat: quia ex proprietatibus conuenientibus alicui personæ illa sola est constitutiua, quæ est prima, innascibilitas autèm non est prima proprietas patris: quia est negatiua, vel priuatiua, & affirmatio naturalitèr est prior negatione. Ergò ante innascibilitatem debemus ponere in Patre aliam proprietatem positiuam, qua constituatur. idem Docent D. Tho. 1. ad Annibaldum d. 27. Quæst. 1. Art. 3. ad secundū vbi ait, quòd ratio ingeniti supponit paternitatem, & ideò remota paternitate non remanet innascibilitas, quæ est proprietas personæ, & hic. Art. 3. vbi ait; remoto per intellectum à Patre, quòd sit ingenitus, remanet persona patris, & tamen remota proprietate constitutiua patris, non remanet pater, vt ibidem ait D. Tho. Ergò. Confirmatur: quia alias paternitas adueniret supposito præexistēti. Consequens autèm esse falsū ostendit D. Tho. ibidem: quia istæ relationes ferunt secum sua supposita in-

quantùm

quantum sunt eadem supposita, vel constituunt illa, vt diximus Art. 1. Ergò; Tamdem D. Tho. ibidem in solutione ad secundum, probat istam partem Conclusionis: quia ingenitum dicitur negatiuè, & nihil ponit in re. Ergò non potest esse forma constitutiua personæ patris quæ est formalitèr positiua. Nàm priuatio, vt sic, nō constituit formalitèr aliquid positiuum, quod verò ingenitum, vel innascibile, dicatur priuatiuè, vel negatiuè ostensum est ex sanctis patribus suprà Quæst. 33. Art. 4.

Dices cum Gabriele Vazq. Nomine ingeniti, vel innascibilis significari aliquid positiuum, scilicèt formale principium, & omnimodam fæcunditatem naturæ diuinæ, vel personam, à qua prouenit omnis communicatio naturæ diuinæ, sed præterquàm, quod hoc ibidem ostendimus esse falsum. adhuc secundò probatur nostra conclusio contrà istam expositionem, Nàm nomine principij formalis, solùm potest intelligi ratio principij, in actu primo idest potentis producere, vel principium in actu secundo, id est, actualitèr producentis. Primus dici non potest, vt patebit in secunda parte Conclusionis, secundùm verò, est idem adq; dicere Patrē constitui paternitate, Ergo; declaratur. hoc; relatio talis principij in actu secundo, vel actualitèr producentis nostro modo intelligendi, supponit actualem productionem, & ipsa productio ex modo significādi, supponit personam, à qua oritur, sicut & paternitas, vt communitèr dicitur, supponit generationem, & generatio supponit personam, à qua oritur, Ergò si paternitas (hac ratione secundùm Gab. Vazq.) nō potest constituere personam patris, neq; illam poterit constituere ratio talis propriè actualis. Tertiò proprietas significata nomine formalis principij, est absoluta, vel relatiua; neutrum istorum, Ergo nulla. Min. pro prima parte patet ex prima Conclusione, Pro 2. verò probatur. Nàm vel est relatio realis, vel rationis, si est realis, & distincta à paternitate, deberent in Deo dari quinq; relationes reales, & non tantùm quatuor, vt suprà ostendimus, ex vna doctrina. Si verò non est distincta à paternitate, eius sententia contradicit sibi ipsi, dicenti, Patrem non constitui paternitate, si verò est relatio rationis, vt ipse fatetur. Ergò à persona diuina in esse primæ personæ, constituitur per ens rationis & ita vt talis persona non esset res realis, quòd est contrà fidem. Respondet Vazq. quòd quia hæc Constitutio personæ, non est realis, sed secundum modum concipiendi, ideò constitutiuum eius, potest esse ens rationis. Sed contrà hoc est. Primò, quia diximus, talem constitutionem aliquo modo esse ens reale. Secundo, quia Deus per rationem consti-

tuitur

tuitur deitate,& homo constitutione rationis constituit ex animali, & rationali;vt diximus Art. 1. & tamen, non ideò formale constitutiuum Dei,vel hominis,potest esse ens rationis, Ergò idem erit hic affirmare:quia aliàs possemus asserere, Deum esse ens rationis, Nam à persona Trinitatis,vt sic. Est verus Deus,illa autem, vt sic,est ens rationis.Siquidem,vt sic,cōstituit relationē rationis, Ergò Vrgetur hoc amplius,iste auctor ibidem.Cap.7.n.31.ait, hanc relationem non esse realem: quia in Deo non distinguuntur posse generare, & actu generari. Sed contrà hoc est,quòd realis,& formalis identitas relationū diuinarum,& attributorum,cùm essentia,& actus,& potentiæ in Deo non tollit ab eis, suam realitatem etenim paternitas iustitia, misericordia,& essentia in diuinis formalitèr,& realitèr sunt idem, & tamē non ideò aliqua non istarum est ens rationis. Similitèr in Deo formaliter,& realitèr sunt idem intellectus, species intellecta, & Verbum, & tamen non ideò dicimus,intellectum, vel intellectionem Dei, esse ens rationis, nec Deum, vt habet potentiam intellectiuam esse ens rationis, Ergo idem continget hic. Vltimò, Potentia generatiua in Deo,non est ens rationis,est enim essentia diuina cùm paternitate,vt dicetur quæst. sequenti Art.5. Ergò, etiā,si prima persona Trinitatis, constituatur per innascibilitatem, vt significat principium potens generare,non ideò eius constitutiuum erit ens rationis.

Prima pars Conclusionis probatur:quia cùm concipiamus Deum, vt summè actualem,& sine omni potentialitate, non possumus verè recipere illum ex parte obiecti,vt potentem generare, potentia separata ab actuali generatione. Secundò;Potentia generatiua est ipsa essentia diuina,vt connotans paternitatem,vt explicant D.Tho. & Caiet.Quæstio sequenti Art.5. Ergò non potest intelligi, potentiam generatiuā constituere patrem;Probo Consequens; quia supponit iam patrem constitutum,si quidem dicit essentiam,vt est in patre. id autē quod supponit personam constitutam ,non constituit illam,vt diximus de generatione actiua.

Tertia probatur: quia aliàs prima persona Trinitatis constitueretur per relationem rationis,Consequens disonat fidei. Ergò, Min. patet: Nàm D.Tho.suprà Quæst.28. Art.1.in argumento,sed contra docet ad Heresim Sabelianam pertinere,si quis teneat relationes Patris, & Filij,non esse reales,& ibi Conclusione 2. citauimus Valentium dicentem,de fide esse, quòd relationes diuinæ constituentes personas sunt reales etiàm,vt dicunt Ad, Ergò,Sequela verò probatur: Nàm in diuinis solùm, reperiuntur quatuor relationes reales,scilicèt pater-

 nitas,

nitas, Filiatio, Spiratio, & Processio relatio autèm potentis generare non est aliqua istarum, Ergò; Confirmatur: quia aliàs darentur aliæ multæ relationes reales in diuinis, quòd est contrà doctrinam prædictam, Probatur Sequela: Nàm relationi reali potentis generare debet corrrespondere alia relatiò realis Filij, vt generabilis; similitèr in Patre, & Filio poneremus aliam relationem realem, vt sunt potentes spirare Spiritum Sanctum, & aliàm in Spiritu Sancto, vt est spirabilis, Ergò.

Vltimo: quia aliàs prima persona Trinitatis, vt sic, non esset pater. Consequens non admitetur in Theologia. Ergò; probatur Sequela, Implicat concipere patrem, vt sic, qui intelligatur, vt actu habens Filium, & quod intelligatur, vt principium, quòd actu generat, vel genuit. Nàm qui potest generare, vt sic, non est pater. Ergò si prima persona Trinitatis constituitur per rationem potentis generare non constituitur vt pater, & ideò ex proprietate sua personali, non est pater. huius contrarium ostendimus Concl. 1. idem argumentum conuincit etiam falsam sententiam de innascibilitate.

Dico vltimò Personæ diuinæ constituuntur relationibus. Hæc cõclusio patet testimonijs adductis pro prima Conclusione, & sequitur ex dist. Nàm debent constitui per aliquam proprietatem sibi intrinsecam, & non per absolutam vel originem, vt dictum est. Ergò per relationem: quia non possunt habere, aliàs proprietates positiuas; & reales, quibus constituantur; de modo autèm, quo relatio constituit personam, dicetur dubio sequenti.

Ad primum Ergò, distinguo Min. conuenit nomen proprium eius quo ad quæstionem An sit filius. Nego Mi. hoc enim supponitur, quo ad quæstionem quid sit filius diuinus Concedo Min. hoc enim est, quòd inquiritur, & nemo potest perfectè cognoscere, exemplum huius habetur apocalypsis 19. vbi de Verbo Dei dicitur, & nomen habet, quòd nemo nouit, nisi ipse, & statim subditur, quòd vocatur verax. fidelis, & Verbum Dei intelligitur; Ergò, quòd licèt aliquis, cognoscat illud quantùm ad quæstionem an est, enim nullus præter ipsũ nouit perfectè illud, quantum ad quid sit, & quid importetur tali nomine, ità hic in nostro proposito.

Ad secundũ distinguo Mai. res, quæ refertur relatione Creaturarũ transeat Mai. relatione increata Nego Mai. differentia est, quia relatio creata est accidens, & ideò supponit subiectum, cui inhæreat, & quòd referat, relatio verò diuina, est per se existens, & ideò constituit suppositum, & non supponit illud cui insit.

Ad

Ad primam probationem contra hoc. Nego Antecedens: Nàm relatio diuina, quia est existens per se ipsâ est, quæ refertur licèt significetur, vt forma qua refertur persona, quàm constituit. Ad secundam probationem enim ex D.Tho. suprà Quæst. 28. Art. 2. àd 2. quod in patre includitur essentia, quæ est absoluta, vel loquitur Aug. de ipsis relationibus diuinis, quæ præter os. quod dicunt relatiuum dicunt in absolutum existentiæ diuinæ, vt ostendimus suprà Quæst. 28. Art. 2.

Ad Confirmationem, Nego Antecedens ad probationem enim relationem accidentalem supponere extrema realitèr distincta: quia nō potest constituere illa, relatio verò diuina non supponit, sed constituit supposita realitèr distincta.

Ad tertium, distinguo Antecedens, prior ratione idem cognitione. Nego Antecedens, prior ratione, id est origine, simul enim cognitione, Concedo Antecedens: Nàm generans hoc modo, debet esse prius genito, non prius cognitione natura, vel ratione formali, & licèt sit simul cognitione, potest esse prior origine. Ad Confirmationem distinguo Consequens, esse priorem cognitione, id est, vt terminum paternitatis intelligi prius quàm intelligatur Patrem existere, transeat Consequens esse priorem cognitione, quantum ad existentiam idem cognosci, à nobis quod existat prius quam pater. Nego Sequelam.

Ad quartum, Nego Consequentiam: quia relationes Diuinæ, cùm sint substantiales, non supponunt fundamentum. Vtrùm autèm supponant illud, inquantum actu exercent officium relationis, dicetur dubio sequenti.

Ad quintū in 4. corrollario 2. Conclusionis diximus, Sanctos patres docentes Personas constitui originibus, intelligendos esse constitui illis, non tamquàm principia formalia, sed tamquàm per vias, & radicalitèr vt illis correspondent diuersæ relationes, vt ibi explicuimus ad Confirmationē Conclusione 2. ostēdimus origines, vt sic, non posse significari, vt formas, neq; concipi, vt proprietates personales, ratione ibi dicta. Ad secundam Confirmationem, Conclusio. 3. diximus, illam proprietatem esse priuatiuam, & ideò non est constitutiua, vel si est realis positiua, non distinguitur à paternitate.

DVBITATVR II.

An relationes, quæ conſtituunt perſonas conſtituant illas, ſub ratione formali relationis, an ſub aliqua alia.



IDETVR, quòd non conſtituant illas ſub ratione relationis. Primò, quia D. Tho. hic Art. 4. in corpore, & ad 2. diſtinguit inter relationem, vt eſt relatio, & eãdem relationem, vt eſt conſtitutiua perſonæ. Ergò intelligit non conſtituere illam, vt eſt relatio. Confirmatur dupliciter relatio diuina conſtituit perſonam, vt eſt ſubſiſtens, Ergò non vt relatio. Antecedẽs eſt D. Tho. hic ad 4. & probatur: Nàm cõſtituit perſonam ſubſiſtentem, vt ſic, ſub conceptu ſubſiſtentis: quia hic conceptus eſt debitus perſonæ. Ergò ipſa conſtituit ſub ratione ſubſiſtentis, implicat enim conſtitutum, concipi ſub ratione ſubſiſtẽtis, quùm principium formale eius conſtituat, illud ſine conceptu ſubſiſtentis. Conſequentia verò probatur: quia relatio ſub conceptu relationis, non eſt ſubſiſtens, vnde D. Tho. ſuprà Quæſt. 29. Art. 4. ait perſonam diuinam ſignificare relationem, vt ſubſiſtentem, & non vt relationem, quo ſignificat, eſſe diuerſos conceptus relationis, vt eſt relatio, & vt eſt ſubſiſtens.

Secundò Confirmatur, primò perſonalitas diuina conſtituit primam perſonam, ſub ratione primæ perſonalitatis, ſed illa non concipitur conceptu relatiuo, Ergò Mai. patet: quia perſonalitas eſt verũ, & formale conſtitutiuum Perſonæ. Ergo prima perſonalitas, erit verum, & formale conſtitutiuum primæ perſonæ; Min. vero probatur: Nàm ratio perſonæ eſt communis abſolutæ, & relatiuæ, & ita non dicit conceptum relatiuum, conceptus etiàm, & ratio primæ non dicit relationem, Ergo nõ includit aliquem conceptum relationis, ſub quo conſtituat.

Secundo arguitur; Relatio non conſtituit perſonam, vt actu referẽs illam ad correlatiuum. Ergo non vt relatio. Antecedens patet. Nàm rela-

relatio. V. G. paternitas, vt actu referens, supponit generationem actiuam, tamquàm fundamentum, vt habet D. Th. Art. 4. ad 2. propter quod Mag. in 1. dist. 27. dicit, quod pater est pater, quia genuit, generatio autem actiua supponit esse constitutam personam generantem, vt diximus dub. præcedenti. Ergò de primo ad vltimũ, Relatio, vt relatio, non constituit personam, sed supponit illam constitutam. Consequentia verò probatur: Nàm relatio, vt relatio, in suo conceptu quiditatiuo includit, Ad, sed vt concludit, ad refert actu subiectũ ad suum correlatiuum, Ergò implicat, quòd constituat vt relatio dicens Ad, & quòd non constituat, vt actu referens ad correlatiuum.

Tertiò Arguitur, relatio diuina non vnitur immediatè essentię diuinæ, Ergò non est formale constitutiuum personæ, Antecedẽs patet: quia aliàs, essẽtia diuina referetur ad personas, opponeretur illis relatiuè, & distingueretur realitèr ab illis, & esset incõmunicabilis, quòd est contra fidem. Sequella ista patet: quia implicat, relationem conuenire alicui, & non tribuere illi suum effectum formalem, scilicèt referre illud ad suum terminum: Nàm ipsa est ratio, & forma referens subiectum ad suum terminum, & non potest dari forma in subiecto, quin ei communicet suum effectum formalem, & ità, si relationes diuinæ immediatè vnirentur essentiæ, tribuerent illi, vt ipsa referret ad personas, & opponeretur illis. Consequentia verò probatur: quia formale constitutiuum personæ immediatè vnitur naturæ talis personæ, & immediatè terminat illam, sine aliqua dispositione præuia, qua ratione D. Th. 3. p. Quæst. 2. Art. 10. & Quæst. 6. Art. 5. Probat, albũ immediatè vniri humanitati: quia vt ipse docet in 3. d. 13. Quæst. Art. 1. natura dicit immediatum ordinem ad suum suppositum, & immediatè vnitur illi, & extra, & non est: quia personalitas facit naturam immediatè susceptiuuam existentiæ, ante existentiam autèm, non potest esse in natura aliqua dispositio, Ergò.

Quartò Arguitur: quia aliàs Filius, non supponeret generationem, neque aliam productionem, imò nec esset productus, quòd est contra fidem. Sequella patet: Nã si Pater constituitur Paternitate, vt est relatio, cum Pater supponatur ad omnem productionem diuinam, & Filius sit simul natura, & cognitione cum Patre, etiam Filius, supponetur ad omnem productionem diuinam, & ità non erit productus. Confirmatur: quia aliàs generatio, & Natiuitas Filij, esset prior Patre, quòd est contra fidem. Probatur; Generatio, & Natiuitas Filij præintelligitur Filio producto per illam: quia priùs intelligitur productio, quàm terminus, Ergò intelligitur prius, quàm Pater: quia Pater, & Fi-

 lius,

lius, sunt simul natura, & cognitione.

Quinto Arguitur; Relatio, vt dicit Ad, non dicit perfectionē, Ergò non constituit personam diuinam, Antecedens patet: Nàm vt sic, respicit terminum, & non subiectum, perfectio autèm, de se, respicit subiectum perfectibile. Consequentia verò probatur duplicitèr, primò: quia constitutiuum personæ est complectiuum non terminans illam, Ergò dicit perfectionem. Secundo; Eadem perfectio requiritur ad terminandam naturam diuinam, quæ requiritur ad terminandam naturam alienam, vnde sola personalitas diuina, quæ potest terminare naturam Dei, potest terminare naturam alienam, sed ad terminandam naturam alienam (teste D.Th. 3.p. Quæst. 3. Art. 1. ad 2.) requiritur virtus, & perfectio infinita, Ergò. Confirmatur; Personalitas, vt sic, est terminus naturæ, & ideò constitutiuum personæ diuinæ, debet per se respicere naturam Dei, quam terminat: quia vt sic, est terminus illius, sed vt respicit naturam diuinam, non dicit relationem: quia vt sic, non respicit correlatiuum, Ergò.

Sed contra est. quia omnis conceptus absolutus est communis omnibus personis. Constitutiuum verò personæ, est proprium illi, Ergò non concipitur conceptu absoluto.

In hoc dub. loquendum est de re ipsa, vt concipitī à nobis conceptu vltimo, & perfectissimo, quem (iuxtà regulas fidei) formamus de personis diuinis: Nàm si loquamur de conceptibus confusis, & imperfectis, quos quilibet iuxtà suum modum concipiendi potest formare de illis, illi poterunt variari multiplicitèr, loquendo, Ergò de eo, quod distinctè cognoscimus, de constitutione diuinarum personarum, iuxtà regulas fidei, & supposito, ex dub. præcedenti, quod illæ constituuntur per relationes inuenio quinq; sententias de modo, quo relationes concurrunt ad earum constitutionem. Prima est; Illas constitui per relationes sub conceptu absoluto, vt concipiuntur conceptu formæ incōmunicabilis, & subsistentis, ità Capræol. in 1. d. 26. Quæst. 1. & Erbeus ibi, & Marsil. Quæst. 29. Art. 1. & Ferr. 4. contra Gent. Cap. 26. Secunda est Caietani hic, Art. 4. quod Paternitas v. g. consideratur duplicitèr, primò, vt concepta, & sic constituit Patrem, & est prior generatione actiua. Secundò vt exercita, & sic non constituit, sed distinguit Patrem à Filio, & supponit generationem actiuam, tamquàm suum fundamentum; Istos autèm terminos diuersimodè explicāt Thomistæ Bannez, ibi dub. 1. ait, relationem conceptam esse eam, quæ non concipitur sub expresso, & distincto conceptu relationis, sed implicitè, & in confuso, exercitam verò esse, quæ concipitur sub expressa, &

distin-

distincta ratione relationis, & ità ait, Patrem non constitui paternitate cognita sub ratione expressa Paternitatis: quia vt sic, supponit personam constitutam, & generationem procedentem ab ea, Torres verò, & alij dicunt, relationem conceptam, v.g. Paternitatem, esse ipsam Paternitatem, vt relatiuam idem, quæ de se apta nata est referre suum subiectum ad terminum, & isto modo constituere Patrem, & præsupponi ad generationem; Paternitatem verò, vt exercitam esse quatenus actu refert subiectum ad correlatiuum: quia tunc exercet actum relationis in actu primo, & isto modo ait Paternitatem supponere generationem, & personam Patris constitutam, & non constituere illam. Tertia sententia est consona huic expositioni, scilicèt relationem, v.g. Paternitatem, vt est relatio actualis, non constituere Patrem, sed supponere generationem, vt verò est aptitudinalis constituere Patrem, & supponi ad generationem, explicant autèm istos terminos, dicendo quod essentia diuina, vt radicalitèr, & virtualitèr, continet Paternitatem vocatur Paternitas aptitudinalis, & isto modo constituit Patrē, & supponitur ad generationem, sub sequitur verò illam, quatenus ipsa Paternitas consideratur in se, vt actualis quædam relatio distincta ab essentia, hanc sententiam refert Scotus in 1. d. 23. Quæst. vltima. Quarta est, quę supponit, quod sunt in relatione creata Paternitatis, v.g. reperitur ratio communis accidentis, quatenùs inhęret subiecto, quę vocatur, In, & ratio illi propria, quatenus suum subiectum refert ad correlatiuum, quæ vocatur, Ad, ità relatio diuina intra proprium genus relationis habet suum, In, id est, subsistere, & existere per se independentèr à subiecto, & suum proprium Ad, id est, respicere suum correlatiuum, quo supposito, ista quarta sententia asserit, Paternitatem, vt dicit, In, constituere Patrem, & supponi ad generationem. Supponere verò illam, & non constituere Patrem, vt dicit Ad, & iuxtà istos modos dicendi eorum Authores D. Tho. Art. 4. dicentem, quod Paternitas, vt relatio, supponit generationem, & quod, vt constitutiua personę supponit ad illam, explicant sic, quod Paternitas concipitur vt relatio, quādo cōcipitur sub expresso conceptu relationis, actu exercitæ, & per seipsam referentis subiectum ad correlatiuum, quod est dicere, Ad, tunc autèm relatio, Paternitas v.g. concipitur, vt forma cōstitutiua quādo, intelligitur conceptu absoluto, vt forma incommunicabilis, vel conceptu explicito, non explicante essentiam relationis, vel vt forma apta nata referre, vel vt aptitudinalis, idest, vt cōtinetur in essentia, vel vt dicit In, & est subsistens. Quintus modus dicendi est, quod, quia relatio, & Origo solùm differunt in modo significandi,

ſicut origo non ſupponit ſeipſam, ità Paternitas non ſupponit generationem, ſed tantùm ſupponit eſſentiam intelligentem ſeipſam, ex quo reſultat ipſe reſpectus Paternitatis, qui eſt ipſa generatio actiua, quæ: quia non eſt vera actio, non ſupponit, ſed conſtituit perſonam, ſicut ipſa relatio Paternitatis, non enim opportet, vt relatio, quæ ſignificatur per modum actionis, & tamèn non eſt vera actio, ſed ſolùm relatio, ſupponat perſonam, à qua eliciatur, ſed ſatis eſt, ſi conſtituat illam, ità Molina, hic diſp.2. memb.3. & Dur. in 1.d.26. Quæſt.1. & d.27. Quæſt. 1. Gabriel. d.26. Quæſt. 1. Art.3. dub.4. & inclinat in eandem ſententiam Scotus diſt. 28. Quæſt. vltima, & Quodlibeto 4. in fine.

Sed pro explicatione. Dico primò, loquendo de conceptu confuſo implicito, & imperfecto, & inadæquato, quem poſſumus formare de perſonis diuinis, poſſumus concipere, illas conſtitui noſtro modo intelligendi per relationes, & non ſub ratione, & conceptu relationis, Pro huiu declaratione not. eſt de hac conſtitutione, nos poſſe tripliciter loqui. Primò, vt eſt à parte rei. Secundò, vt concipitur à nobis in via conceptu perfecto expreſſo, & diſtincto, quem ſecundum regulas fidei poſſumus formare de illarum conſtitutione. Tertiò vt cōcipitur à nobis imperfectè, & in confuſo: Nàm, quia noſter intellectus exit de potentia in actu, ideò de qualibet re Patris ordine naturæ, format conceptum communem imperfectum, quàm proprium, & perfectum, in hac, Ergò; Concluſione loquimur de hac conſtitutione, vt à nobis concipitur, iſto modo imperfectè, & ſic explicata Concluſio eſt Scoti, Quodlibeto 4. & tenent eam. Dur. in 1. d. 9. Quæſt. 2. & d. 26. Quæſt. 1. Suarez lib.7. de Trinitate Cap.2. & Valentia, lib. 2. de Trinitate Cap.15. & probatur, nos poſſumus conceptu imperfecto intelligere, perſonas diuinas conſtitui relationibus, conſiderando ſolùm de illis, quòd ſunt, proprietates indiuiduales, & non determinando, an conſtituant ſub ratione abſoluta, vel relatiua, & eodem modo poſſumus imperfectè intelligere eaſdem perſonas conſtitui ſuis perſonalibus conſtitutiuis, non determinãdo, an illa ſint abſoluta, vel relatiua, Ergò Conſequentia patet: Nàm conceptus de quo ſumus certi diſtinguitur, ab eo, de quo ſumus dubij, ſed ſumus certi de perſonis diuinis, quod conſtituuntur ſuis pernaturalitatibus proprijs, & non determinamus, an illæ ſint abſolutæ, vel relatiuè, neq; ſi relatiuæ conſtituunt ſub ratione relationis, vel abſoluti, Ergò Antecedens autèm patet: Nã certò ſupponimus, illas conſtitui ſuis perſonalitatibus proprij, & dubitamus, an conſtituant, ſub ratione incommunicabilis, vel ſubſiſtē-

tis

tis an, relationis, iuxtà diuersas sententias, quas retulimus, Ergò. Declaratur hoc. Si videmus aliquod animal ignotum, vel à longè, scimus certò; illud esse Animal singulare: quia concipimus illud imperfectè dubitamus, quæ sit ratio athoma, & specifica eius, Ergò similitèr: quia imperfectè cognoscimus constitutionem personarum diuinarum, & earum constitutiua per conceptum confusum, possumus cõcipere illas constitui personalitatibus diuinis, non determinando an constituant sub ratione absoluta, vel relatiua: Nàm ille conceptus terminatur ad aliquod singulare rationis analogæ, quo licèt, à parte rei, necessario cõstituatur sub aliqua ratione determinata: quia tamèn imperfectè cognoscitur à nobis, non oportet illam cognosci distinctè, & determinatè, an constituat, sub ista ratione, vel sub illa, & id patet in exemplo aducto, & in hoc sensu explicandus est Cai. asserens, personas diuinas constitui relationibus conceptis, non exercitis, significat enim, quod secundum istum modum nostrum concipiendi imperfectè intelligimus illas cõstitui per relationes, quatenus concipimus de illis rationem communem, v.g. quòd sunt formæ hypostaticæ non verò, vt concipimus de illis, quod actu referant ad terminos, sua subiecta: Nàm hæc consideratio pertinet ad conceptum distinctum, quem habemus de earum constitutione, vt dicemus Conclusione 3.

Dico secundò; Personæ diuinæ à parte rei constituuntur per relationes sub ratione relationis actu exercitæ, & actu referentis ad suum terminum probatur: Nàm dub. præcedenti. Conclusione prima, diximus iuxtà definitionem Cõciliorum, personas constitui relationibus, & vt constitutas ei ad imbiam, vt dicitur, in Concilio Toletano 11. in Confessione fidei etiam autèm est proprium relationis sub conceptu relationis, Ergò Confirmatur: Nàm aliàs personæ diuinæ, vt sic, essēt absolutæ, & absoluta multiplicarētur in diuinis, & aliquod absolutum, vt sic, esset proprium alicui personæ, & non commune omnibus. Consequens non potest admitti, Ergò, Sequella patet supponendo, quodlibet possimus aliquàm rem singularem concipere non concipiendo exprefsè de illa, an sit absoluta, vel relatiua tamèn è parte rei nulla singularis forma potest dari, vel, vti exercens suum actum, quæ in particulari non sit absoluta, vel relatiua, & quæ non exerceat suuum actum sub ratione determinata absoluta, vel relatiua, & ità cũ Paternitas, v.g. sit forma singularis à parte rei constituens Patrem necessariò debet constituere illum sub aliqua ratione determinata absoluta, vel relatiua: quia inter eas non datur medium à parte rei Hoc supposito probatur, Sequella: Nàm personæ diuinæ constituuutur in

esse

esse personæ per formas singulares constituentes illas sub aliqua ratione determinata, Ergò si non constituunt illas sub ratioue relatiua, cōstituunt sub ratione absoluta, & per Consequens, persona constituta erit absoluta sicut suum formale constitutiuum.

Dico tertiò, loquendo de nostro cōceptu vltimato distincto, & perfecto, quem iuxtà regulas fidei possumus formare de cōstitutione personarum diuinarum, nō intelligimus, illas constitui per relationes sub conceptu, & ratione absoluta formæ incommunicabilis, vel per se subsistentis, neq; sub ratione formæ relatiuę, & non actu referentis.

Prima pars Conclusionis, Probatur primò: quia Concilia, & Sancti, citati dub. 1. docuere, personas constitui relationibus, vt sic, Ergò Patres, qui ità definierunt, & docuerunt concipiebant illas constitui sub ratione relatiua, & non absoluta, aliàs non dixissent, illas constitui in ordine ad suos terminos, &c.

Secundò; Paternitas constituit patrem, vt est incommunicabilis, & ratione distincta ab essentia, sed hæc habet sub conceptu relatiuo, & non absòluto, Ergò maior est D. Tho. hic. & probatur: Nàm personam incomunicabilem, non potest constituere forma sub ratione cōmunicabili: Nàm persona constituta proportionatur suo formali cōstitutiuo, sub conceptu quo constituit, Min. verò pro prima parte patet: quia paternitas non est incommunicabilis, nisi, vt opposita relatiuè ad filiationem &c. omnia enim, quæ in diuinis non sunt opposita relatiuè sunt communia, Ergò; Pro 2. etiàm parte patet eadem Min. Nàm omnis perfectio absoluta clauditur intrinsecè in essentia, & nō distinguitur ab illa. Ergo, si pater constituitur paternitate, sub ratione absoluta constituitur in esse personæ per aliquam perfectionem essentialem, quòd implicat. Nàm omnis perfectio essentialis intelligitur à nobis, vt pertinens ad naturam, & vt communis, & non vt propria alicui personæ.

Tertiò: quia aliàs, paternitas sub ratione relatiua conciperetur à nobis, vt accidentalis patri, & extra rationem personalem eius, sicut ingenitum, vel spirator. Consequens non potest admitti, vt ostendit D. Tho. de Potentia Quæst. 10. Art. 5. ad 12. Ergò; Sequela patet; quia ratio relatiua paternitatis, intelligeretur aduenire patri iam constituto in ratione personæ, sicut aduenit illi, ratio spiratoris. Ergò conciperetur aduenire extra rationem personalem eius, & ità esset quidē proprietas, sed non personalis patri, cuius contrarium suprà ostensum est.

Quarto: quia aliàs non oporteret, vt per conceptum quos iuxtà

regulas fidei formamus de personis diuinis conciperemus illas, vt simul natura, & intellectu, Consequens est contra fidem, quia dicitur in Symbolo Atanasii, quòd in Trinitate nihil est prius, aut posterius nisi secundum originem, Ergò; Sequela patet, ideo sunt simul natura, & intellectu: quia secundum se, & vt à nobis concipiuntur, sunt relatiuæ, & relatiua sunt simul natura, & intellectu Ergò, si non concipimus illas constitui, vt relatiuas, non oportet concipere illas, vt simul natura, & intellectu, sed poterimus aliquam secundùm suam proprietatem personalem concipere, vt priorem alijs, licèt sint simul quo ad relationes postea aduenientes principij; & eius, quod est à principio: Vide de hoc D.Tho. infrà Quæst.42. Art.3.

Secunda pars Conclusionis probatur primo: quia aliàs istæ personæ diuinæ non essent simul natura, & cognitione, quod est error. Sequela patet: Nàm licèt actualis relatio vnius correlatiui ad aliud exigat illud existere, simul enim illius coexistentiam, non exigit forma, de cuius ratione est, quòd sit apta nata reffere, non verò, quod actu referat. Secundo, quia dubio primo, Conclusione vltima diximus Patrem, non constitui forma tribuente illi esse principium, vel vti potentiale, vel habituale generationis, sed forma tribuente illi esse actu generantem, aliàs non tribueret illi esse patrem, ad rationem enim patris non sufficit posse generare, vel esse aptum natum ad generandum, nisi præcesserit, vel simul fuerit ipsa generatio in actu secundo, Ergo, non constituitur pater per formam; quæ reddat illum, aptum natum refferri, sed quē actu referat. Nàm actualis relatio patris sequitur ad actualem generationem.

Tertiò probatur, si aliqua ratione intelligeremus Patrem, constitui forma relatiua, esset: quia paternitas, vt actu referens supponit generationem, & generatio supponit personam constitutam, & per Consequens paternitas, vt actu referens, supponit personam constitutam, & non constituit illam. Sed hæc ratio supponit falsum. Ergo Min. probatur supponendo, quod actualis generatio, dicit actum notionalem connotando relationem paternitatis, vel ipsam paternitatem significatam per modum actus, & originis, vt dicetur Quæst. sequenti Art. 2. paternitas autèm, quàm connotat, vel dicit generatio, nō concipitur vt sic, tamquàm forma relatiua apta nata referre: quia secundùm istam considerationem, (vt aduersarij etiàm concedunt) est prior generatione, & supponitur ad illam. Sed est ipsa paternitas, vt actu referens. Ex hoc sic arguitur; Generatio includit intrinsecè relationem paternitatis, actu referentis, Ergò non supponitur ad illam, etiàm nostro

modo

modo intelligendi. Probatur Consequentia: quia nostro perfecto modo concipiendi, nihil supponitur ad id, quòd includitur in sua ratione constitutiua, & ideò si paternitas, vt actu referens, includitur in ratione generationis, generatio non supponitur ad illam, vt fundamentum eius.

Quartò: quia aliàs pater non constitueretur in suo esse, forma perfectissima actualissima sui generis. Consequens non debet admitti. Ergò. Sequela patet. Nàm in quolibet genere, perfectior est forma actualis; quàm potentialis, vel aptitudinalis. Ergò relatio, vt actu referens, erit in suo genere, perfectior, quàm forma relatiua, & ideò, si pater constituitur in esse patris, per formam relatiuam, non constituitur forma perfectissima sui generis. Min. verò probatur: quia aliàs nō esset perfectus, in ratione personæ; Declaratur hoc, si Deus in esse intelligentis, sapientis, vel volentis, non constitueretur per ipsam actualem intellectionem, vel vollitionem &c. sed per aliquam formā, vel vti habitualem, quo fieret intellectiuus, vel vollitiuus &c. non cōstitueretur perfectus in esse intelligentis, vel volentis, Ergò idem erit in nostro proposito.

Vltimo probatur, paternitati, vt formæ constitutiuæ patris debet correspondere in filio, altera relatio proportionalis constitutiua ipsius filij, sed relatio constitutiua filij, vt sic, est filiatio, non relatiua, sed actu referens. Ergò, similitèr paternitas, vt constitutiua patris, est relatio, vt actu referens. Ma. est certa: quia cuilibet relationi, quocunq; modo consideretur, respondet terminus proportionalis. Min. verò probatur: quia filius constituitur per relationem, supponentem generationem passiuam, secundum nostrum modum imperfectum cognoscendi, & hoc sufficit, vt sit filiatio actu referens ad patrem.

Confirmatur: quia si relatio constitutiua patris, vt sic, non est ad filium, vt actu existentem, sed ut possibilem esset relatio rationis, quia talis est relatio productiui ad producibile, & ità pater constitueretur per relationem rationis, quòd damnauimus suprà Quæst. 28. Art. 1.

Dico 4. Personæ diuinæ (nostro modo perfecto intelligendi) non constituuntur in esse personæ per essentiam, & uirtualitèr, uel radicalitèr cōtinent relationem; Probatur, essentia, ut radix relationis, & uirtualitèr continens illam, est absoluta, & communicabilis, quia ut sic, præintelligitur personis, & relationibus. Ergò, ut sic, non est constitutiua personæ, quia eius constitutiuum, debet esse relatiuum, & incommunicabile. Secundò, constitutiua personarum, ut sic opponuntur relatiue inter se, sed essentia diuina, ut radix relationum non opponitur

ponitur relatiuè sibi,neq; alicui alteri Ergò,Min.uerò probatur: Nã essentia ex se habet,quòd sit radix relationum,quia non ex se,est communicabilis tribus personis,& non potest illis communicari,nisi per relationes inde habet,quòd sit radix relationum, ipsa autem,ut communicabilis nulli opponitur relatiuè: quia cum omnibus identificatur formalitèr. Tertio,id debet assignari, pro constitutiuo personarũ, quod per se,& non ratione alterius constituit illas, vt diximus dubio præcedenti de originibus,sed essentia(vt radix relationum)nõ potest constituere illas ratione sui,sed ratione relationum,quæ sunt propriæ personis, Ergò.

Dico quintò, Personæ diuinæ nostro modo intelligendi perfectò nõ perfectæ constituuntur per relationes diuinas, vt dicunt, in & sunt subsistentes,idest existentes per se,& substantialitèr; Pro huius declaratione duo supponenda sunt primum,quòd iste terminus, subsistentia,vel subsistere,significat duo. Primo significat existentiam per se, & substantialem independentiã à subiecto ità D. Tho. suprà Quæst. 29. Art.2.& 4.& in 1.dist.23.Quæst.1.Art.1.& d.26.Quæst.2.Art.2. ad 1.& de potentia Quęst.8.Art.3.ad 7. Secundò, significat quemdã modum substantialem complectiuum naturæ, & constitutiuum proximi susceptiui existentiæ, & operationum propriarum, cuius quod habet existentiam,& operatur, vt quod ità Caiet. 3. parte Quæst. 4. Art.3.propter quod Theologi,vt suprà diximus tribuant subsistentiã Deo,vt præintellecto personis, quia existit, vt quod & operatur, vt quod. V.G. intelligit,creat,&c. Vtroq; modo sumpta subsistentia respicit ipsum subiectum,vel vt omnino est, ad se si sumatur primo modo pro existentia, vel respicit ipsum subiectum in ordine ad correlatiuum,si sumatur secundo modo. Secundum est istam vtramq; subsistentiam reperiri in persona. Nàm cum persona, sit substantia indiuidua debet existere per se, & habere modum determinantem suam naturam ad esse proximum susceptiuum,vt quod existentiæ, & operationum, & per Consequens in persona etiàm debet reperiri in cõmunicabilitas,& distinctio eius ab alijs. His suppositis nostra conclusio loquitur de subsistentia idest, de existentia substantiali relationũ, & de personis secundum completam rationem personæ, vt existunt per se,& incommunicabiliter, tanquàm proxima susceptiua suarum operationum,& vt sunt distinctæ ab alijs, quibus suppositis, probatur, Conclusio in, vel existentia relationum diuinarum est, omninò absoluta, & omnibus modis eadem, cùm existentia essentiæ diuinæ, vt diximus Quæst.28.Art.2.dub.3. Ergo, per tale, In vel per talem

exi-

existentiam, aut per relationes diuinas, vt dicunt talem existentiam aut per relationes diuinas, vt dicunt talem existentiam, non possunt personæ constitui perfectè. Probo Consequentiam: quia illa existentia est absoluta, & communicabilis, & proprium constitutiuum personæ relatiuæ, & incommunicabilis debet esse relatiuum, & incommunicabile. Secundo, relationes diuinæ non opponuntur relatiuè in existentia, neq; in illa realitèr distinguuntur. Ergo, per illam non constituunt personas realiter distinctas, & incommunicabiles. Antecedés patet in prædicto dub. 3. vbi diximus, omnes relationes diuinas existere per eamdem absolutam existentiam Dei, & Consequentia probatur: quia tota incommunicabilitas in Diuinis, prouenit ex oppositione relatiua.

Ex his infertur intelligentia D. Tho. de Potentia Quæst. 8. Art. 3. ad 7. docentis, relationes diuinas cóstituere personas, in quantum sūt essentia diuina. Caiet. hic Art. 4. explicat id, quia relationes ab essentiam diuina radicaliter habét, quod per se formalitèr constituant personas. Sed ex dictis facilius intelligitur D. Tho. si enim in persona diuina consideretur sola existentia per se, illam non habet à relatione, vt est relatio. Sed ratione essentiæ, vel à relatione, vt est idem, cum essentia: quia (vt ibidem diximus) relatio diuina, non habet aliam existentiam substantialem, nisi existentiam absolutam essentiæ diuinæ, & ideò relatio facit personas diuinas existentes, vt est formalitèr idem cum essentia, & vt habet eamdem existentiam absolutam essentiæ, & non aliam. Neq; est mirum, hanc conditionem personæ diuinæ non prouenire à relatione, vt sic: quia est conditio absoluta, & ideò propriùs, & prius debet conuenire ratione essentiæ.

Dico sexto, Personæ diuinæ nostrò modo intelligendi perfectò, & distinctò constituuntur in ratione incommunicabilitï, per relationes, secundum propriam rationem relationum, vt sunt subsistentes, secundo modo, idest, vt sunt quidam modi relatiui completiui, & determinatiui, naturæ diuinæ constituentes propria subiecta operationum notionalium, quo modo ratione distinguuntur ab essentia; probatur, personas diuinas subsistere subsistentia secundo modo sumpta nostro modo intelligendi est, vel vti effectus formali alicuius formæ substantialis incommunicabilis, sed hæc non est alia, nisi relatio, vt secundú rationem relationis, est modus determinans naturam ad personam incommunicabilem, Ergò Mai. patet: Nàm omne concretum nostro modo intelligendi, constituitur aliqua forma abstracta, sibi proportionali, vt Deus Deitate. Sed persona diuina est concretum substan-

tiale

tiale incommunicabile, Ergò constituitur aliqua forma substantiali incommunicabili. Min. verò probatur: Nàm in persona diuina, sunt tria, à quibus potest prouenire incommunicabilitas, scilicèt essentia, Origo, & relatio; Ab essentia verò: quia est communicabilis, nō potest habere incommunicabilitatem, neq; ab origine: quia origo non significatur, vt forma constituens personam, sed supponens illam, vt dictū est, & præterea: quia vt suprà diximus, non est incommunicabilis secundum se, & ratione actus, quem principalitèr significat, sed ratione relationis connotatæ. Super est, Ergò, vt talis forma debeat esse relatio secundum rationem relationis: quia per illam, vt sic, constituitur persona in ratione incōmunicabilitatis, & nō secundum, quod relatio est idem cum essentia: Nàm vt sic, dicit aliquid absolutum, & omnia absoluta in diuinis, sunt communia, & pertinent ad essentiam, de quo vide D. Th. de Potentia Quæst. 8. Art. 3. ad quintū, & per Consequēs, non poterit constituere personam incommunicabilem, & relatiuam. Declaratur hoc, duplicitèr possumus considerare relationem, vt cōstituentem personam, vno modo, vt est forma Hypostatica, & incommunicabilis, alio modo, vt est relatio, primo modo sumpta, Paternitas v. g. non potest constituere Patrem, secundum nostrum perfectum, & distinctum modum intelligendi: Nàm ratio formæ Hypostaticæ, vel incommunicabilis, est communis omnibus constitutiuis diuinarum personarum, & non magis constituit Patrem, quàm Filium, vel Spiritū Sanctum, Ergò, vt distinctè intelligatur constituere Patrem, debet intelligi, quòd constituat illum sub aliqua ratione determinata, & vt patet ex Conclusionibus præcedentibus, nō est alia ratio determinata sub qua distinctè intelligatur constituere, nisi ratio Paternitatis, vt sic, Ergò.

Dices constituere illum sub ratione secundæ formæ Hypostaticæ, & incommunicabilis, sicut Pater potest concipi sub ratione primæ personæ, vbi nulla explicatur, aut concipitur ratio relationis. Sed contrà hoc est, quod ista ratio (sic concepta, vt diximus Conclusione prima) pertinet ad confusum, & imperfectum modum cognoscendi istam cōstitutionem, & non ad cognitionem perfectam, & expressam, quàm habemus de illa secundum regulas fidei, vt dictum est.

Secundò probatur. Paternitatem diuinam intelligi perfectè, & distinctè, vt rationem subsistendi incommunicabilitèr, est illam distinctè concipi, vt dicit, Ad, & sub ratione relationis actu referentis, Ergò si illa distinctè concipiatur, vt constituens personam subsistentem, incommunicabilitèr concipietur, vt constituens illam, sub ratione rela-

tionis

tionis actu referentis, Antecedens patet: Nàm hoc pertinet ad cognitionem confusam, & imperfectam, sed pertingit ad cognitionem propriæ, & vltimæ rationis, Ergò si paternitas non concipiatur, vt constituens sub ratione relationis actu referentis, non concipitur perfectè, & distinctè, sed in confuso, sub ratione communi, & analoga subsistentię.

Vrgetur hoc tripliciter, primò, ratio subsistendi, est analoga personalitati creatæ, & diuinæ, quæ est relatiua, Ergò implicat cognoscere distinctè relationem, sub ratione subsistendi. Quin cognoscatur, vt ratio relatiua. Probo Consequentiam (quia vt patet ex methafisica) conceptus imperfectus, & cõfusus analogi præscindit ab inferioribus, conceptus verò perfectus, & distinctus illius, includit ea, vt proportionabila, & ità in conceptu distincto Paternitatis, vt subsistentis, debet necessariò includi ratio particularis eius, scilicet, quòd est ratio subsistendi relatiuè.

Secundò, Ratio superior analoga, non intelligitur cõstituere determinatè per se solam aliquod inferius, nisi mediante ratione propria talis inferioris, à qua determinetur, Ergò relatio (vt subsistens) non intelligetur constituere patrem in esse talis personæ, quatenùs solùm intelligitur sub ratione analoga subsistentis, sed vt intelligitur determinata ad propriam rationem Paternitatis, vt sic.

Tertiò, ratio inferior analogata immediatè per se coniungitur rationi superiori analogæ, & non mediantè aliquo actu rationis superioris, v.g. ratio qualitatis per se immediatè vnitur rationi entis, & non mediantè aliqua operatione causata ab illa, secundum rationem communem entis, Ergò similitèr, ratio subsistentis relatiuè, v.g. Patris, vt sic, immediatè coniungitur rationi analogæ subsistentis, & non mediantè generatione elicita à Patre, vt est subsistens: quia vt subsistens diuinum, non magis generat, quàm generetur, vel procedat cum omnia ista competant subsistenti diuino.

Dico vltimò Pater constituitur in esse primæ Personæ nostro modo intelligendi, per Paternitatem sub cõceptu formali, & expresso Paternitatis, vt exercet actum referendi ad Filium, & idem dico de cęteris personis, ista contra est D.Th. in 1.d.27. Quæst.1. Art.2. & probatur: Nàm reiectis cęteris sententijs, non restat aliùs modus, quo constituatur.

Secundò: quia ità melius saluatur doctrina fidei, & Conciliorum difinientium, personas constitui relationibus, & solas relationes multiplicari

tiplcari Trinitatem; Nàm vt hoc formalitèr verificetur, oportèt illas constitui, & multiplicari per relationes, sub ratione relationis.

Tertiò: quia relatio, vt sic, habet omninò requisita ad perfectam constitutionem personæ: Nàm, vt includit essentiam, habet existentiam substantialem, & vt dicit Ad, exercitum, tribuit subsistentiam, incommunicabilem distinctam ab alijs personis, Ergò.

Ad primum Ergò R. duplicitèr; primò D.Th. loqui de relatione, vt constituit personam nostro modo concipiendi imperfecto, iuxtà seriē primæ Conclusionis, sic non concipitur distinctè, vt relatio.

Secundò, Ratio D.Tho. per relationē (inquantum est relatio) intelligere relationem secundum suam rationem absolutè, & solitarie sūptam. Si enim in relatione consideratur solùm, & Ad requirit fundamentum, quòd in diuinis non potest esse, nisi origo, Per relationem verò, vt constitutam non intelligit eam, vt absolutam, aut distinctam à ratione relatiua, sed intelligit eamdem relationem, vt est substantialis, & Hypostatica, idest, vt est cōstitutiua personæ relatiuæ, actu relata ad correlatiuam, & ità sensus D.Tho. relationem, vt dicit Ad sumptam absolutè, & solitariè, non constituere personam, aliàs constitueret illam omnis relatio diuina: quia omnis dicit Ad, sed constituere illam, quatenus relatio diuina est substantialis, terminus naturæ diuinæ, & ità relatio (vt constitutiua personæ) non distinguitur à relatione, vt dicit Ad, tamquam absolutum à relatiuo, sed vt ratio analoga relationis à ratione relationis, speciali, & determinata, scilicet relatione substantiali, terminante naturam; De hoc vide D. Th. in 1. d. 27. Quæst. 1. Art. 2. in Corpore, & ad Primum, & de Potentia, Quæst. 10. Art. 3.

Ad primam Confirmationē, nego Consequentiā; Ad probationem distinguo Antecedens, non est subsistens sub ratione communi relationis, Cōcedo Antecedens, aliàs, vt Arguit D. Th. de Potentia, Quæst. 10. Art. 3. omnis relatio esset subsistens, & constitutiua personæ; nego tamen illud, loquendo de relatione sub ratione speciali relationis substantialis, & diuinæ: Nàm illa est subsistens, vt dictum est, & ideò: quia persona diuina significat relationem diuinam, vt subsistentem, non significat illam sub conceptu communi relationis.

Ad secundam Confirmationē distinguo Min. non concipitur conceptu relatiuo. Si concipiatur imperfectè, & confusè sub ratione cōmuni. Concedo Min. Si concipiatur perfectè, & distinctè sub propria ratione. Nego Min. dictum non est, illam non posse distinctè conci-

pi nisi sub ratione relationis.

Ad secundum principale, Nego Antecedens, ad probationem nego Antecedens: Nàm D.Th. solùm loquitur de relatione accidentali, vel vt dicit Ad, solitariè sumptum, sic non, vt actu referat, supponit fundamentum, non tamen, id requirit relatio, quæ est substantialis, & diuina.

Ad tertium. Nego Antecedens. Ad probationem nego Sequellam, ad eius probationem distinguo Antecedens. Quia relatio vnitur alicui, vt forma constitutiua eius, quo modo nos intelligimus illā vniri personæ, Concedo Antecedens, quia verò vnitur alicui, vt terminus naturæ determinans illam ad aliquam personam nego, Antecedens, tunc enim non est forma constitutiua eius, & ideò non facit eam relatiuam, sicut personalitas Filij vnita humanitati, vt terminus eius non facit humanitatem esse relatiuam.

Ad quartum, Nego Sequellam, ad probationem ratio, quod Paternitatem, & Filium esse, simul natura, & intellectu non tollit Patrem, & generationem actiuam esse origine priora, quàm sit Filius: Nàm aliqua possunt esse simul natura, & intellectu, & tamèn: quia vnum eorum oritur ab alio, esse origine posterius illo, & ità contingit habere & per hæc ad Confirmationem.

Ad quintum. Nego Antecedens. Ad probationem Resp. relationem, vt dicit, Ad, respicere terminum, vt verò includit, In, & est subsistens respicit subiectum, & suppositum, quod constituit referendo illud ad suum correlatiuum, & hoc sufficit, vt dicat perfectionem. De quo suprà Quæst. 28. Art. 2. dub. 4.

Circa solutiones Argumentorum, quatuor notanda sunt.

Primum est, solutionem ad primum, in hoc consistere, quod simplicia distinguntur seipsis, aut suis constitutiuis, quæ formalitèr sunt idē cū ipsis simplicibus, & quia relationes sunt idem cum personis, ideò idem est, personas distingui seipsis, & distingui relationibus, de quo D.Th. Quæst. 8. de Potentia Art. 1. ad 6. & in 1. d. 26. Quæst. 1. Art. 1. ad 5. vel dicatur ea, quæ sunt simplicia re, & ratione, se totis distingui, non tamèn ea, quæ sunt realitèr distincta, veluti composita ex pluribus rationibus, & quia personæ diuinæ virtualitèr sunt compositæ ex essentia, & relatione, distinctis virtualitèr, & ratione, vt diximus Quæst. 28. Art. 2. dub. 1. ideò possunt distingui non se totis, sed relationibus, quæ formalitèr identificantur cū illis. Hanc eandem solutionem D.Th. alitèr explicant Cai. hic Torres, & Ferr. 4. contra Gentiles Cap. 26. Videte ibi,

Secundum

Secundum est ex solutione, secundi relationes diuinas non habere, nisi existentiam absolutam, de quo diximus Quæst.28. Art.2. dub.2.

Tertium est circa solutionem tertij, Raymundum lullum in lib. De septem arboribus scripsisse distinctionem diuinarum personarum esse maximam, quę potest reperiri in rebus. Damnauit tamèn, hoc Gregorius 11. vt patet in directorio Inquisitorum p.2. Quęst.9. & ideò vera est sententia D. Th. in hac solutione, illam distinctionem esse minimam, & hoc pertinet ad maximam Dei perfectionem: quia vt ait D. Th. illam distinctionem debemus ponere in Deo, quę est prior non ordine temporis aut causalitatis, sed perfectionis, & propinquior vnitate, talis autèm est distinctio relatiua, Ergò Mai. patet: Nàm primò, & perfectissimo enti, & maximè vno tribuenda est D. Prior in perfectione, & inter cęteras minima, quæ quàm magis admittat de vnitate. Min. verò ostendit Caiet. in c. de oppositis docens, distinctionem relatiuam in genere oppositionis esse minimam, & in genere entis, esse perfectissimam minimam: quia potest esse, cum vnitate essentiæ, quod non habet cęteræ: Nàm contradictoria non habet eamdem essentiam, cum alterum eorum sit non ens; contraria verò: quia sunt positiua, & absoluta, necessariò exigũt distinctam essentiam propterquod Quęst. 27. Art.1. dub.1. Conclusione secunda diximus, quod si personæ diuinæ constituerentur per absoluta, diceremus in eis multiplicare essentias, de quo D.Th. primò ad Annibaldum d.26. Quæst.2. Art.1. priuatiuè etiam opposita non habent eamdem naturam, vt patet, Ergò perfectissimam verò: quia vt diximus dub.1. eius, extrema non exigũt aliquam imperfectionem, sicut extrema aliarum oppositionum, sed possunt esse equè perfecta, de quo D.Th. de Potentia Quæst.8. Art.1. ad 13.

Primum est in solutione ad quartum; Terminum relatiui nõ esse absolutum, vt vult Scotus, sed relatiuum aliàs correlatiuum, vt sic; non esset, simul natura, sed posset esse prius, vel posterius.



ARTICVLVS III.

An abstractis per intellectum relationibus à personis, maneant Hypostases.

Prima Conclusio.

Loquendo de abstractione per modum vniuersalis, remotis proprietatibus, manet in intellectu essentia communis, sed non Hypostasis Patris.

Secunda.

Loquendo de abstractione, per modum formæ, remotis proprietatibus non personalibus, remanent intellectus Hypostatum, vel personarum, si enim per intellectum tollatur proprietas, personalis, tollitur intellectus Hypostasis.



RO declaratione huius Art. Quatuor notanda sunt Primũ proprietates personalis hic vocari eas, quę sunt personatũ constitutiuæ, propter quòd spiratio actiua, vel innascibilitas, non vocantur proprietates personales, ità D. Tho. suprà Quæst. 30. Art. 2. ad 1.

Secundum est, quòd: quia remotis per intellectum istis proprietatibus non personalibus, adhuc intelligitur remanere essentia, & personarum articularis, constituta in suo esse, ideò D. Tho. non dixit abstractionem vniuersalis à particulari habere locum in illis, sed tantùm in personalibus: quia illis ablatis, non remanent personę, & abstractio per modum vniuersalis, est illa, in qua non manet id, à quo fit abstractio.

Tertium est. Gabrielem Vazq. iuxtà causam, quæ Art. præcedenti dubio primo retulimus, illum sentire de persona Patris, quòd scilicèt constituatur fæcunditate, vel innascibilitate. hic etiàm sentire, quòd

ablata

ablata per intellectum paternitate à patre, sicut forma abstrahitur à materia remanet, persona patris, sed ibi impugnauimus fundamentùm eius corruente eius etiàm sententia, ruit.

Quartum est, quòd Art. 1. hic explicuimus mentem D.Tho. & Caiet. asserentium hic relationes constituere personas in quantùm, sunt ipsæ personæ constitutæ Videte ibi.

ARTICVLVS IIII.

An actus notionales præintelligantur proprietatibus.


Prima Conclusio.

Origo passiua præcedit proprietates (etiàm personales) personarum præcedentium; Origo verò actiua præcedit relationem originantis, non personalem.

Secunda Conclusio.

Paternitas, vt relatio, sequitur generationem; Præcedit verò illam, vt est constitutiua personæ.

De hac Conclusione, videnda sunt omnia, quæ diximus Art. 2. dub. 2.



QVÆSTIO XXXXI.

DE PERSONIS, IN COMPARATIONE AD ACTVS NOTIONALES.

ARTICVLVS PRIMVS.


An actus notionales ſint tribuendi Perſonis.

Prima Concluſio, eſt affirmatiua, quæ eſt de fide. Nàm pſal. 2. & 109. generatio Filij, tribuitur patri, diffinitùrque eadem Concluſio in Concil. Lateranenſi, & refertur c. firmitèr, & cap. damnamus de ſumma Trinitate, & fide Catholica.

Secunda Concluſio, ad ſecundum; Actus, notionales differunt à relationibus tantùm ſecundum modum ſignificandi.

DVBITATVR,
Circa ſecundam Concluſionem.

An actus notionales ità formalitèr dicant relationes, vt generatio actiua, v. g. nihil aliud dicat, niſi relationem Paternitatis, & ſic de alijs.


IDETVR, quòd ſic. Primò: quia ità ſæpè docet D. Tho. vt hic ad ſecundum, & Quæſt. ſequenti Art. 8. ad 3. & in 1. diſt. 27. Quæſt. 1. Art. 1. ad quintum, & opuſculo 2. Cap. 65. & de Potentia Quæſt. ſecunda Articulus 5. ad 8. & Quæſt. 10. Art.

Art.3.& Quæst.9.Art.9.ad 3., vbi ponit differentiam inter potentiā generatiuam,& generationem; quia illa significat absolutum; hæc verò solam relationem, Ergò.

Confirmatur ratione eiusdem D. Tho.hic; In actione clauduntur duo; scilicèt motus,& relatio;& si ab ea tollatur ratio motus, remanet sola relatio; sed in actibus notionalibus Dei; nullo modo includitur motus,quandò dicit imperfectionem; Ergò in eis nihil remanet nisi relatio principij,vel eius,quòd est à principio.

Confirmatur secundò. Ideò passiua creatio (teste D. Tho. infrà Quæst.45.Art.3.) nihil dicit in creatura, nisi relationem, quia est productio sine motu,& ablato motu ab actione, nihil remanet, nisi relatio. Ergo similitèr cùm à generatione Dei.v.g.debeat auferri omnis ratio motus,nihil in ea remanebit,nisi sola relatio.

Secundo arguitur. Generatio actiua distinguitur realitèr à passiua,& à Filio. Ergò dicit solam relationem. Antecedens patebit Conclusione prima; Etiam probatur Consequentia, quia solæ relationes sunt,quæ in diuinis distinguuntur realitèr.

Tertio, Generatio actiua dicit aliquid conueniens soli Patri. Ergò, importat solàm relationem Paternitatis. Antecedens patet ex Augustino dicente,illam esse propriam Patri, vt habet hic in Argumento D.Tho.Contrà. Consequentia verò probatur: quia nulla alia proprietas positiua est, propria soli Patri,nisi Paternitas.

Confirmatur. Generatio actiua,se tota distinguitur à filio. Ergò dicit solam Paternitatem. Consequentia patet: quia,si diceret aliquid absolutum (præter paternitatem) ratione illius non distinguuntur à Filio; & ità enim se tota distinguuntur ab illo. Antecedens autèm probatur: Quia productio actiua rei, vt sic,se tota realitèr distinguitur à termino producto.

Quarto,Generatio passiua,est sola relatio Filiationis. Ergò actiua est sola Paternitas.Consequentia patet ex paritate rationis. Antecedens probatur. Nàm si significaret aliquid (præter filiationem) significaret passionem in Filio,hanc verò nequit significare; quia passio dicit imperfectionem,& potentialitatem, quæ repugnat filio diuino.

Quinto,Generatio actiua distinguitur realitèr à Patre,& adæquatè identificatur cum Filio. Ergò dicit solam Filiationem; Consequentia patet: Quia sola Filiatio adæquatè identificatur cum Filio, ex his,quę realitèr distinguuntur à Patre. Antecedens verò probatur: Nàm in Creaturis, Actio realitèr ægreditur ab agente,& identificatur

cũ termino. Ergò similitèr in diuinis, Generatio actiua, realitèr ægreditur à Patre, & sic realitèr distinguitur ab illo, & identificabitur cum Filio, qui est terminus eius.

Sed Contra. Quia Quæstione 40. Art. 2. diximus, origines non constituere diuinas Personas; quia dicunt actus essentiales, connotando relationes. Ergò.

In hoc dubio sunt quatuor sententiæ.

Prima est, actus notionales, significare solas relationes, sibi proportionatas. V. G. Generationem actiuam significare solam Paternitaté passiuam, solam Filiationem &c. Ità videtur insinuare Magister in 1. d. 26. & ità tenent ibi Duran. Quæst. 2. Gab. Quæst. 1. Scot. Quæst. 3.

Secunda est, Omnes actus notionales, significare solam relationem Personę procedentis, & cum illa omninò identificari. V. G. generationem actiuam, & passiuam, significare solam filiationem, & cum illa totalitèr identificari, & ideò vtramque esse in Filio. Similitèr, spirationem actiuam, & passiuam, significare solam relationem Spiritus Sancti procedenti, & cum illa identificari, & vtramquè esse in Spiritu Sancto, ità Quidam, quos refert Capræolus in 1. dist. 27. Quæst. 1. in Argumentis, Contra tertiam.

Tertia est, Istos actus, nihil aliud dicere, nisi relationes, non tamèn relationes prædicamentales, sed transcendentales, & secundum dici; sicut enim intellectio (licèt sit actio, non includens motus) non dicit solùm relationem prædicamentalem, sed transcendentalem ad obiectum; ità generatio, vel spiratio diuina, licet sint actiones, non includentes motum, non dicent solam relationem, veluti prædicamentalē ad correllatiuum, sed relationem transcendentalem, scilicèt intellectum, vel volitionem, vt productiuam Filij, vel Spiritus Sancti.

Quarta est. Actus notionales dicere aliquid absolutum; connotãdo relationem. V.G. Generatio actiua dicit actum intellectus diuini, connotando Paternitatem, & sic de alijs, ità Caiet. suprà Quæst. 27. Art. 5. ad obiectiones. Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 26. Capræol. in 1. dist. 27. Quæst. 3. Conclusione 1. & ad primum, & secundum, idem tenuit Aureolus ibidem Quæst. 3. Art. 1. & alii.

Sed pro explicatione. Dicò primò. Actus notionales actiuè sumpti v.g. Generatio actiua, non sunt adæquatè, & realitèr idem cum Personis procedentibus, nec sic sunt realitèr in illis. Dico adæquatè, quia inadæquatè identificantur cum illis. Hic autèm non loquimur de illis ratione essentiæ, quàm includunt, sed ratione relationis, quàm principalitèr important.

Pro-

Probatur Ergò Conclusio: Nàm si generatio actiua esset in Filio, & adæquatè identificaretur illi, Pater non diceretur generans, vel genitor. Consequens est contra Concilia, quæ sic nominant Patrem; Ergò Sequella patet. Nulla res denominatur realitèr talis ab eo, quòd non habet realitèr in se, sed realitèr distinguitur, & opponitur illi, Ergò, si generatio actiua est in Filio, & adæquatè identificatur illi, cùm Filius realitèr distinguatur, & opponatur Patri, Pater non poterit ab illa dici realitèr generans.

Secundò, Generatio actiua (vt patebit ex tertia Conclusione) dicit essentiam cum Paternitate, Ergò non potest esse in Filio, & adæquatè identificatur ei. Probo Consequentiam: quia essentia non est in solo Filio, neq; adæquatè identificatur ei; Paternitas verò, neq; est in Filio, neq; identificatur ei.

Dices; Generationem actiuam (prætèr essentiam) non importare Paternitatem; sed Filiationem.

Sed contra hoc est, Primò, quòd Magister in 1.d.26. & D. Tho. hic ad secundum dicunt, generationem actiuam, dicere Paternitatem.

Secundò: Quia Pater non diceretur generans: quia non potest denominari realitèr, & formalitèr à filiatione sibi opposita, quàm principalitèr importaret generatio.

Tertiò: quia Filius posset denominari generans; potest enim denominari à qualibet relatione sibi conueniente, Ergò, si generatio actiua importat solam relationem Filiationis; ab illa poterit Filius denominari generans.

Confirmatur. Creatio actiua est in Deo, & licèt relatio Consequēs passiuam creationem, sit in Creatura; Relatio enim Consequēs creationem actiuam, est in Deo secundum rationem: quia relationes Consequentes actionem, & passionem, sunt oppositæ, & non possunt esse in eodem; sed vna est in agente, & altera in passo. Ergò similitèr relatio Consequens passiuam generationem, erit in Filio, in Patre autèm erit ea, quæ sequitur generationem actiuam, vel importatur per illam, & ità, illa non erit Filiatio. Vltimò, Potentia generatiua, est idem formalitèr, quòd generatio actiua. Sed Potentia generatiua non est, in Filio, neq; illi adæquatè identificatur, sed Patri, vt infrà patebit, Ergò. Maior probatur; quia potentia generatiua non dicitur aliquod potentiale, sed omninò actuale, qualia sunt omnia, quæ sunt in Deo; Nihil autèm aliud actuale potest importari potentia generatiua (vt sic) nisi actualem generationem actiuam, Ergò.

Confirmatur. Actus immanens est in eodem subiecto, in quo est

potentia elicitiua illius, ſed generatio eſt actus immanens elicitus à potẽtia generatiua Dei, quæ eſt in Patre, Ergò. Dico ſecundò.

Actus notionales nõ dicunt ſolas relationes traſcendentales, vel sm̃ dici. Probatur. Relatio traſcendentalis (ſi quæ eſt in diuinis) eſt communis; ſed iſti actus non ſunt communes; Ergò. Antecedens probatur, & explicatur.

Relatio traſcendentalis, & ſecundum dici, importat aliquod abſolutum à correllatiuo, quod nequit explicati ſine ordine ad aliud, vt potentia, ſcientia &c. Sed omnia iſta ſunt abſoluta in diuinis, & communia omnibus Perſonis. Ergò ſimilitèr, ſi actus notionales, tantùm dicunt relationem diuinam traſcendentalem, & ſecundum dici, eſſent communes omnibus Perſonis.

Dico tertiò. Actus notionalis dicit actum Dei, cum reſpectu. Hæc Concluſio eſt expræſſa D. Tho. de Potentia Quæſt. 2. Art. 5. vbi ait, quòd generatio ſignificat actum, cum aliquo reſpectu, Ergò, & Potẽtia generandi, ſignificat potentiam cum reſpectu. Vndè ipſa generatio eſt Dei actio. Sed prout eſt Patris tantùm, & in 1. d. 2. Quæſt. 1. Art. 1. ad 2. & 3. ait, generationem Dei, eſſe actum ſecundum, quòd eſt operatio.

Alia loca D. Thomæ, vbi id aſſerit, adduximus Quæſt. 27. Art. 1. bubiò 2.

Sed probatur ratione; Dicere (in diuinis) eſt actio intellectus diuini, ſcilicèt ipſa intellectio Dei, cum quodam reſpectu, ſed dicere eſt actus notionalis, ſcilicèt generatio, Ergò. Maior eſt D. Thom. infrà Quæſt. 34. Art. 1. ad ſecundum, vbi ait, dicere Deo, eſt cogitando intueri, inquantùm intueri cogitationis diuinæ concipitur &c. Quibus Verbis clarè docet, dicere diuinum (quòd eſt generatio Verbi) importare intellectum Dei. Aliud teſtimonium D. Th. adducitur pro hac materia in ſecunda parte quartæ Concluſionis.

Confirmatur. Aliæ actiones diuinæ, licèt nõ includant notionẽ, non dicunt ſolùm relationem ſecundum eſſe, Ergò nec generatio. Conſequentia patet. Quia hac ratione D. Th. hic ad ſecundum, inſinuat, Actus notionales dicere ſolam relationem ſecundum eſſe. Antecedens verò probatur duplicitèr.

Primò: Nàm D. Th. infrà Quæſt. 45. Art. 3. ad 1. de creatione actiuè ſignificata, quæ nullum includit motum, ait, quòd non ſignificat ſolum relationem, ſed actionem Dei, quæ eſt eius eſſentia, cum relatione ad creaturas.

Secundò: quia intellectio Dei eſt vera actio, ſuprema, & vltima actua-

actualitas diuini intellectus, & tamèn, licèt non includat motum, non dicit solùm relationem, Ergò &c.

Secundò Arguitur. Generatio actiua, est actio communicatiua naturæ per modum naturæ, Ergò non est sola relatio. Antecedens probatur duplicitèr.

Primò: Nàm in Patre est vera Potentia generatiua, Potentia autèm generatiua tantùm est respectu actionis communicatiuę naturæ, & nó respectu relationis, significatæ per modum actionis; vt non damus potentiam adæquatiuam, vel assimilatiuam, vt sic, quæ per se primò sit productiua æqualitatis, vel assimilationis secundum se, vel secundum aliquos terminos.

Secundò; Generatio creata, est actio communicatiua naturæ, Ergò & diuina. Proportionantur enim, secundum eamdem rationem analogam actionis, licèt differant penès infinitum, vel infinitum, & penès esse accidentale, vel substantiale: quia si intellectio, & volitio nostra sunt actiones, etiam in Deo sunt actiones.

Confirmatur. Actio, est supræma, & vltima actualis potentiæ, sed generatio Dei, ità si habet respectu suæ potentiæ generatiuæ, quæ esset imperfecta, & potentialis, si non esset in actu ipsius generationis, Ergò.

Tertiò, Productio Verbi, est generatio, & non productio Spiritus Sancti: quia per illã (ex sua ratione formali) procedit simile in natura, & non per istam; Ergò istæ processiones non dicunt solas relationes. Antecedens supponitur, & Probo Consequentiam. Quia illa productio, de cuius ratione est, vt per eam procedat simile in natura intellectuali essentialitèr, est actio intellectus, vt patet ex Quæst. 27. Art. 3. & 4.

Confirmatur. Generatio diuina (vt sic) teste D.Th. suprà Quæst. 27. Art. 2. est operatio immanens, & vitalis, sed operatio vitalis, non dicit solùm relationem, Ergò.

Quartò: Quia aliàs Filius non esset proprium Verbum, cuius contrarium ostendimus, Quæst. 27. Art. 3. secundò, Sequella probatur: Nàm de ratione Verbi, est, ut eius productio sit intellectio, Ergò, si productio Verbi non est intellectio, sed sola relatio, ille non est propriè Verbum.

Confirmatur: Nàm D. Tho. suprà Quæst. 24. Art. 1. ad 4. ait, Relationem Verbi consequi ad intellectionem, sed consequitur ad suam processionem, & non solùm ad relationem; Ergò eius processio est intellectio. Et de Potentia Quæst. 2. Art. 3. & in alijs locis sæpè docet,

Filium

Filium procedere per cognitionem Dei,& Spiritum Sanctum per actũ voluntatis, qui est dilectio, sed procedunt per actus notionales, Ergò illi non sunt solæ relationes sed intellectio, & volitio.

Quintò, Potentia generatiua Dei, dicit absolutum, cum respectu, vt patebit Art.4. Ergò etiam actualis generatio. Probo Consequentiam. Quia idem prorsus sunt, (vt etiam à nobis concipiuntur) ista duo, quia potentia generatiua nihil potentialitatis includit, sed est summa actualitas, & ideò debet esse ipsa actualis generatio.

Dico quartò D. Th. dicens, actus notionales solùm esse relationes, non intendit, quod nostro modo concipiendi tantùm sint relationes; sed quod principalitèr importent relationes, & quòd ex his, quæ includuntur in actione prædicamentali, solam relationem secundum esse, importent.

Prima pars est D. Th. hic ad secundum, vbi ait, quòd quia actiones notionales intelliguntur à nobis, instar sensibilium, in quibus distinguuntur rationes actionis, & relationis. Ideò alitèr significantur relationes, alitèr actus notionales. Sed diuersus modus significandi, sequitur diuersum modum concipiendi, Ergò, si à nobis significantur alitèr, quàm relationes, alitèr etiam concipiuntur.

Secundò, Conclusione tertia ostendimus, & probauimus, actus notionales dicere actionem diuinam, Ergò non intelligimus illos, dicere solas relationes, alias, si id ità intelligeremus, non possemus docere, quod includunt tertiam naturam actionis.

Tertiò: Quia ipsa generatio, (vt modo dicebamus) formalitèr est idem, quod potentia generatiua, & ità nos intelligimus, sed nos intelligimus potentiam generatiuam, non dicere solùm relationem, Ergò.

Secunda pars Conclusionis est D. Th. suprà Quæst.34. Art.1. ad 3. vbi postquam dixerat, quod intelligere importat solùm habitudinem intelligentis, ad rem intellectam, idest, quod intellectio dicit habitudinem trascendentalem ad obiectum. Subdit, sed dicere importat principalitèr habitudinem ad Verbum conceptum, & mediante Verbo importat habitudinem ad rem intellectam. Ex quo sic arguitur, dicere Verbum, est actus notionalis, scilicèt generatio Verbi, & habitudo, quàm mediante Verbo importat dicere ad rem intellectam, est ipsa intellectio, vt prius declarauerat D. Thom. Ergò generatio, (& idem erit de cęteris actibus notionalibus) principalitèr dicit relationem ad Filium, licèt etiam dicat ipsam intellectionem, & ità, quandò D. Tho. hic dicit, actus notionales, nihil

aliud

aliud esse, quàm relationes, intendit, quòd nihil aliud principalius, & formalius important, quàm relationes.

Tertia pars est Capræoli, vbi suprà, & insinuat illam D.Th. in 1.d. 7. Quæst.1. Art.1.ad 3. & hic in solutione ad secundum, in qua solutione, intendit, quòd ex his, quæ reperiuntur in actione prædicamentali, nihil aliud (præter relationem) secundum esse reperiatur in actu notionali. Ratio est: quia in actione prædicamentali reperiuntur motus, & habitudo, vel egressus realis, ab Agente, qui simplicitèr vocatur Ab, & relatio secundum esse, sed duo priora nequeunt reperiri in diuina generatione: quia ibi non reperitur imperfectio motus, nec illa realitèr procedit à Patre, aliàs realitèr distingueretur ab eo, Ergò reperitur sola relatio secundum esse.

Ad secundum Ergò, nego Antecedens. Ad probationem ex testimonijs D.Th. patet ex vltima Conclusione; solùm enim intẽdit, quod actus notionales principalitèr dicant relationes, vel quòd ex his, quæ reperiuntur in actione prædicamentali, reperiatur sola relatio secundum esse; Non enim negat, reperiri ibi rationem actionis diuinæ, & eius essentiæ.

Ad vltimum verò testimonium. Respondetur, D.Tho. ponere differentiam inter potentiam generatiuam, & generationem.

Ad primam confirmationem patet ex dictis, solùm enim probat ex his, quæ sunt in actione prædicamentali, reperiri in notionali solam relationem; non tamèn non reperiri in ea rationem essentiæ diuinæ, & infinitæ actualitatis, quæ est actio diuina.

Ad secundam confirmationem, Nego Consequentiam. Differentia est, quòd creatio passiua, quæ non est actio diuina includens essentiam Dei, nihil aliud potest includere, nisi relationem secundum esse, vel transcendentalem, vt Aliqui volunt, infrà Quæst. 45. Generatio verò diuina: quia non potest includere relationem trascendentalem, vt dictum est; potest enim includere essentiam, & actionem diuinam, ideò potest dicere aliud, præter relationem.

Ad secundum nego Consequentiam: Nàm satis est, quòd includant relationes realitèr distinctas. Sed Pater, & Filius, licèt includant essentiam, in qua identificantur, distinguuntur realitèr: quia dicunt relationes realitèr distinctas.

Ad tertium, nego Consequentiam: Nàm Potentia generatiua, licèt dicat absolutam: quia connotat relationem Paternitatis, & eodem modo generatio est propria Patri: quia licèt importet aliquid absolutum, principaliùs dicit relationem Paternitatis.

Ad

Ad Confirmationem distinguo Antecedens. Tota totalitate rei, Nego Antecedens. Totalitate rationis formalis, Concedo Antecedens: Nam: quia realitèr includit essentiam, quę identificatur cum Filio non distinguitur à Filio secundum id totum, quod realitèr includitur, distinguitur enim ab illo ratione relationis, quàm principalitèr importat, quæ est composita, & realitèr distincta Filio.

Ad probationem verò Antecedentis, potest negari Antecedens: Nã Multi censent, productionem hominis identificari cum illo, & in diuinis satis est, si productio personæ v. g. generatio Filij distinguatur ab illo, non ratione essentiæ, quàm includit, sed ratione relationis, quàm principalitè importat.

Ad quartum nego Antecedens, Ad probationem nego Antecedens, sed tantùm significat acceptionem, qua Filius accipit essentiam à Patre, vel cõmunicationẽ illius veluti passiuã, seclusis ĩperfectionib. hoc autẽ non repugnat Deo, imò necessariò includit incõmunicabilitatẽ essentiæ diuinæ, sicut in eius intelligibilitate includitur intelligere, & intelligi, vt explicauimus Quæst. 27. Art. 2. dub. 3.

Ad quintum, Nego Antecedens. Ad probationem distinguo Antecedens Actio transiens. Transeat Antecedens, Immanens, & infinita, qualis est productio diuina; Nego Antecedens. Ratio disparitatis est; quia actio transiens est actualitèr motus, & quia motus identificatur cum termino, etiàm ipsa identificatur illi. Actio verò immanens, si sit infinita, nihil includit de motu. Sed de se, est vltima actualitas, & complementum agentis. Perfectio autèm Dei agentis, formalitèr identificatur cum ipso Deo, & cum ipsa potentia; & ideò generatio, quæ est actio notionalis; sed immanens in Deo, & vltima perfectio suæ potentiæ generatiuæ, formalitèr identificata illi, & natura sua, debet identificari cum generante, & non cum termino producto.



ARTICVLVS II.

An actus notionales ſint voluntarij.

Prima Concluſio.

Pater genuit Filium, voluntate concomitante.

Secunda.

Pater non genuit Filium, voluntate participante. Circa primam.

DVBITATVR, I.

An voluntas concomitans generationem Filij, ſit etiam ratione, prior ipſa generatione.



IDETVR, quòd non. Primò. Nàm Auguſtinus in dialogo ad Oroſium Quęſt. 7. Hieronymus in illud ad Ephæſios 1. qui prædeſtinauit nos, & Concilium Toletanū vndecimum in Profeſſione fidei, dicunt, nullam voluntatem Patris, præceſſiſſe, aut fuiſſe priorem generatione Filij, & loquūtur de prioritate rationis.

Similitèr D.Th. de Potentia Quæſt. 2. Art. 3. ad ſecundum ait, voluntatem Dei, non præceſſiſſe tempore, nequè intellectu, generationem Filij, & ex hoc probat, illam non fuiſſe priorem generationis. Nàm principium illius (ſaltem intellectu) debet eam præcedere.

Confirmatur. Nàm D.Tho. hic, ait voluntatem Dei, reſpectu generationis, eſſe concomitantem, ſicut eſt concomitans voluntas, qua vult ſe eſſe Deum, nullo modo eſt prior ſua deitate; neque etiàm ſecundum rationem. Ergò.

Secundò, Voluntas Patris (circa generationem Filij) ſolùm eſt voluntas complacentiæ, Ergò non eſt prior illa. Antecedens patet ex illo

Mat-

Matthæi tertio,& 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Vbi dilectio Filii, vocatur complacentia. Consequentia verò probatur. Quia complacentia respicit suum obiectum, vt præsens. In hoc enim distinguitur à desiderio, quòd desiderium respicit illud, vt futurum,& posterius.

Confirmatur triplicitèr.

Primò. Voluntas Patris (circa generationem Filii) non habet rationem desiderii; quia desiderium importat imperfectionem, quæ non potest tribui Deo, Ergò non implicat, illam, vt futuram, & posteriorem. Probo Consequentiam: quia ex actibus sola species, vel desiderium, respicit bonum, vt futurum, loquendo de talibus actibus.

Secundò, Generatio Filii, non consideratur in Deo, vt futura, vel possibilis, quia sempèr est summè actualis,& non potest considerari, vt potentialis, aliàs non consideraretur, vt Deus. Ergò nulla volitio Dei, est prior illa. Patet Consequentia, quia ista prioritas solùm potest esse respectu eius, quòd saltem secundum rationem est posterius.

Tertiò talis volitio, (vt prior generatione) nec est efficax respectu illius, neque inefficax. Ergò nulla. Antecedens pro prima parte patet: quia non fuit principium illius.

Pro secunda verò parte probatur: Quia volitionem esse inefficacē, dicit imperfectionem, quæ non potest tribui Deo.

Tertiò Arguitur, Volitio non pręcedit intellectionem Dei, quæ est eius essentia; sed generatio Filii est ipsa intellectio Dei, & actus intellectus diuini. Ergò volitio Dei, non præcedit illam, aliàs præcederet essentiam Dei.

Confirmatur duplicitèr.

Primò, Argumento Concilii Toletani, Augustini,&c. Nàm sapientia Dei, præcedit omnem eius volitionem, sed Filius est sapientia Dei. Ergò Filius,& eius generatio, præcedunt omnem volitionem Dei.

Secundò, Generatio necessariò ægreditur à Patre, Ergò non supponitur in Patre volitio illius. Probo Consequentiam. Quia nulla volitio intelligitur media inter suppositionem, & actum, necessariò procedētem ab eo.

Quartò, Velle generare, est perfectio essentialis, dicens expræssam habitudinem ad actum notionalem, scilicèt generationem. Ergò neque etiam ratione, est prior illa. Probo Consequentiam; quia perfectiones essentiales, dicentes expræssam habitudinem ad notionalia, neque ratione sunt priores illis: quia ipsa notionalia includuntur, (vt termini expresè significati) in conceptu essentialium; & ità essentia-

lia

lia neque intelliguntur priùs illis, nec ratione sunt priùs illis, v.g. essētiam diuinam esse actu communicatam Patri, Filio, & Spiritui Sancto, neque etiam ratione est priùs illis.

Quintò probatur. Istam voluntatem non solùm non esse ratione priorem generatione, sed nec esse concomitantem, sed tantùm posteriorem; Nàm complacentia de aliquo obiecto, supponit illud eo modo, quo versatur, Ergò illud, vel vt possibile, vel vt futurum, aut præsens. v.g. si alicui placet, pluuiam esse futuram, possibilem, aut præsentem, prius supponit illam esse futuram, possibilem, aut præsentem. Ergò cum actus notionales placeant Deo, non vt futuri, sed vt præsentes, prius ratione sunt præsentes, quàm placeant, & ità volitio eorum non erit concomitans; sed posterior eis.

Confirmatur tripliciter.

Primò, Eodem modo (teste D.Tho. hic) Deus generat voluntate concomitante, quo ego sum Homo volūtate concomitante. Sed priùs est me esse Hominem, quàm habere complacentiam de illo. Ergò similitèr prius erit generatio, quàm complacentia Dei de illa.

Secundò, Patrem generare, & Filium generare, est prius ratione, quàm volitio diuina. Ergò volitio diuina circa generationem subsequitur, & non præcedit, nisi simul comitetur illam. Consequentia patet: quia præcedere, aut concomitari aliquid nequit, quòd est posterius illo. Antecedens autem probatur. Nàm spiratio actiua supponit Patrem, & Filium, & generationem actiuam, & passiuam. Spiratio autem actiua, est ipsa naturalis Dei volitio, qua vult naturalitèr cuncta, quę ad suam essentiam pertinent.

Tertiò, Pater diligit se, & omnia alia Spiritu Sancto (vt suppono ex D.Tho. suprà Quæstionem 37. Art. 2. ad 3.) sed Spiritus Sanctus, nec procedit, nec est simul, & concomitantèr cum generatione diuina, sed posterior illa. Ergò dilectio, qua Pater diligit generationem, est posterior illa.

Sed contra est, quoniam Concilium quoddam dixit, Patrem genuisse Filium, mox vt voluit, ità refert Hylarius libro de Synodis diffinitione 25.

In hoc dubio insinuantur duo.

Primum. An Pater voluntate genuerit Filium.

Secundum. An voluntas generandi, fuerit prior simultanea, aut posterior generatione.

Quo ad primum, supponendum est; voluntatem dupliciter considerari. Primò consideratur, vt est natura, idest, vt necessariò deter-

minatur ad aliquod amandum. Secundò, consideratur, vt est voluntas libera, cum indifferentia ex consilio, & delectatione, & vtroque modo considerata, posset intelligi concurrere ad generationem Filii, vno ex tribus modis.

Primò, vt principium productionis illius.

Secundò, vt applicans potentiam generatiuam ad actualem generationem.

Tertiò, vt concomitans illam, & tendens in illa, tamquàm in obiectum volitum, & non productum per eam.

His suppositis, Circa primum punctum huius difficultatis possunt esse quinque sententiæ.

Prima est, voluntatem Dei, (vt liberam) esse principium generationis Filii, ità tenuere Arrianus, Eunomius, & cæteri, qui dicebãt, Filiũ esse creaturam, ità referunt Augustinus, & Cyrillus vbi suprà, & aliqui tribuunt hanc sententiam Ricardo de Sancto Victore, libro sexto de Trinitate cap sexto, & 7.

Secunda est, voluntatem Dei (vt naturam) esse principium generationis Filii.

Tertia potest esse, Voluntatem Dei, (vt liberam) applicare potentiam generatiuam Patris, ad actualem generationem Filii.

Quarta verò, Quod hæc applicatio, fit à voluntate Dei, vt natura.

Quinta verò. Voluntatem Dei (ut naturam) non ferre hanc generationem, ut in obiectum, sed solùm ferre in illam, ut est libera, uel nullo modo.

Quo ad secundum verò punctum sunt quatuor sententiæ.

Prima est, Voluntatem Dei (vt naturam) nec ratione præcedere, nec concomitari. Sed subsequi, & esse posteriorem actuali generatione, ità Vasq. hic, disput. 160. Cap. 3. & 4. & Heur. in Summa Quæst. 2. & Quodlibeto 5. Quæst. 5. & refertur à Scoto in 1. dist. 6. Quæst. 1.

Secunda est, Volitionem Dei, secundum intellectum, non præcedere, sed concomitari, & esse simultaneam generationi, ità Capræolus in 1. dist. 6. Quæst. 1. Art. 1. Conclusione 6. & ad Argumenta contra illã Ferr. 4. contra Gent. Cap. 11. Greg. in 1. dist. 6. Quæst. 1. Art. 3. Canariensis hic, in tertia parte Commentarij, & Molina hìc disp. 2.

Tertia est, Volũtatem generandi in Deo, esse ratione priorem ipsa actuali generatione, ità Caiet. hic, & Scotus, vbi suprà.

Quarta est, Volitionem essentialem, esse ratione priorem generatione, notionalẽ verò, esse ratione posteriorem illa, & etiàm origine.

Sed pro explicatione dico primò, De fide est, voluntatem Dei, vt liberam,

beram, nec esse principium generationis Filij, nec applicare potentiam generatiuam Patris, ad actualem generationem.

Hæc Conclusio ostenditur latè, vt dogma fidei à Cyrillo vbi suprà. Ab Augustino, vbi suprà, & libro 15. de Trinitate, Cap. 20. Athanasio in libro de Spiritu Sancto, ad Serapionem, & aliis, & habetur in Concil. Toletano 11. in professione fidei, vbi dicitur, quòd Deus nec volũtate (scilicèt libera) nec necessitate (scil. coactionis) generauit Filiũ, & in Concil. Signiensi relato ab Hil. vbi suprà anathematismo 24. ex prioribus habetur, si quis voluntate Dei, tamquàm vnam ex Creaturis factum etiam asserit Filium Dei, anathema, sit, & Anathematismo 24. ex posterioribus refert Hil. aliam similem huic, quibus, in locis Concilia loquuntur de voluntate Dei, vt libera: quia loquuntur de voluntate, quã Deus producit creaturas, illa autèm vt sic, libera est.

Secundò probatur, Filius Dei est infinitè perfectus, & eius generatio, & ratio continetur intra rationem essentiæ diuinæ, vt ostendimus Quæst. 28. Art. 2. dub. 2. & 4. Ergò est volitus naturalitèr, & non liberè: Nàm voluntas Dei libera, solùm vult bonum finitum, naturalis autèm est, quæ fertur necessario in suam essentiam, & omnia, quæ pertinent ad eam.

Tertiò probatur ratione Art. Filius non potest non generari à Deo, nec produci alitèr, quàm procedit, Estenim ens, omnino necessarium, sed ea, quæ procedunt à voluntate libera Dei, cùm non habeant infinitam bonitatem, possunt non amari, nec produci, & licèt producantur ex Dei omnipotentia, possunt, si non quo ad essentialia, saltẽ, quo ad integralia, & aliàs proprietates diuersimodè produci. Ergò filius nõ procedit liberè. Minorem (quoad vltimam partem) probat. D. Tho. quia forma, qua voluntas agit, est res, vt est intenta, potest autèm res diuersimodè in intellectu esse: Nã licèt intellectus non possit concipere aliquàm rem alitèr, quàm eius essentia postulat, aliàs non conciperet aliam rem, & illã (tamèn salua essentia) nec potest eamdem diuersimodè concipere, & ideò potest illam, quò ad cætera, diuersimodè causare. De hac ratione vide Caiet. hic vbi etiàm explicat, quo modo sit verùm, id quòd procedit à natura, vt sic procedere tale quale est agens, sed hoc non intelligitur de his, quæ procedunt per naturalem resultantiam, vt passiones, quæ sic procedunt à natura non sunt eiusdẽ rationis cum illa. Sed intelligitur de his, quæ procedunt à natura agẽte propriam potentiam communicatiuam sui, vt sic, qua est fæcunda, propter quòd, neq; species cognoscitiuę, quæ naturalitèr procedunt

ab obiecto: quia non procedunt, per potentiam propriam illius, vt sic communicatiuam sui, sed quatenus conuenit cum substantijs separatis, non sunt eiusdem rationis, quoad modum essendi, cum obiecto à quo procedunt, & idem est de aliis. Secunda pars conclusionis patet eadem ratione: Nàm generatio Filii est bonum infinitum, & necessarium sibi intrinsecum, & cessatio à generatione, non potest Deo repręsentari sub aliqua ratione boni. Ergò etiàm, si requireretur aliqua volitio applicans potentiam generatiuam ad actualem generationē, illa non deberet esse volitio libera.

Dico secundò, voluntas Dei, vt natura, non est principium producens Filiū. Hæc conclusio est de fide: quia vt ostendimus suprà Quæst. 27. de fide est, productionem Filii esse generationem, & distingui à processione Spiritus Sancti, & processionem per voluntatem non posse esse generationem. Ergò de fide est, productionem filii non esse per voluntatem.

Confirmatur: quia in eadem Quæst. ostendimus, Filiū produci per intellectum. Ergò non per voluntatem, non enim immediatè potest per ambas potētias produci, vnde certum est in doctrina fidei, filium non procedere per actum voluntatis, vt principium, & non procedere immediatè per actum naturæ, vt sentiebat Dur., quia processioni per uoluntatem, manifestè repugnat, esse generationem qualis, est productio Filii, hoc autèm non ità manifestè repugnat productioni immediatę, prouenienti ex fæcunditate naturæ.

Dico tertiò, loquendo de voluntate, ut natura, Pater diuinus non genuit Filium per uoluntatem, naturalitèr applicantem suam potentiam generatiuam, ad generationem illius. Hæc Conclusio, est adeò certa, ut oppositum censeatur periculosum in fide. Probatur: Nàm testimonia Conciliorum, & Sanctorum adducta, licèt per se primò intēdant negare, uoluntatem Dei esse principium elliciens generationem Filii, tamèn: quia absolutè negant Filium, procedere per uoluntatem uniuersaliter uidentur negare, omnem actum uoluntatis, qui sit principium elliciens, uel applicans ad generationem.

Secundò Arguitur ex D. Tho. de Potentia Quæst. 2. Art. 3. ad 5. quia natura non determinatur à, uoluntate respectu eorum, ad quæ ex suis principiis naturalitèr inclinatur, & determinatur, sed natura diuina in Patre, est naturalitèr determinata ex proprietate personali Patris, ad generationem Filii. Ergò ad illam non determinatur à uoluntate, ut natura; Mai. patet: Nàm ideò essentia Hominis nō determinatur à uoluntate, ut natura, ad habendam risibilitatem, uel

alias passiones: quia ex principijs suis non habet illas, & sic de aliis. Ergò.

Tertio, Volũtas Dei (vt natura) nõ est principiũ applicans potẽtiã generatiuam Patri, nec determinans intellectũ, vt sit potentia generatiua. Ergò neq; est principium applicans potentiam generatiuam ad actualem generationem, Consequentia patet: quia potentia generatiua, est idem formalitèr, quod actualis generatio, ut ostendimus Qu. 27. Art. 5. Conclusione vltima, ex eo, quod est summè actualis, nihil habere de potentialitate. Antecedens uerò patet duplicitèr, Primò: quia cæteræ potentiæ, non applicantur Deo per uoluntatem. Secundò: quia potentia generatiua est, essentia cum paternitate, sed ut diximus Quæst. 27. Art. 5. paternitas immediatè coniungitur essentiæ, & non media uollitione. Ergò.

Dico quarto, Volũtas Dei, vt natura, fuit concomitans generationem Filii. Hanc Conclusionem, cum cæteris citatis in prima sententia 2. loco adducta negat Franciscus Xauer. lib. 6. de Trinitate Cap. 4. & eius ratio est: quia prius ratione, est Patrem intelligere generationem Filii, quàm eam uelle, Ergò prius generat, quàm uellit generare: quia generat intelligendo eam, sed nostra Conclusio est Magistri in primo dist. 6. & D. Tho. hic, Imò idem D. Tho. in solutione ad primum illam 25. deffinitionem, quàm adducit ex Hilario in lib. de Synodis, quæ sic habet non naturali necessitate ductus pater genuit Filium, ait facere contra eos, qui à generatione Filii remouebant concomitantiam paternæ uoluntatis, Ergò negare illam, est contra istam deffinitionem Concilii.

Confirmatur: quia idem videtur expresè diffinitum in Cõcilio Sardiensi adducto ab Hilario in lib. de Synodis, vbi sic habetur. Sancta, & Catholica Ecclesia anathematizat eos, qui dicunt, nec Cõsilio, nec voluntate, patrem genuisse Filium, Consilium ibi significat cognitionem, & diffinit Synodus, Patrem non generasse Filium ignoranter, & nescienter quid fecerit, sed cum plenissima cognitione, & scientem se generare, vocat autèm cognitionem nomine Consilij: quia vt habetur Isaiæ 7. & vt Aug. lib. de Heresibus 5. Cap. 3. refert ex Sibylla, Filius, quem Pater genuit, vocatur Consilium, vel Consiliarius eius, subdit autèm Concilium, quòd Pater voluntate etiam genuit Filium, sed non genuit eum voluntate, vt principio elliciente generationem, vel applicante potentiam generatiuam ad actualem generationem, Ergò genuit eum voluntate concomitante.

Confirmatur quia (vt refert Aug. ibidem) ideò Mercurius vocauit

Filium, Filium Dei, & bonæ voluntatis: quia scilicèt productus fuit bona voluntate, & complacentia concomitante, & eadem ratione, ad Colosenses primò; vocatur Filius dilectionis Paternæ, non tantùm: quia est dilectissimus, sed etiam: quia fuit genitus, dilectione, & voluntate concomitante.

Tertiò; Generatio Filij, vt est in fieri, est infinitum bonum: Ergò, vt sic, amatur à Deo voluntate concomitante, Antecedens supponitur ex Quæst. 28. Art. 2. dub. 4. & Consequentia probatur: quia omne bonum infinitum, quod est in Deo, necessariò, & naturalitèr amatur ab illo, eo modo, quo est infinitum bonum.

Confirmatur, Spiritus Sanctus procedit ex amore omnium, quæ sūt in Deo, vt patet ex suprà dictis, Ergò procedit ex amore ipsius generationis, vt est in fieri, Ergò illa, vt est in fieri amatnr, quod est eam esse volitam voluntate concomitante. Vltimo, Vel Pater genuit volens, & habetur intentum, vel nolens, & ità tristaretur de generatione Filij, quæ accidit illo nolente, vel negatiuè se habens, & tunc non posset postea velle generationem, quàm antea non volebat: quia mutaretur, & per Consequens numquàm vellet illam, etiam, vt iam existentem.

Ad rationem verò Francisci. Xuar. Nego Consequentiam, ad probationem distinguo Antecedens, generat intelligendo intellectione notionali. Concedo Antecedens, sed hæc intellectio non supponitur ad essentialem volitionem, quà est volita generatio Filij, vt dicetur Conclusione Sequenti, intellectione essentiali, quæ supponitur ad talem volitionem, Nego Antecedens.

Sed instat Xuar. Intelligere essentiale (prout est in Patre) nec ratione distinguitur à notionali: quia notionale nihil addit suprà essentiale, nisi coniunctionem ad Paternitatem, Ergò, si in Patre præintelligitur intelligere essentiale ad istam volitionem, etiam præintelligetur notionale: quia iam intelligitur coniunctum Patri.

Resp. tamèn, Nego Antecedens: Nàm, vt diximus Quæst. 27. Art. 2. intelligere essentiale, & dicere, quod est intelligere notionale, distinguntur ratione ratiocinata: quia dicere importat intellectionem, cum modo productiuo, & supponit in Patre potentiam generatiuam. Ratione distinctam à Paternitate, Intelligere verò essentiale prout est in Patre, non dicit hæc, Ergò intelligere essentiale, prout est in Patre, ratione distinguitur à notionali. Secundò: quia essentia diuina, prout est in Patre, ratione distinguitur à generatione Filij, quæ est ipsum intelligere notionale, Ergò etiam ratione distinguitur ab illa intelli-

gere essentiale. Probo Consequentiam (quia vt supra dictum est) intelligere essentiale, est ipsa essentia Dei formalitèr, & non distinctum ab illa, nec ratione ratiocinata, Antecedens verò patet: Nàm essentia intelligitur, vt omninò absoluta, & per Consequens, vt ratione distincta ab eo, quod principalitèr importat relationem, Diximus autē Art. præcedenti, quod dicere diuinum principalitèr importat relationem. Dixi in Conclusione, voluntas diuina, vt natura: quia Deus voluntate (vt libera) non vult ea, quæ reperiuntur in ipso ad intra, illa enim sūt bona infinita, & simplicitèr necessaria. Voluntas autèm libera, Solū fertur in ea, quæ sunt bona finita, & possunt esse, vel non esse, & sic, vel alitèr esse. Sed obijcit: quia D. Thom. videtur æquiuocè loqui de voluntate: Nàm in prima Conclusione loquitur de actu voluntatis: vt naturæ, & necessariò, In secunda verò de actu voluntatis, vt est libera, & voluntas, & respondet vtrobiq; D. Tho. loqui de actu voluntatis absolutè, licèt prima Conclusio verificetur pro actu necessariò, & secunda pro libero, non loquitur autèm æquiuocè, qui eodem termino superiori vtitur ad significanda diuersa eius inferiora, sicut in his sub contrarijs, Animal est rationale. Animal non est rationale, subiectum non sumitur æquiuocè, licèt quælibet earum verificetur pro diuersa specie Animalis.

Hanc solutionem reijcit Vazq. hic dub. 1. iuxtà textum dicens, non posse vitari æquiuocationem, si voluntas sumatur prædicto modo, Conatur, autèm ipse illam vitare, dicens vtrobiq; voluntatem, sumi pro actu volendi: quia & generatiò Filij est volita, cōcomitantèr tali actu, & non procedit ab illa, vt à principio, Sed licèt sit verum generationē esse volitam volitione necessaria concomitante, & non procedere ab illa, vt à principio, id tamèn docere, non est explicare intentum D. Th. in secunda Conclusione, non enim intendit ibi generationem nō procedere à volitione necessaria, vt à principio, sed quod non sic procedat à volitione libera, Ergò iūxtà mentem D. Tho. necessarium est, volūtatem in prima Conclusione sumi pro actu necessariò, & in secunda pro libero, Declaratur hoc: Nàm vt explicuimus Conclusione secunda D. Tho. hic docet, quod diffiniunt Concilia ibi citata, scilicèt Filium, non procedere per voluntatem, sicut procedunt creaturæ, quæ possūt esse, & non esse sic, vel alitèr esse, sed quæ isto modo procedunt à voluntate, nō procedunt à volūtate naturali Dei, à qua solùm procedūt, quæ sunt omninò necessaria infinita, vt Spiritus Sanctus, sed solū procedunt à libera eius voluntate, Ergò; Explicatur hoc ampliùs, Quod procedit à voluntate, vt libera, procedit ab ea, quatenus ratio appræ-

hendit obiectum volitum, vt indifferens, quod autèm procedit à volũtate, vt natura, procedit ab ea, quatenùs, ratio appræhendit obiectum volitum, vt bonum determinatè, & neceſsariò amandum, Ergò, cum volũtas ſequatur determinationem intellectus, Quæ procedunt à voluntate, vt natura, non procedunt indiferenter, vt poſſint eſſe, & non eſſe ſic, vel aliter eſſe, & ideò amplectenda eſt ſolutio Caietani.

Dico quintò, Vellè generationem Filij volitione eſsẽtiali, intelligitur in Deo prius ratione, quàm ipſa actualis generatio Filij, Probatur primò, vellè proceſſionem Spiritus Sanctus, eſt prius ratione ipſa proceſſione, Ergò, & velle generationem Filij, Eſt enim eadem ratio, Antecedens non plenè admittitur à Ferr. vbi ſuprà, Sed probatur: Nàm vt diximus ſuprà Quæſt.33. & 37. Spiritus Sanctus procedit ex amore, neceſſariò omnium, quæ ſunt in Deo, & etiam ex amore neceſsariò ipſius Spiritus Sancti, & eius proceſſionis, Ergò talis amor ratione eſt prior, ſicut omnis productio, eſt ratione prior ſuo termino.

Ad hoc Mol. vbi ſuprà ad ſecundum, negat Conſequentiam: quia proceſſio Spiritus Sanctus, & eius actiua ſpiratio, eſt per actum voluntatis notionalem, qui ſupponit eſsentialem, quo ſunt volita omnia, quæ ſunt in Deo, generatio autèm fit pro actũ intellectus, qui non ſupponit volitionem, qua ſit volita.

Sed contra hoc eſt Primò: quia licèt actus intellectus, vt eſsentialis ſupponatur ad volitionem Dei, tamèn, vt notionalis, non ſupponitur ad illam (vt ſtatim dicemus) Generatio autẽ Filij, eſt actus intellectus notionalis, & debet ſupponere volitionem eſſentialem, qua ſit volita: quia notionalia, ſupponunt omnia eſsentialia, Ergò, quod ſit generatio per actum intellectus, vt notionalem, non impedit, quo minus poſſit actus eſsentialis voluntatis, eſse prior.

Secundò, ipſe Mol. hic diſp.1. Concluſione prima, concedit Deum generare Filium voluntate cõcomitante, ſed etiam generat illum per actum intellectus, qui licèt (vt eſt eſsẽtialis) præcedat volitionem Dei eſsentialem, tamèn, vt eſt notionalis, non præcedit illam: Nàm ipſe Mol. concedit, quod concomitatur illam, Ergò generationem eſse per actum notionalem intellectus, non arguit, eſse priorem volitione eſsentiali Dei.

Secundò probatur Concluſio, velle generationem Filij, eſt actus eſſentialis Dei, Ergò eſt prior generatione, quæ eſt notionalis, Antecedens patet: Nàm eſt communis omnibus perſonis, & nulli earum opponitur relatiuè. Conſequentia verò probatur: quia Quæſt.33. Art. 1. Oſtendimus, eſsentialia eſse priora notionalibus.

Con-

Confirmatur, Pater communicat Filio hanc volitionem, Ergò illa est essentialis, & ratione, prior generatione, Antecedens patet: quia Filius habet illam, & quicquid habet, habet per generationem, Ergò Consequentia verò probatur: quia nihil, habet Pater, quod communicet Filio, nisi sit essentiale, & priùs generatione, aliàs ab ipsa generatione Filij, haberet actum essentialem, quod non est minus absurdum, quàm habere sapientiam ab eo, quod esse impossibile, docet Aug. 15. de Trinitate Cap. 20.

Vltimò Beatitudo Dei perfecta, est ratione prior generatione Filij, sed in tali beatitudine includitur amor, & complacentia ipsius generationis, Ergò talis complacentia, est ratione prior ipsa generatione, Mai. supponitur: quia est perfectio essẽtialis, imò ipsa essentialis cognitio Dei, cum amore, & delectatione essentiali, Essentialia autèm sunt priora personis. Min. verò probatur: quia ille amor, & delectatio inclusa in perfectione talis beatitudinis, est de toto obiecto beatifico, quoad sibi intrinseca, inter quæ computatur ipsa generatio.

Confirmatur, Pater priùs ratione, quàm intelligatur generare Filium, intelligitur cognoscere generationem, vt summè bonam, Ergò ex vi talis cognitionis, intelligitur necessitari, ad eius amorem, ante, quàm illa intelligatur existere.

Dices, Ista volitio essentialis, est simul duratione cum generatione, & non requiritur ad illam, Ergò non est prior illa, Consequentia patet; quia in his, quæ sunt duratione simul, nihil est prius altero, nisi quod requiritur ad eius existentiam; Min. verò probatur: quia generatio est naturalis, & necessaria, & ideò esset etiam, si non esset talis volitio.

Secundò, Licèt velle generationem Filij: quia actus communis omnibus personis, sit essentialis, & prior generatione, saltem volitio, qua Pater vul se generare, non erit prior: quia non est communis, sed propria Patri: Nàm Spiritus Sanctus v. g. non vult se generare Filium, Ergò.

Sed ad primum negatur Min. ad illam enim generationem requiritur, vt generans sit infinitè perfectus, & nõ esset talis, si careret tali volitione, quæ est perfectio essẽtialis infinita, & ideò talis volitio requiritur ad ipsam generationem, vt concurrens ad infinitam perfectionem requisitàm in generante.

Ad secũdum verò, Resp. Volitionem, qua Pater vult se generare nõ esse pure essentialem: quia includit Paternitatem, sicut cognitio, qua Pater intelligit, se generare, nihilominùs tamèn est prior generatio-

ne:

ne: quia requiritur ad omnimodam perfectionem illius, perfectius enim ellicitur generatio, si Pater prius ratione, quàm generet sciat, & vellit se generare: quia esset imperfectio in illo, se nō cognoscere, neq; approbare suam necessariam operationem, quæ intelligitur futura in illo, Ergò.

Dixi in Conclusione, volitione essentiali: Nàm volitione notionali Pater posterius ratione, quàm sit generatio Filij. Vult illam.

Pro declaratione notandū est, ex D. Th. suprà Quæst. 37. Art. 2. quod diligere, amare, aut velle, sumitur duplicitèr, scilicèt essentialitèr, & notionalitèr, & Pater vtroq; amore diligit se, & omnia sua, essentiali per volitionem essētialem, notionali verò Spiritu Sanctus diligit omnia, De quo ibi ad 3. vbi explicata est differētia vtriusquè amoris, quo supposito, patet, quod dicimus: Nàm amor notionalis, est ratione posterior generatione, & non prior, aut simul cum illa, Ergò tali amore, solùm posterius ratione amat Pater generationem Filij. Secus est de spiratione: Nàm illam amat Deus amore notionali, eam concomitāte, Pro cuius declaratione nota, quod spiratio prius ratione, quā sit est volita volitione essētiali, sicut diximus de generatione, ꝙ probatur eisdē rationibus, quibus suprà cōclusio probata est, loquendo autē de vollitione notionali, est duplex differentia inter spirationem, & generationem.

Prima, quod generatio est prior vollitione notionali, non autèm spiratio, sed est ipsa vollitio notionalis, & ideo generatio non potest esse simul, & concomitanter uollita, per talem vollitionem notionalem; spiratio uerò potest etiàm vollita simul per illam: quia est ipsa uollitio notionalis, quæ sunt uolita omnia, quæ sunt in Deo.

Secunda est, quod generatio est uollita extrinsecè, scilicèt uollitione ratione distincta ab eo. Spiratio uerò, est uolita intrinsecè se ipsa: quia ipsa est uollitio Dei, qua sunt uollita omnia, quæ sunt in Deo, & hoc est commune omni actui uoluntatis, ut sit uollitus se ipso, de quo D. Tho. & Caiet. 1. secundæ Quæst. 16. Art. 4. circa solutionem ad 3. & 2. secundæ Quæst. 25. Art. 2.

Ad primum Ergò. Respondetur, Concilia, & Sanctos Patres solùm loqui de uoluntate, ut est libera, & negare illam præcedere generationem Filii, ut principiū elliciens talē actum, uel ut applicās potentiam generatiuam àd talem actum.

Ad primum locum D. Tho. respondet Caiet. hic eodem modo, scilicèt D. Tho. solùm uelle, quod uoluntas (ut libera) non præcedat generationem Filij, ut principium eius, & hunc esse sensum D. Tho. patet:

tet: quia ibi negat uoluntatem Dei, præcedere generationem Filij, ſicut præcedit actus terminatos ad creaturas. Hoc autèm præcedit, ut principium, & illo modo negat, præcedere generationem filii.

Ad Confirmationem, Reſpondeo D.Tho. per uoluntatem concomitantem, ſolùm intelligere eam, quæ reperitur in Deo, reſpectu generationis, & non eſt principium eius, ſiuè illa præcedat ratione, ſiuè tantùm concomitetur, Exemplum huius reperitur in ignorantia concomitante. Nàm D.Tho. 1.2. Quæſt. 77. Art. 3. ait illam ignorantiam dici concomitantem, quæ non eſt cauſa peccati, & talis erit ſiuè duratione præcedat, ſiuè ſit ſimul cum peccato, dum tamèn non ſit cauſa illius, eodem modo hic, iſta uoluntas uocatur concomitans: quia non eſt principium generationis, non tamèn: quia ratione, nòn eſt prior illa, ità D.Tho. in 1. diſt. 6. Quæſt. 1. Art. 2.

Ad ſecundum, Nego Conſequentiam. Ad probationem Reſpõdeo, quod complacentia: quia fertur in obiectum, ut eſt à parte rei, & à parte rei generatio Filii, ſemper eſt actualitèr præſens, licèt aliquo modo ſit ratione poſterior, hoc ſufficit, ut ille actus ſimplicitèr dicatur complacentia, & ferri in obiectum ſimpliciter præſens.

Declaratur hoc, Prius ratione habet Deus uoluntatem: quàm miſericordiam, uel iuſtitiam, & priùs tempore uoluit Incarnationem filij, quàm illa fuerit à parte rei. Cæterum tales volitiones, non habuerunt rationem deſiderii, quòd dicit imperfectionem, nec terminabantur ad obiectum abſolutè futurum, reſpectu volitionis, ſed ad obiectùm ſimplicitèr præſens, & coexiſtens illi; quia miſericordia non fuit duratione poſterior volitione Dei, & incarnatio Dei, licèt in ordine ad propriam menſuram fuerit duratione poſterior ipſa vollitione Dei, tamèn coexiſtebat, & erat præſens illi in propria menſura vollitionis Dei, ſcilicèt æternitate, & hoc ſufficit, vt talis uolitio non habuerit rationem deſiderii, ſed gaudii, & complacentiæ, Idem, Ergò dicendum eſt habet.

Secundo Reſpondeo, illam vollitionem Dei, formalitèr eſſe complacentiam, uirtualitèr tamèn, & eminentèr cum fundamento in re habere rationem deſiderii: quia licèt repugnat Deo, actus qui formalitèr tantùm habet rationem deſiderii, non tamèn repugnat illi actus, qui virtualitèr, & eminentèr habet rationem deſiderii, qualis eſt iſte actus: Nàm complacentia, & deſiderium diſtinguuntur: quia complacentia fertur in obiectum, ut præſens deſiderium uerò in obiectùm, ut futurum, generatio autèm Verbi, licèt ſemper fuerit actu præſens Deo, ut potè, quæ menſuratur æternitate, tamèn: quia æterni-

tas uirtualitèr includit præteritum,& futurum: quia coexistit illis, ideò ipsa etiàm generatio Verbi, potest virtualitèr, & cum fundamẽto in re habere rationem futuræ, non simplicitèr, & secundum rem, sed secundum intellectum, ut intelligitur posterior actibus essentialibus, & ideo uolitio Dei, quæ fertur in illam, ut est ratione, & uirtualitèr posterior, potest respectu illius sic considerata, habere rationem uirtualis desiderii, licèt simplicitèr, & formalitèr solùm, sit complacentia: quia formalitèr fertur in obiectum actualitèr præsens.

Ad primam Confirmationem, distinguo Antecedens, eodem modo non habet rationem desiderij virtualitèr, & secundum quid. Negò Antecedens: quia generatio Verbi virtualitèr, & secundum quid, est posterior, idest secundum rationem non habet rationem desiderii simplicitèr, & formalitèr. Concedo Antecedens: quia fertur in obiectum, quòd simplicitèr, & formalitèr est præsens, & eodem modo debet distingui Consequens, Nõ respicit illam, vt simplicitèr posteriorẽ & futuram. Concedo Consequentiam, hoc enim requiritur ad rationem formalem desiderii, Nõ respicit illam, vt posteriorem, secundum rationem. Nego Consequentiam, & hoc non sufficit ad rationem formalis desiderii, quòd dicit imperfectionem.

Ad secundam Confirmationem, distinguo Antecedẽs; Eodem modo non consideratur, vt possibilis, vel futura secundum rem. Concedo Antecedens, secundum rationem, quatenus secundum intentum, est posterior, licèt secundum rem, sit summè actualis, Nego Antecedens, & hoc sufficit, vt aliquis actus essentialis voluntatis Dei sit ratione prior illa.

Ad tertiam Confirmationem, Nego Consequentiam: quia volitio quæ est principium rei, est quæ vocatur efficax, vel inefficax respectu illius. Nàm esse efficacem, vel inefficacem, dicitur de proprio productiuo, Volitio verò, quæ non est principium rei, sed tantùm concomitans eius productionem, non potest dici efficax, vel inefficax sicut misericordia Dei, neq; est efficax, neq; inefficax respectu generationis filii: quia non est principium eius.

Ad tertium principale, Respondeo, quòd proportionabilitèr loquẽdo, sicut actus essentialis voluntatis non præcedit actus essentialiter intentos, ità nec actus notionalis voluntatis præcedit notionalem intellectum, & ideò notionalis volitio generationis, est posterior ipsa generatione, vt dictum est, cæterum volitio essentialis (qualis est prædicta) potest esse prior intellectione notionali, & generatione nõ secũdum rationem intellectionis essentialis, sed quatenus est productio Verbi, & notionalis.

Ad

Ad primam Confirmationem, Reſpondeo eodem modo, quòd ſapientia eſſentialis, eſt prior volitione, volitio vera eſſentialis, eſt prior ſapientia genita, ideſt filio, & generatione illius; Sancti autèm Patres prædicta ratione vtentes, ea ſolùm intendebant vollitionem liberam Dei, non eſſe priorem ſapientia genita: quia ea, quæ dicunt actum liberum Dei, ſupponunt omnem actum eſſentialem, & notionalem Dei qui ſunt neceſſarij.

Ad ſecundam, Confirmationem, Nego Conſequentiam: quia ad actualem generationem, quæ neceſſario reperitur in Deo, debent ſupponi in eo omnes actus eſſentiales, & vnus eorum eſt iſta volitio.

Ad quartum Nego Conſequentiam: quia licèt eſſentialia, quæ dicunt expræſſam habitudinem ad notionalia, vt actualitèr conuenientia Deo, non ſint illis priora, ſunt tamèn eis priora, quæ dicũt expræſſam habitudinem ad notionalia, vt ad obiectum futurum vel poſſibile, v. g. eſſentiam eſſe actu communicatam tribus perſonis, non eſt prius ipſis, & videre res in Verbo, quòd eſt commune omnibus perſonis, non eſt prius Verbo, cognoſcere verò perſonas, vel velle earum proceſſiones eſt, prius Verbo, cognoſcere verò perſonas, vel velle earum proceſſiones eſt prius illis: quia non importat habitudinem ad eas vt actu exiſtentes, ſed vt ſunt obiectum poſſibile, vel futurum poſterius ratione, & inter hæc compatatur velle generationem Filij.

Ad vltimum, Reſpondeo duplicitèr. Primo diſtinguo Antecedens ſupponit obiectum exiſtens, in eadem reali menſura durationis. Cõcedo Antecedens, exiſtens in aliquo priori rationis, Nego Antecedens & quia generatio Dei, ſimplicitèr exiſtit in eadem menſura, in qua eſt complacentia de illa, ideò id ſufficit ad complacentiam concomitantem de illa. Secundo diſtinguo Antecedens, complacentia, quæ tantum habet rationem complacentiæ, tranſeat Antecedens, quæ eminenter habet etiàm rationem deſiderii, vel ſimplicis affectus. Nego Antecedens. Nàm talis actus poteſt terminari ad obiectum, realitèr præſens, quòd ſecundum rationem eſt prius, vel concomitans, & talis eſt complacentia de generatione filii, vt dictum eſt.

Ad primam Confirmationem. Nego Antecedens. Ad probationem diſtinguo Mi. eſt ipſa naturalis volitio notionalis, tranſeat Mi. Nàm Concluſione vltima, diximus, illam eſſe poſteriorem generatione, eſt ipſa naturalis volitio Dei eſſentialis. Nego Min. & hanc diximus, eſſe priorem generatione.

Ad ſecundam Confirmationem, diſtinguo Antecedens eodem modo Spiritu Sancto, diligit dilectione eſſentiali, quæ antecedat generationem,

rationem, Nego Antecedens, Dilectione notionali, quæ sit posterior illa. Concedo Antecedens, Nos autèm solùm diximús, dilectionem essentialem, esse ratione priorem generatione.

DVBITATVR II.

Circa solutionem ad tertium.

An Spiritus Sanctus, procedat libere à voluntate Dei, an verò naturalitèr.



IDETVR, quòd liberè. Primò: quia Aug. in Enquiridio, Cap. 105. & Anselm. lib. de libero arbitrio Cap. 7. docent, volũtatem in omnibus suis actibus esse liberã, etiàm in his, quæ necessariò uolunt, Ergò licèt Spiritus Sanctus, procedat necessariò à voluntate Dei, procedit liberè, & non naturalitèr.

Secundò, quia D. Tho. de Potentia Quæst. 10. Art. 2. ad 5. ait Spiritũ Sanctum libere procedere à Patre. Ergò.

Tertiò, Spiritus Sanctus procedit à uoluntate Dei, modo perfectissimo. Ergò, liberè, Perfectius .n. agens, vel producens, est liberum quàm naturale.

Quartò, Operari liberè, & operari necessariò, sunt perfectiones absolutæ Dei, & per, Consequens non oppositæ. Ergò reperiuntur simul in productione Spiritus Sancti, ità quòd procedat simul liberè, & necessariò, Probo Consequentiam: Nàm aliàs illa productio non haberet omnem perfectionem essentialem diuinæ operationis.

Quintò; Natura non potest libere operari, Ergò nec voluntas naturaliter. Probo Consequentiam, ideò natura nequit operari liberè: quia eidem non possunt conuenire duo modi oppositi operandi, qualis sũt operari naturalitèr, & liberè. Ergò eadem ratione iidem modi operandi, nequeunt competere voluntati.

Sed contra est Authoritas D. Tho.

In

Sed contra est authoritas D. Tho. In hoc dub. sunt tres sententiæ, Prima est Deum, naturalitèr omninò amare se, vt summum bonum, Spiritum Sanctum verò, non procedere naturalitèr, nisi naturalitate concomitante, ità Enr. in summa Art. 60. Quæst. 1. & refertur à Scoto in 1. d. 10. Quæst. 1. Explicat autèm Enr. suam sententiam dicens, actum quo Deus se amat, esse simul productum Spiritū Sanctum, & licèt voluntas eliciat illum omninò naturalitèr, vt est amor Dei, tamèn illum, vt est productio Spiritus Sancti elicit libere, & non naturalitèr, sed tantùm voluntas, vt est natura concomitantèr se habet ad illum: quia vt natura, ellicit amorem Dei, qui simul est productio Spiritus Sancti.

Secunda est voluntatem Dei liberè, sed necessariò producere Spiritū Sanctum, & non naturalitèr: quia vt talis productio sit libera, satis est, quod ex perfecta cognitione, & intrinseca determinatione voluntatis mouētatis, se ad obiectū cognitum, ita Scotus, vbi supra, & Quodlibeto 19. Art. 2.

Tertia est productioné Spiritus Sancti, esse à voluntate Dei concomitante non liberè, sed necessariò, & naturalitèr, ita D. Tho. hic. Bonauēt. Albertus, & Aegidius, in 1. d. 6. & ibi Capreol. & d. 10. Quæst. 1. & ibi Greg.

Sed pro explicatione. *Dico primò, Productio Spiritus Sancti*, est naturalis, & necessaria, sicut amor, quo Deus amat se, vt summum bonum; Probatur: quia aliàs posset non esse, & per Consequens Spiritus Sanctus, non esset ens necessarium, quod est contra fidem.

Secundò; Productio Spiritus Sancti, est summum bonum, nihil mali habens: Nàm est ipse Deus, Ergo est volita naturalitèr. Probo Cōsequentiam: quia hac ratione Deus naturalitèr amat se, vt summum bonum.

Tertiò: quia aliàs Spiritus Sanctus, procederet sicut vna ex creaturis, Consequens est contra fidem, sicut est contra fidem. Id asserere dè Filio, vt diximus dub. præcedenti, Ergo, Sequella patet: quia creaturæ, sic procedunt à Deo, vt possint esse, & non esse, Ergò, si productio Spiritus Sancti potest esse, & non esse, est à voluntate Dei, sicut creaturæ.

Confirmatur: quia aliàs illa non esset magis volita naturalitèr, quā productio creaturarū, vtraq; enim est volita actu, qui naturalitèr terminatur ad Deum, vt est [illegible] bonum, licèt liberè terminetur ad productionem creat[illegible] Spiritus Sancti.

Dico secundo, Pro[illegible]tus Sancti, licèt sit libera à con-

ne, & sit spontanea, non tamèn potest absolutè vocari libera. Prima pars Conclusionis est D.Tho. de Potentia, vbi suprà, vbi solùm intendit Spiritum Sanctũ, licèt producatur necessariò, & naturalitèr, non tamèn produci violenter, vel coactè: quia operari violenter, vel coactè, est operari per applicationem ab extrinsecò, contra naturalem operantis inclinationem, & Spiritus Sanctus procedit secundum naturalem inclinatiònem, qua voluntas Dei amat ipsum.

Secunda verò par Conclusionis probatur: Nàm voluntas tunc est libera in sua operatione, quãdo positis omnibus requisitis ad volẽdũ aliquod obiectum, potest velle, & non velle illud, sed isto modo non se habet respectu productionis Spiritus Sancti, Ergò Mai. est Aug. 3. de libero arbitrio Cap. 3. Hieronymi Epistola 146. & Damas. 2. de fide Cap. 24. & 25. Min. verò patet: quia aliàs Spiritus Sanctus posset non esse, & ità, non esset Deus, cùm non esset ens omninò necessarium.

Secundò; Operationes Brutorum, & actus nostri necessarij, & primò, primi sunt cum cognitione, & intrinseca determinatione appetitus, & tamèn, non sunt liberi: quia non proponuntur à cognitione, vt indifferentes, sed vt determinati boni, Ergò quòd productio Spiritus Sancti, sit cum perfecta cognitione, & intrinseca determinatione voluntatis, non arguit, illam esse liberam, sed potest esse naturalis, Mai. patet Prima secundæ, Quæst. 6. Min. etiam manifesta est: Nàm nec actus Brutorum, nec motus nostri primò primi, sunt liberi, aliàs possent esse meritorij, vel demeritorij.

Tertiò, Productio Spiritus Sancti est necessaria, vt fatetur Scotus, Ergò non libera, repugnat enim eundem actum sub eadem ratione, esse simul necessarium, & liberum: Nàm liberè est, qui subest nostræ potestati, & potest esse, & non esse, necessarius verò, qui non potest non esse, & non subijcitur nostræ potestati, hæc autèm cum sint contradictoria, non possunt eidem, sub eadem ratione conuenire.

Vltimò, Ista productio non est libera libertate contrarietatis: quia est obiectum omnimodi boni, cuius contrarium non potest appeti, nec libertate contradictionis: quia aliàs posset non esse, & non esset necessaria, Ergò nullo modo est libera, non enim dantur alij modi libertatis, quomodo autèm voluntas libera possit aliquid naturalitèr velle explicat Caiet. hic, & infrà Quæst. 82. Art. 1. & Prima secundæ Quæst. 10. Art. 1.

Ad primum Ergò Resp. Aug. ibi concedere, aliquem actum voluntatis (illum v.g. quo vollumus esse Beati, non esse liberum, secundum

contsa-

contrarietatem, & ità admittit aliquem actum voluntatis esse naturalem, in Verbis autèm citatis solùm intendit voluntatem necessariò debere esse liberam à coactione, & respectu alicuius obiecti: Nàm de ratione voluntatis est, quod non possit cogi in suis actibus ellicitis, & quod feratur in bonum in communi, sub quo continẽtur multa bona, particularia, respectu quorum voluntas est libera, non tamèn intendit voluntatem esse liberam in omni actu, & respectu cuiuslibet obiecti, & ità non oportet productionem Spiritus Sancti esse isto modo liberam, eodem modo explicatur Anselmus.

Ad secundum patet ex secunda Conclusione.

Ad tertium nego Consequentiam, ad probationem distinguo Antecedens, agens liberum respectu boni limitati, Concedo Antecedens, respectu boni infiniti. Nego Antecedens, voluntas enim perfectius operabitur, quãdò in Patria naturaliter ferretur in Deũ, quàm modo cum liberè vult bona creata.

Ad quartum, distinguo Antecedens, non sunt oppositæ respectu eiusdem obiecti, vt sic, Nego Antecedens, respectu diuersorum, Concedo Antecedens, & ità conueniunt eidem actui Dei respectu diuersorum obiectorum, sicut amor, & odium sunt perfectiones absolutè, quę cõueniunt eidem actui Dei respectu diuersorum, amor respectu boni, odium respectu mali.

Ad vltimum, distinguo Antecedens, natura, vt res, nego Antecedẽs natura, vt causa, Concedo Antecedens, & eodem modo voluntas, vt res potest velle naturaliter, non verò voluntas, vt causa, explicatur hoc ex Caiet. prima secundæ, vbi supra, natura, & voluntas non sunt res distinctæ: Nàm res, quæ est voluntas, est quædam natura habens modum operandi determinatum, respectu aliquorum obiectorum. Cæterum, ista res, quæ est voluntas, vt est voluntas, est causa indifferens, vt verò est natura, est causa determinata, & licèt eidem respectu eiusdem obiecti, vt sic, non possint simul conuenire isti diuersi modi operandi indifferentèr, & determinate, possunt tamèn conuenire eidem, respectu diuersorum, & ideò natura, quæ est voluntas, potest liberè operari respectu aliquorum obiectorum.

ARTICVLVS III.

An actus notionales ſint de aliquo.

Concluſio.

Filius eſt de ſubſtantia Patris.

DVBITATVR.

An doctrina huius Art. ſit ſufficiens, & vera.



VIDETVR quod non, primò: quia titulus eſt cõmunis de omni actu notionali. Concluſio autèm eſt particularis de ſolo Filio.

Confirmatur, Concluſio non reſpondet ad titulũ Artic. Nàm titulus Artic. eſt, vtrum actus notionales ſint de aliquo, Concluſio verò reſpondet de termino actus notionalis, ſed certũ eſt hæc diſtingui: Nàm actus notionalis V.g. generatio actiua, eſt in Patre, & Filius diſtinguitur realitèr ab illo. Ergo.

Secundò: Nàm in ſolutione ad primum, ait D.Tho. quod cum dicitur Filius Natus de Patre, illa præpoſitio, de, non ſignificat principiũ materiale. Hoc autèm eſt falſum: Nàm idem D. Th. in 1.d.5. Quæſt. 2. Art.1. in corpore ait, quod cum dicitur Filius Natus de Subſtantia Patris, ſignificatur quod ſit de illa, ſicut de principio ſecundum materiam ſecluſis imperfectionibus: quia vna conditio materiæ eſt, quod remaneat in re, & eſſentia diuina, de qua eſt Filius, remanet in ipſo Filio. Ergo.

Confirmatur: Nàm eſſentia diuina vt coniuncta paternitati habet rationem principij productiui ueluti actiui, Ergò illi debet correſpõdere principium, veluti paſſiuum, quod non poteſt eſſe aliud, niſi ipſamet eſſentia in ſe, Antecedens patebit Articulis 4. & 5. & Conſequẽtia probatur: quia omni potentiæ actiuæ debet correſpondere paſſiua aut quaſi paſſiua, ſecluſis imperfectionibus, vt habetur in 9.meth.tex. 2.& 10. Ergo.

Tertiò probatur, idem Filius constituitur ex essentia, & relatione, vt diximus Quæst.40. Art.1. Ergò essentia in illa compositione se habet vt materia, patet Cõsequentia: quia in omni re constituta ex pluribus oportet, vt vnum se habeat, vt materia, & perfectibile, atq; determinabile, & alterum se habeat, quasi forma. Relatio autèm in Filio non se potest habere, quasi materia: quia determinat essentiam, quæ, veluti substat illi, & recipit illam, quod est proprium materiæ, Ergò.

Quartò, D. Tho. habet in solutione ad 2. quod Filius dicitur esse de essentia Patris, sicut de principio formali, & consubstantiali. Cõtra hoc sic Argumentor: Nàm idem D. Tho. suprà Quæst.39. Art. 2. ad 5. & in 1. sententiarum d.34. Quæst.1. Art.2. ad 3. ait hanc præpositionem, non significare habitudinem causæ formalis, sed materialis, vel efficientis, & ideò non dicimus tres personas diuinas esse ex vna vel de vna essentia, Ergò sibi contrarius est, dum hic docet, quod Filius sit de substantia Patris, tamquàm de principio formali.

Confirmatur primò, Christus dicitur, secundum humanitatẽ Natus de Spiritu Sancto, vt patet ex Symb. & Mathæi primò, quod in ea Natum est de Spiritu Sãcto est, & tamèn Spiritus Sanctus, nõ est principium formale, & consubstantiale speciei secundum humanitatem, sed tantùm principium efficiens, Ergò illa particula de, quãdo dicitur Filius est de substantia Patris, potest designare principium quasi actiuum, & non necessariò designat principium consubstantiale.

Confirmatur secundò, licèt essentia sit principium quasi formale Patris, non potest dici, Pater est de substantia Filii, vt illa præpositio, De, designet principium quasi formale, & cõsubstantiale, Ergò licèt essentia sit principium formale, & consubstantiale Filij, non potest dici, quod Filius sit de substantia Patris, ità vt illa præpositio, De, designet principium formale consubstantiale.

Quintò D. Tho. in solutione ad 3. habet, quod cum dicitur tres personæ sunt de essentia diuina, non ponitur aliquid, respectu cuius possit importari distinctio designata per illam præpositionem, De, & ideò est falsa.

Sed contra hoc Arguitur: Nã in solutione ad 2. asserit idem D. Th. hanc præpositionem, esse veram. Angelus est de natura intellectuali, licèt natura Angelica non sit distincta ab ipso Angelo subsistenti, Ergò non oportet propositionem de, designare distinctionem inter id, quod est de aliquo, & illud de quo est, vel Angelus nõ poterit dici esse de natura intellectuali.

Sed contra est authoritas D.Tho. In hoc dub.sunt tres modi dicendi Theologorũ. Primus Magistri in d.5.docẽtis,quod quãdò dicimus Filius est de substantia Patris, designatur habitudo principij quasi effectiui, & significatur, quod Filius est de substantia Patris, idest, de Patre,qui est substantia.

Secundus est,præpositionem, De, designare principium veluti materiale, seclusis imperfectionibus,ità Dur. in 1.d.9. Quæst. 2.& Enr. in summa Art. 5. Quæst. 3. & videtur in eam sententiam concordare D.Tho. vbi citatur in Arg.2.

Tertius est, illam particulam,De, relatam ad essentiam designare principium formale consubstantiale. Relatam verò ad generationẽ Patris, designare simul principium originis, ità Bonau. in 1.d.5. Art. 1. Quæst.2. Scotus Quæst.2. Gab. Quæst. 2. Art.2. Marsil. Quæst. 9. Art.2. ad 8. Vazq. hic, disp. 142. Conclusione secunda, addit idem Vazq. quod illa partieula,De, non importat distinctionem eius,quod est de aliquo, ab eo de quo aliquid est, & ideò, sicut Angelus dicitur esse de natura intellectuali, ità Pater potest dici de natura diuina, & tres personas esse de natura diuina. Sed omissis Theologis, inter Hereticos, Caluinus, vt refert Prateolus, Verbo Trinitarij, docuit Filium, non esse Deum de Deo, neq; de substantia Patris,id similitèr negarunt Arrius. Eunomius, & Cateri,qui dixere Filium,& Spiritum Sanctum, esse Creaturas. De quo suprà Quæst.27. Art.1.dub. 1. & Art.2.dub.2.& Quæst.36. Art.1.

Sed pro explicatione. Dico primò,actus notionales ratione sui termini sunt de substantia Dei. Pro huius declaratione, supponendum est, ex D.Tho. Art. Sequenti ad 3.& Caiet. ibi,quod licèt actus notionales postulent Potentiam,quæ sit,principium illorum,illa non debet esse principium eorum,secundum se,sed ratione termini per illos producti, proportionalitèr Ergò Philosophandum est hic,quod D. Tho. non intendat actus notionales secundum se, esse de aliquo, si esse de aliquo, vt insinuatur in solutione ad 3. requirit distinctionem,inter id quod est de aliquo, & id,de quo est illud:Nàm ipsi actus secundum se, non distinguntur à principio, à quo sunt,diximus enim suprà generationem non distingui à Patre, nec spirationem à Patre,& Filio, sed intendit, quod actus notionalis ratione sui termini, scilicèt personarum productarũ, sint de aliquo,idest, quod Filius, & Spiritus Sanctus,sunt de substantia Dei, vel Patris, loquitur autèm specialitèr de Filio,quia cum omnia, quæ conueniunt Filio conueniant etiam Spiritui Sancto, prætèr id,quod est esse spiratorem, vel Genitum, vel spiratum, si esse

de

de ſubſtantia Patris, conuenit Filio, etiam id conueniet Spiritui Sancto, quo ſuppoſito, Concluſio ſic intellecta eſt de fide, probatur: Nàm ità definiunt Damaſ. Papa in profeſſione fidei, miſſa ad Paulinum in Macedonia: Canone 11. id deffiniuit de Filio: de Spiritu Sancto, verò Canone 18. idem diffinitur in Concilio Niceno, in ſua fidei Confeſſione, & in Concil. Toletano 3. ſeſs. 4. Canone 11. in Confeſſione fidei, & latius, ſub Innocentio 3. & refertur c. damnamus de ſumma Trinitate. Expræſsè, quæ habetur de Filio in Symb. Atanaſij Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, idem docent, vt dogma fidei. Cyrilus lib. 1. Theſauri Cap. 1. & 5. & lib. 3. Cap. 3. & lib. 3. Cap. 1. Aug. 15. de Trinitate Cap. 19. & 20. & 3. contra. Maxim. Cap. 14. Fulgẽtius de fide ad Petrum Cap. 2. & probatur ex illo Pſalmi 109. ex Vtero ante luciferum genui te, vbi per Vterum ſignificatur ſubſtantia Patris, vt exponit Aug. ibi.

Secundò probatur ratione Concilij Later. Nàm Filius, & Spiritus Sanctus, ſunt conſubſtantiales Patri habẽtes eamdem numero naturã, & oriuntur, diſtinguunturq; ab illo, Ergò ſunt de ſubſtantia illius; quia hoc modo loquendi, nihil aliud niſi hoc ſignificamus, vt docent Hylar. lib. 8. de Trinitate à principio, & Ioannes Theologus in Concil. Flor. ſeſs. 18.

Confirmatur, Filius, & Spiritus Sanctus, non ſunt de nihilo, aliàs eſſent creaturæ, & ſunt, Ergò ſunt de aliquo, ſcilicèt habẽt aliquàm formam, & non diſtinctam à natura Patris, qui eſt principium eorum, Ergò ſunt de ſubſtantia Patris. Ratio eſt Auguſt. 3. contra Maxim. Cap. 14.

Dico ſecundo, Perſonæ diuinæ non ſunt de ſubſtantia patris, tamquàm de materia, vel habente modum proprium materiæ. Probatur: Nàm modus proprius materiæ, vt diſtinguitur à forma eſt habere rationem potentię diſtinctæ à forma, vel tota compoſito, non enim datur propria materia, quæ ſit ipſum ſubſiſtens, ſicut datur in ſimplicibus verus actus, & vera forma totalis, quæ ſit ipſum ſubſiſtẽs, vt deitas eſt ipſe Deus; & quia de ſe eſt potentia proprium eius eſt non habere exiſtentiam à ſe, ſed à forma conſtat autèm, quòd eſſentia Dei, non diſtinguitur à perſona, nec accipit exiſtentiam ab illa, vt dictum eſt Quæſt. 28. Art. 2. dub. 3. & Quæſt. 29. Art. 3. dub. 2. Ergò perſonæ diuinæ non ſunt de ſubſtantia patris, tanquàm de materia, vel habente modum materiæ.

Secundò probatur: quia conſubſtantialitas perſonarum, eſt maximè formalis, cùm ſit ratione integræ, & perfectiſſimæ naturæ, quæ eſt

tas uirtualitèr includit præteritum,& futurum: quia coexiſtit illis, ideò ipſa etiam generatio Verbi,poteſt virtualitèr, & cum fundamẽto in re habere rationem futuræ,non ſimplicitèr, & ſecundum rem, ſed ſecundum intellectum, ut intelligitur poſterior actibus eſſentialibus,& ideo uolitio Dei, quæ fertur in illam,ut eſt ratione, & uirtualitèr poſterior,poteſt reſpectu illius ſic conſiderata, habere rationem uirtualis deſiderii, licèt ſimplicitèr, & formalitèr ſolùm,ſit complacentia: quia formalitèr fertur in obiectum actualitèr præſens.

Ad primam Confirmationem, diſtinguo Antecedens, eodem modo non habet rationem deſiderij virtualitèr,& ſecundum quid. Nego Antecedens: quia generatio Verbi virtualitèr, & ſecundum quid,eſt poſterior, ideſt ſecundum rationem non habet rationem deſiderii ſimplicitèr,& formalitèr.Concedo Antecedens: quia fertur in obiectum,quòd ſimplicitèr,& formalitèr eſt præſens, & eodem modo debet diſtingui Conſequens, Nõ reſpicit illam,vt ſimplicitèr poſteriorẽ & futuram.Concedo Conſequentiam, hoc enim requiritur ad rationem formalem deſiderii,Nõ reſpicit illam,vt poſteriorem, ſecundum rationem. Nego Conſequentiam,& hoc non ſufficit ad rationem formalis deſiderii,quòd dicit imperfectionem.

Ad ſecundam Confirmationem, diſtinguo Antecedẽs; Eodem modo non conſideratur,vt poſſibilis,vel futura ſecundum rem. Concedo Antecedens, ſecundum rationem,quatenus ſecundum intentum, eſt poſterior,licèt ſecundum rem, ſit ſummè actualis, Nego Antecedens, & hoc ſufficit,vt aliquis actus eſſentialis voluntatis Dei ſit ratione prior illa.

Ad tertiam Confirmationem,Nego Conſequentiam: quia volitio quæ eſt principium rei,eſt quæ vocatur efficax, vel inefficax reſpectu illius. Nàm eſſe efficacem,vel inefficacem, dicitur de proprio productiuo, Volitio verò,quæ non eſt principium rei,ſed tantùm concomitans eius productionem,non poteſt dici efficax, vel inefficax ſicut miſericordia Dei,neq; eſt efficax,neq; inefficax reſpectu generationis filii: quia non eſt principium eius.

Ad tertium principale, Reſpondeo,quòd proportionabilitèr loquẽdo, ſicut actus eſſentialis voluntatis non præcedit actus eſſentialiter intentos,ità nec actus notionalis voluntatis præcedit notionalem intellectum, & ideò notionalis volitio generationis, eſt poſterior ipſa generatione,vt dictum eſt,cæterum volitio eſſentialis(qualis eſt prædicta)poteſt eſſe prior intellectione notionali,& generatione nõ ſecũdum rationem intellectionis eſſentialis, ſed quatenus eſt productio Verbi,& notionalis.

Ad

Ad primam Confirmationem, Respondeo eodem modo, quòd sapientia essentialis, est prior volitione, volitio vera essentialis, est prior sapientia genita, id est filio, & generatione illius; Sancti autèm Patres prædicta ratione vtentes, ea solùm intendebant vollitionem liberam Dei, non esse priorem sapientia genita: quia ea, quæ dicunt actum liberum Dei, supponunt omnem actum essentialem, & notionalem Dei qui sunt necessarij.

Ad secundam, Confirmationem, Nego Consequentiam: quia ad actualem generationem, quæ necessario reperitur in Deo, debent supponi in eo omnes actus essentiales, & vnus eorum est ista volitio.

Ad quartum Nego Consequentiam: quia licèt essentialia, quæ dicunt expræssam habitudinem ad notionalia, vt actualitèr conuenientia Deo, nòn sint illis priora, sunt tamèn eis priora, quæ dicũt expræssam habitudinem ad notionalia, vt ad obiectum futurum vel possibile, v. g. essentiam esse actu communicatam tribus personis, non est prius ipsis, & videre res in Verbo, quòd est commune omnibus personis, non est prius Verbo, cognoscere verò personas, vel velle earum processiones est, prius Verbo, cognoscere verò personas, vel velle earum processiones est prius illis: quia non importat habitudinem ad eas vt actu existentes, sed vt sunt obiectum possibile, vel futurum posterius ratione, & inter hæc compatatur velle generationem Filij.

Ad vltimum, Respondeo duplicitèr. Primo distinguo Antecedens supponit obiectum existens, in eadem reali mensura durationis. Cõcedo Antecedens, existens in aliquo priori rationis, Nego Antecedens & quia generatio Dei, simplicitèr existit in eadem mensura, in qua est complacentia de illa, ideò id sufficit ad complacentiam concomitantem de illa. Secundo distinguo Antecedens, complacentia, quæ tantum habet rationem complacentiæ, transeat Antecedens, quæ eminenter habet etiàm rationem desiderii, vel simplicis affectus. Nego Antecedens. Nàm talis actus potest terminari ad obiectum, realitèr præsens, quòd secundum rationem est prius, vel concomitans, & talis est complacentia de generatione filii, vt dictum est.

Ad primam Confirmationem. Nego Antecedens. Ad probationem distinguo Mi. est ipsa naturalis volitio notionalis, transeat Mi. Nàm Conclusione vltima, diximus, illam esse posteriorem generatione, est ipsa naturalis volitio Dei essentialis. Nego Min. & hanc diximus, esse priorem generatione.

Ad secundam Confirmationem, distinguo Antecedens eodem modo Spiritu Sancto, diligit dilectione essentiali, quæ antecedat gene-

rationem, Nego Antecedens, Dilectione notionali, quæ sit posterior illa. Concedo Antecedens, Nos autèm solùm diximus, dilectionem essentialem, esse ratione priorem generatione.

DVBITATVR II.

Circa solutionem ad tertium.

An Spiritus Sanctus, procedat libere à voluntate Dei, an verò naturalitèr.



IDETVR, quòd liberè. Primò: quia Aug. in Enquiridio, Cap. 105. & Anselm. lib. de libero arbitrio Cap. 7. docent, volũtatem in omnibus suis actibus esse liberã, etiàm in his, quæ necessariò uolunt, Ergò licèt Spiritus Sanctus, procedat necessariò à voluntate Dei, procedit liberè, & non naturalitèr.

Secundò, quia D. Tho. de Potentia Quæst. 10. Art. 2. ad 5. ait Spiritũ Sanctum libere procedere à Patre. Ergò.

Tertiò, Spiritus Sanctus procedit à uoluntate Dei, modo perfectissimo. Ergò, liberè, Perfectius .n. agens, vel producens, est liberum quàm naturale.

Quartò, Operari liberè, & operari necessariò, sunt perfectiones absolutæ Dei, & per Consequens non oppositæ. Ergò reperiuntur simul in productione Spiritus Sancti, ità quòd procedat simul liberè, & necessario, Probo Consequentiam: Nàm aliàs illa productio non haberet omnem perfectionem essentialem diuinæ operationis.

Quintò; Natura non potest libere operari, Ergò nec voluntas naturaliter. Probo Consequentiam, ideò natura nequit operari liberè: quia eidem non possunt conuenire duo modi oppositi operandi, qualis sũt operari naturalitèr, & liberè. Ergò eadem ratione iidem modi operandi, nequeunt competere voluntati.

Sed contra est Authoritas D. Tho.

In

Sed contra est authoritas D. Tho. In hoc dub. sunt tres sententiæ, Prima est Deum, naturalitèr omninò amare se, vt summum bonum, Spiritum Sanctum verò, non procedere naturalitèr, nisi naturalitate concomitante, itá Enr. in summa Art.60. Quæst. 1. & refertur á Scoto in 1. d. 10. Quæst. 1. Explicat autèm Enr. suam sententiam dicens, actum quo Deus se amat, esse simul productum Spiritū Sanctum, & licèt voluntas eliciat illum omninò naturalitèr, vt est amor Dei, tamèn illum, vt est productio Spiritus Sancti elicit libere, & non naturalitèr, sed tantùm voluntas, vt est natura concomitantèr se habet ad illum: quia vt natura, ellicit amorem Dei, qui simul est productio Spiritus Sancti.

Secunda est voluntatem Dei liberè, sed necessariò producere Spiritū Sanctum, & non naturalitèr: quia vt talis productio sit libera, satis est, quod ex perfecta cognitione, & intrinseca determinatione voluntatis mouētatis, se ad obiectū cognitum, itá Scotus, vbi suprá, & Quodlibeto 19. Art. 2.

Tertia est, productionē Spiritus Sancti, esse á voluntate Dei operāte non liberè, sed necessariò, & naturalitèr, itá D.Tho. hic, Bonauēt. Albertus, & Aegidius, in 1. d. 6. & ibi Capræol. & d. 10. Quæst. 1. & ibi Greg.

Sed pro explicatione. Dico primò, Productio Spiritus Sancti, est naturalis, & necessaria, sicut amor, quo Deus amat se, vt summum bonum; Probatur: quia aliàs posset non esse, & per Consequens Spiritus Sanctus, non esset ens necessarium, quod est contra fidem.

Secundò; Productio Spiritus Sancti, est summum bonum, nihil mali habens: Nàm est ipse Deus, Ergò est volita naturalitèr. Probo Cōsequentiam: quia hac ratione Deus naturalitèr amat se, vt summum bonum.

Tertiò: quia aliàs Spiritus Sanctus, procederet sicut vna ex creaturis, Consequens est contra fidem, sicut est contra fidem. Id asserere dè Filio, vt diximus dub. præcedenti, Ergò, Sequella patet: quia creaturæ, sic procedunt á Deo, vt possint esse, & non esse, Ergò, si productio Spiritus Sancti potest esse, & non esse, est á voluntate Dei, sicut creaturæ.

Confirmatur: quia aliàs illa non esset magis volita naturalitèr, quā productio creaturarū, vtraq; enim est volita actu, qui naturalitèr terminatur ad Deum, vt est summum bonum, licèt liberè terminetur ad productionem creaturarum, vel Spiritus Sancti.

Dico secundò, Productio Spiritus Sancti, licèt sit libera á coactione,

ne, & sit spontanea, non tamèn potest absolutè vocari libera. Prima pars Conclusionis est D. Tho. de Potentia, vbi suprà, vbi solùm intendit Spiritum Sanctũ, licèt producatur necessariò, & naturalitèr, non tamèn produci violenter, vel coactè: quia operari violenter, vel coactè, est operari per applicationem ab extrinsecò, contra naturalem operantis inclinationem, & Spiritus Sanctus procedit secundum naturalem inclinatiònem, qua voluntas Dei amat ipsum.

Secunda verò par Conclusionis probatur: Nàm voluntas tunc est libera in sua operatione, quãdo positis omnibus requisitis ad volẽdũ aliquod obiectum, potest velle, & non velle illud, sed isto modo non se habet respectu productionis Spiritus Sancti, Ergò Mai. est Aug. 3. de libero arbitrio Cap. 3. Hieronymi Epistola 146. & Damas. 2. de fide Cap. 24. & 25. Min. verò patet: quia aliàs Spiritus Sanctus posset non esse, & ità, non esset Deus, cùm non esset ens omninò necessarium.

Secundò; Operationes Brutorum, & actus nostri necessarij, & primò, primi sunt cum cognitione, & intrinseca determinatione appetitus, & tamèn, non sunt liberi: quia non proponuntur à cognitione, vt indifferentes, sed vt determinati boni, Ergò quòd productio Spiritus Sancti, sit cum perfecta cognitione, & intrinseca determinatione voluntatis, non arguit, illam esse liberam, sed potest esse naturalis, Mai. patet Prima secundæ, Quæst. 6. Min. etiam manifesta est: Nàm nec actus Brutorum, nec motus nostri primò primi, sunt liberi, aliàs possent esse meritorij, vel demeritorij.

Tertiò, Productio Spiritus Sancti est necessaria, vt fatetur Scotus, Ergò non libera, repugnat enim eundem actum sub eadem ratione, esse simul necessarium, & liberum: Nàm liberè est, qui subest nostræ potestati, & potest esse, & non esse, necessarius verò, qui non potest non esse, & non subijcitur nostræ potestati, hæc autèm cum sint contradictoria, non possunt eidem, sub eadem ratione conuenire.

Vltimò, Ista productio non est libera libertate contrarietatis: quia est obiectum omnimodi boni, cuius contrarium non potest appeti, nec libertate contradictionis: quia aliàs posset non esse, & non esset necessaria, Ergò nullo modo est libera, non enim dantur alij modi libertatis, quomodo autèm voluntas libera possit aliquid naturalitèr velle explicat Caiet. hic, & infrà Quæst. 8. 2. Art. 1. & Prima secundæ Quæst. 10. Art. 1.

Ad primum Ergò Resp. Aug. ibi concedere, aliquem actum voluntatis (illum v.g. quo vollumus esse Beati, non esse liberum, secundum

contsa-

contrarietatem, & ità admittit aliquem actum voluntatis esse naturalem, in Verbis autèm citatis solùm intendit voluntatem necessariò debere esse liberam à coactione, & respectu alicuius obiecti: Nàm de ratione voluntatis est, quod non possit cogi in suis actibus ellicitis, & quod feratur in bonum in communi, sub quo continētur multa bona particularia, respectu quorum voluntas est libera, non tamèn intendit voluntatem esse liberam in omni actu, & respectu cuiuslibet obiecti, & ità non oportet productionem Spiritus Sancti esse isto modo liberam, eodem modo explicatur Anselmus.

Ad secundum patet ex secunda Conclusione.

Ad tertium nego Consequentiam, ad probationem distinguo Antecedens, agens liberum respectu boni limitati, Concedo Antecedens, respectu boni infiniti. Nego Antecedens, voluntas enim perfectius operabitur, quãdò in Patria naturaliter ferretur in Deũ, quàm modo cum liberè vult bona creata.

Ad quartum, distinguo Antecedens, non sunt oppositæ respectu eiusdem obiecti, vt sic, Nego Antecedens, respectu diuersorum, Concedo Antecedens, & ità conueniunt eidem actui Dei respectu diuersorum obiectorum, sicut amor, & odium sunt perfectiones absolutè, quę cõueniunt eidem actui Dei respectu diuersorum, amor respectu boni, odium respectu mali.

Ad vltimum, distinguo Antecedens, natura, vt res, nego Antecedẽs natura, vt causa, Concedo Antecedens, & eodem modo voluntas, vt res potest velle naturaliter, non verò voluntas, vt causa, explicatur hoc ex Caiet. prima secundæ, vbi supra, natura, & voluntas non sunt res distinctæ: Nàm res, quæ est voluntas, est quædam natura habens modum operandi determinatum, respectu aliquorum obiectorum. Cæterum, ista res, quæ est voluntas, vt est voluntas, est causa indifferens, vt verò est natura, est causa determinata, & licèt eidem respectu eiusdem obiecti, vt sic, non possint simul conuenire isti diuersi modi operandi indifferentèr, & determinate, possunt tamèn conuenire eidem respectu diuersorum, & ideò natura, quæ est voluntas, potest liberè operari respectu aliquorum obiectorum.

ARTICVLVS III.

An actus notionales sint de aliquo.

Conclusio.

Filius est de substantia Patris.

DVBITATVR.

An doctrina huius Art. sit sufficiens, & vera.



IDETVR quod non, primò: quia titulus est cõmunis de omni actu notionali. Conclusio autèm est particularis de solo Filio.

Confirmatur, Conclusio non respondet ad titulũ Artic. Nàm titulus Artic. est, vtrum actus notionales sint de aliquo, Conclusio verò respondet de termino actus notionalis, sed certũ est hæc distingui: Nàm actus notionalis V.g. generatio actiua, est in Patre, & Filius distinguitur realitèr ab illo. Ergo.

Secundò: Nàm in solutione ad primum, ait D.Tho. quod cum dicitur Filius Natus de Patre, illa præpositio, de, non significat principiũ materiale. Hoc autèm est falsum: Nàm idem D.Th. in 1.d.5. Quæst. 2. Art.1. in corpore ait, quod cum dicitur Filius Natus de Substantia Patris, significatur quod sit de illa, sicut de principio secundum materiam seclusis imperfectionibus: quia vna conditio materiæ est, quod remaneat in re, & essentia diuina, de qua est Filius, remanet in ipso Filio. Ergo.

Confirmatur: Nàm essentia diuina vt coniuncta paternitati habet rationem principij productiui ueluti actiui, Ergò illi debet correspõdere principium, veluti passiuum, quod non potest esse aliud, nisi ipsamet essentia in se, Antecedens patebit Articulis 4. & 5. & Consequẽtia probatur: quia omni potentiæ actiuæ debet correspondere passiua aut quasi passiua, seclusis imperfectionibus, vt habetur in 9. meth. tex. 2. & 10. Ergo.

Tertiò

Tertiò probatur, idem Filius constituitur ex essentia, & relatione, vt diximus Quæst.40. Art.1. Ergò essentia in illa compositione se habet vt materia, patet Cõsequentia: quia in omni re constituta ex pluribus oportet, vt vnum se habeat, vt materia, & perfectibile, atq; determinabile, & alterum se habeat, quasi forma. Relatio autèm in Filio non se potest habere, quasi materia: quia determinat essentiam, quæ, veluti substat illi, & recipit illam, quod est proprium materiæ, Ergò.

Quartò, D. Tho. habet in solutione ad 2. quod Filius dicitur esse de essentia Patris, sicut de principio formali, & consubstantiali. Cõtra hoc sic Argumentor: Nàm idem D. Tho. suprà Quæst.39. Art. 2. ad 5. & in 1. sententiarum d.34. Quæst.1. Art.2. ad 3. ait hanc præpositionem, non significare habitudinem causæ formalis, sed materialis, vel efficientis, & ideò non dicimus tres personas diuinas esse ex vna vel de vna esentia, Ergò sibi contrarius est, dum hic docet, quod Filius sit de substantia Patris, tamquàm de principio formali.

Confirmatur primò, Christus dicitur, secundum humanitatẽ Natus de Spiritu Sancto, vt patet ex Symb. & Mathæi primò, quod in ea Natum est de Spiritu Sãcto est, & tamèn Spiritus Sanctus, nõ est principium formale, & consubstantiale speciei secundum humanitatem, sed tantùm principium efficiens, Ergò illa particula de, quãdo dicitur Filius est de substantia Patris, potest designare principium quasi actiuum, & non necessariò designat principium consubstantiale.

Confirmatur secundò, licèt essentia sit principium quasi formale Patris, non potest dici, Pater est de substantia Filii, vt illa præpositio, De, designet principium quasi formale, & cõsubstantiale, Ergò licèt essentia sit principium formale, & consubstantiale Filij, non potest dici, quod Filius sit de substantia Patris,ità vt illa præpositio, De, designet principium formale consubstantiale.

Quintò D. Tho. in solutione ad 3. habet, quod cum dicitur tres personæ sunt de esentia diuina, non ponitur aliquid, respectu cuius possit importari distinctio designata per illam præpositionem, De, & ideò est falsa.

Sed contra hoc Arguitur: Nã in solutione ad 2. asserit idem D. Th. hanc præpositionem, esse veram. Angelus est de natura intellectuali, licèt natura Angelica non sit distincta ab ipso Angelo subsistenti, Ergò non oportet propositionem de, designare distinctionem inter id, quod est de aliquo, & illud de quo est, vel Angelus nõ poterit dici esse de natura intellectuali.

Sed contra est authoritas D.Tho. In hoc dub.sunt tres modi dicendi Theologorũ. Primus Magistri in d.5.docẽtis,quod quãdò dicimus Filius est de substantia Patris, designatur habitudo principij quasi effectiui, & significatur, quod Filius est de substantia Patris, idest, de Patre,qui est substantia.

Secundus est,præpositionem, De, designare principium veluti materiale, seclusis imperfectionibus,ità Dur. in 1.d.9. Quæst. 2. & Enr. in summa Art. 5. Quæst. 3. & videtur in eam sententiam concordare D.Tho. vbi citatur in Arg.2.

Tertius est, illam particulam,De, relatam ad essentiam designare principium formale consubstantiale. Relatam verò ad generationẽ Patris, designare simul principium originis, ità Bonau. in 1.d.5. Art. 1. Quæst.2. Scotus Quæst.2. Gab. Quæst. 2. Art.2. Marsil. Quæst. 9. Art.2. ad 8. Vazq. hic, disp. 142. Conclusione secunda, addit idem Vazq. quod illa particula,De, non importat distinctionem eius,quod est de aliquo, ab eo de quo aliquid est, & ideò, sicut Angelus dicitur esse de natura intellectuali, ità Pater potest dici de natura diuina, & tres personas esse de natura diuina. Sed omissis Theologis, inter Hereticos, Caluinus, vt refert Prateolus, Verbo Trinitarij, docuit Filium, non esse Deum de Deo, neq; de substantia Patris,id similitèr negarunt Arrius. Eunomius, & Cæteri,qui dixere Filium,& Spiritum Sanctum, esse Creaturas. De quo suprà Quæst.27. Art.1.dub. 1. & Art.2.dub.2. & Quæst.36. Art.1.

Sed pro explicatione. Dico primò,actus notionales ratione sui termini sunt de substantia Dei. Pro huius declaratione, supponendum est, ex D.Tho. Art. Sequenti ad 3.& Caiet. ibi,quod licèt actus notionales postulent Potentiam,quæ sit,principium illorum,illa non debet esse principium eorum,secundum se,sed ratione termini per illos producti, proportionalitèr Ergò Philosophandum est hic,quod D. Tho. non intendat actus notionales secundum se, esse de aliquo, si esse de aliquo, vt insinuatur in solutione ad 3. requirit distinctionem,inter id quod est de aliquo, & id,de quo est illud:Nàm ipsi actus secundum se, non distinguntur à principio, à quo sunt,diximus enim suprà generationem non distingui à Patre, nec spirationem à Patre,& Filio, sed intendit, quod actus notionalis ratione sui termini, scilicèt personarum productarũ, sint de aliquo,idest, quod Filius, & Spiritus Sanctus,sunt de substantia Dei, vel Patris, loquitur autèm specialitèr de Filio,quia cum omnia, quæ conueniunt Filio conueniant etiam Spiritui Sancto, prætèr id,quod est esse spiratorem, vel Genitum, vel spiratum, si esse

de

de substantia Patris, conuenit Filio, etiam id conueniet Spiritui Sancto, quo supposito, Conclusio sic intellecta est de fide, probatur: Nam ita definiunt Damas. Papa in professione fidei, missa ad Paulinum in Macedonia: Canone 11. id deffiniuit de Filio: de Spiritu Sancto, verò Canone 18. idem diffinitur in Concilio Niceno, in sua fidei Confessione, & in Concil. Toletano 3. sess. 4. Canone 11. in Confessione fidei, & latius, sub Innocentio 3. & refertur c. damnamus de summa Trinitate. Expræssè, quæ habetur de Filio in Symb. Atanasij Deus est ex substantia Patris ante secula genitus, idem docent, vt dogma fidei. Cyrilus lib. 1. Thesauri Cap. 1. & 5. & lib. 3. Cap. 3. & lib. 3. Cap. 1. Aug. 15. de Trinitate Cap. 19. & 20. & 3. contra. Maxim. Cap. 14. Fulgētius de fide ad Petrum Cap. 2. & probatur ex illo Psalmi 109. ex Vtero ante luciferum genui te, vbi per Vterum significatur substantia Patris, vt exponit Aug. ibi.

Secundò probatur ratione Concilij Later. Nàm Filius, & Spiritus Sanctus, sunt consubstantiales Patri habētes eamdem numero naturā, & oriuntur, distinguunturq; ab illo, Ergò sunt de substantia illius: quia hoc modo loquendi, nihil aliud nisi hoc significamus, vt docent Hylar. lib. 8. de Trinitate à principio, & Ioannes Theologus in Concil. Flor. sess. 18.

Confirmatur, Filius, & Spiritus Sanctus, non sunt de nihilo, aliàs essent creaturæ, & sunt, Ergò sunt de aliquo, scilicèt habēt aliquàm formam, & non distinctam à natura Patris, qui est principium eorum, Ergò sunt de substantia Patris. Ratio est August. 3. contra Maxim. Cap. 14.

Dico secundo, Personæ diuinæ non sunt de substantia patris, tamquàm de materia, vel habente modum proprium materiæ. Probatur: Nàm modus proprius materiæ, vt distinguitur à forma est habere rationem potentiç distinctæ à forma, vel tota composito, non enim datur propria materia, quæ sit ipsum subsistens, sicut datur in simplicibus verus actus, & vera forma totalis, quæ sit ipsum subsistēs, vt deitas est ipse Deus; & quia de se est potentia proprium eius est non habere existentiam à se, sed à forma constat autèm, quòd essentia Dei, non distinguitur à persona, nec accipit existentiam ab illa, vt dictum est Quæst. 28. Art. 2. dub. 3. & Quæst. 29. Art. 3. dub. 2. Ergò personæ diuinæ non sunt de substantia patris, tanquàm de materia, vel habente modum materiæ.

Secundò probatur: quia consubstantialitas personarum, est maximè formalis, cùm sit rationę integræ, & perfectissimæ naturæ, quæ est

actus purus, nihil includens potentialitatis, Ergò.

Tertiò: quia conditiones materiæ quas Dur. tribuit substantiæ patris, non sunt propriæ materiæ, sed communes etiam formæ, vel personalitati præexistenti: Nàm si Anima præexisteret, & produceretur, materia ex qua constitueretur Homo, anima esset intrinseca homini, non accipiens esse præexistens, & maneret eadem in tota generatione, essetq; id de quo generaretur homo, & in assumptione humanitatis, personalitas Verbi, non se haberet vt materia, & tamèn est intrinseca Christo, non accipiens esse, sed præexistens, & manens eadem in tota illa assumptione, & est id, ex quo componitur homo Christus, Ergò.

Quartò: quia essentia est terminus formalis generationis Filii, vt docet D.Tho. in 1. dist. 5. Quæst. 3. Art. 3. Ergò non habet modum materiæ respectu illius: quia forma, & materia, non coincidunt in idem numero.

Confirmatur ratione D.Thom. hic ad primum: quia quòd producitur de materia, producitur per eius trasmutationem, sed essentia diuina, non transmutatur in productione filii, Ergò filius non est de illa, tamquàm de materia, vel habente modum materiæ.

Dico tertiò, Personæ diuinæ non dicuntur esse de substantia patris tantùm: quia sunt de Patre, qui est substantia; Dico tãtùm: quia negari non debet, posse verificari, quòd sunt de substantia patris: quia sunt de Patre, qui est substantia consubstantialis tamèn illi: Nàm in Concil. Niceno in Cõfessione fidei, dicitur, filium natum esse ex patre idest ex substantia patris, vbi pro eodem, reputat esse ex substantia patris, & esse ex patre cæterum dicitur, esse ex substantia patris, quia ità est ex Patre, qui est substantia, quæ est illi consubstantialis, Hoc supposito, nostra Conclusio est. D.Tho. hic ad 2. & probatur: quia creaturæ sunt de Patre, qui est substantia, & tamèn non dicuntur esse de substantia patris, & res artificiata dicitur esse ex Artifice, qui est substantia, & non dicitur esse de substantia Artificis, & ratio vtriusq; est eadem: quia nec creatura est consubstantialis Deo, nec res artificiata Artifici, & illa propositio De cõnotat consubstantialitatem, Ergò nõ ideò tantùm, quòd filius sit à patre, tãquàm, à principio productiuo dicitur esse de substantia patris, idest à Patre, qui est substantia.

Dico quartò, Personæ diuinæ productæ, verè, & propriè, dicuntur esse de substantia Patris, non tamèn de essentia diuina, Pro huius declaratione nota, quod Bal. hic sentit, tres conditiones requiri, vt aliquid producatur ex alio. Primò, vt illud, ex quo producitur, aliquo

modo

modo cooperetur ad alterius productionem. Secundò, vt præexistat alterius productioni,& non producatur productione eadem, qua alterum. Tertiò, vt sit intrinsecum,& eiusdem substantiæ, cum re producta.

Ex defectu secundæ conditionis, malè dici à D. Thoma, Angelum produci de natura intellectuali:quia Angelus producitur simul cum ipsa natura intellectuali. Sed huius rei nullum fundamẽtum inuenio; Nàm licèt ista particula ex, dicat plures habitudines, quàm particula. De(vt explicat D.Th.in 1.dist.5.Quæst.2.in principio) tamèn aliquandò dicunt eamdem habitudinem principij,& consubstantialitatis,qua ratione sicut dicimus Cultellus, fit de ferro, eadem dicimus, fit ex ferro,sed vt aliquid fiat ex aliquo isto modo, non requiritur, quòd illud,ex quo fit præexistat,& producatur alia priori productione. Ergò neq; vt sit de aliquo.Mi.probatur: Nàm sapientiæ 11.dicitur, quòd Deus fecit omnia ex materia inuisa, materia autèm eadem productione fuit producta, qua Vniuersum. Et ideò licèt natura intellectualis producatur eadem productione, qua Angelus, poterit dici Angelus esse ex illa, vel de illa, Præterea: quia aliàs filius, non esset de essentia Patris, Nàm illa non est prius filio, nisi ratione, quo etiàm modo, natura intellectualis est prior supposito angelico.

Hac Ergò cõditione omissa, Notãdũ est ex D.Th.1.ad Anibal.dist. 5.Quæst.vnica Art.3.quòd ista particula. De, in diuinis aliquandò sumitur substantialitèr, vt cum dicitur, filius est de substantia diuina aliquandò originalitèr, vt cum dicitur filius est de Patre, aliquandò mistim substãtialitèr,& originalitèr, vt quãdò dicitur filius de substãtia Patris, vel vt habetur primò sententiarum, in prædicto. Art. 1. quia dicitur filius,est de essentia Patris, Essentia ibi etiàm potest sumi, veluti originalitèr proprio generationis communicato.

His suppositis, patet Prima pars Conclusionis: Nàm filius,& Spiritus Sanctus, sunt cõsubstantiales Patri,& sunt ab illo, vt producente, & ab eius essentia, vt principio Quo cõmunicato. Ergò verè possunt dici esse de essentia Patris: quia, hoc sufficit, ad hoc verificandum. Secunda etiàm pars Conclusionis, est Aug.7. de Trinitate Cap. 6. & D.Tho.infrà Quæst.39.Art.2.ad 5.& 1.sententiarum dist. 5. Quæst. 2.Art.1.ad 1.vbi docet, quòd illa particula De, non tantùm significat consubstantialitatem, sed etiàm distinctionem,& quia personæ diuinę non distinguuntur ab essentia, ideò non dicuntur esse de essentia diuina: quia verò Personæ productæ, sunt consubstantiales Patri, & distinctæ ab illo, ideò dicuntur esse de substantia Patris, de substantia prop-

ter consubstantialitatem de Patre verò, propter distinctionem. Secũdo: quia particula De, vel ex, est transitiua, & significant diuersitatẽ, nullam verò habet persona ab essentia. Et ideò non sunt de illa, nisi fortè dicantur esse de illa secundùm rationem: quia sola ratione distinguuntur ab illa, & ideò D. Tho. in prædicto loco ad Anib. concedit filium esse de substantia diuina, sed intelligitur, non quòd de illa sit realitèr, sed solùm secundùm rationem.

Ad primum Arg. & Confirmationem illius patet ex 1. Conclusione quomodo Conclusio articuli sit adæquata titulo dubij, & quomodo illi corrrespondeat, sumendo actus notionales, non secundum se, sed ratione sui termini.

Ad secundum, Respondeo, quòd illam sententiam correxit D. Th. hic. & ad Anibal. vbi suprà, vel loquitur ibi de materia secũdum quid, scilicèt secundum aliquam eius conditionem communem sibi, & formæ, non sibi propriam, ità Caiet. hic.

Ad Confirmationem, Nego Consequentiam, ad probationem Respondeo Arist. intelligi de potentia naturali ordinabili in finem, non verò, si non sit ordinabilis in finem, potentia autèm Dei non est ordinabilis in finem, & ideò non debet ei necessariò correspondere potentia passiua, sicut potentiæ infinitæ creatoris, quæ actiua est non correspondet ex parte creaturæ aliqua potentia passiua infinita, ità D. Tho. de potentia Quæst. 1. Art. 2. ad 1.

Ad tertium, Nego Consequentiam, ad probationem distinguo Antecedẽs: quãdo constituitur ex pluribus distinctis secundum rem quorum vnum accipit aliquòd esse ab alio, Concedo Antecedens, secus verò si sint omninò idem, & vnum non accipiat ab alio aliquòd esse, & ità contingit in relationibus diuinis, quæ omninò identificantur essentiæ, & non superaddunt illi aliquod esse, sed potius existunt per esse illius, vt diximus Quæst. 28. Art. 2. dub. 3.

Ad quartum Respondeo, D. Tho. ibi non loqui de hac, Filius est de essentia patris, sed de ista, tres Personæ sunt ex vel de essentia diuina, & in prima particula, De, potest denotare habitudinem causæ formalis, in secunda verò non nisi habitudinem causæ materialis, vel efficiẽtis, ratio est; quia particula De, denotat consubstantialitem, & distinctionem, & formam non oportet distingui in omninò simplicibus scilicèt Deo, ab eo cuius est forma, & ideò: quia si diceret rationem principij formalis, non importaret distinctionem, quàm necessariò importat talis præpositio De, solùm potest dicere habitudinem principij materialis, vel efficientis, quorum est sic distingui ab eo cuius

sunt

ſunt principium. In prima verò, licèt importet conſubſtantialitatem formalem ſine diſtinctione, quatenus De, refertur ad eſſentiam, vel ſubſtantiam, tamèn quatenus illa particula reſpicit patrem deſignat tranſitionem, & diſtinctionem, & hoc ſufficit ad eius veritatem.

Ad primam Confirmationem Dric do. lib. 3. de Eccleſiaſticis dogmatibus ad finem, & Vazq. hic diſp. 162. Cap. 2. propter iſtud argumentũ, docent particulam, De, ibi non dicere conſubſtantialitatem, ſed ſolùm efficientiam; quàm Spiritus Sanctus habet reſpectu corporis Chriſti, & Ambroſius lib. 2. de Spiritu Sancto. Cap. 5. non legit de Spiritu Sancto eſt, ſed ex Spiritu Sancto eſt: Nàm particula, ex, ſignificat efficientiam, imò addit Vazq. eadem ratione poſſe dici, creaturas eſſe de Deo: quia ſunt ab illo efficientèr, & particula, De, ſignificat efficientiam, ſed Aug. de natura boni, contra Manichæos Cap. 2.6. & 2.7. contrariũ docet ſcilicèt, de, ſignificare conſubſtantialitatem, ex, verò poſſe dicere ſolam efficientiam.

Ad arg. verò Reſpondeo, ex D. Tho. 3. parte Quæſt. 32. Art. 2. quòd in conceptione Chriſti de Spiritu Sancto ſunt duo, ſcilicèt forma corporis, & illa eſt efficientèr ab Spiritu Sancto, & ipſum ſuppoſitũ, quòd eſt conſubſtantiale Spiritui Sancto, & quia particula De, dicit vtrãq; habitudinem efficientis, videlicèt, & conſubſtantialitatis formalis benè dicitur, quòd Chriſtus eſt conceptus de Spiritu Sancto, vt denotetur efficientia illius reſpectu corporis Chriſti, & conſubſtantialitas diuini ſuppoſiti reſpectu Spiritus Sancti.

Ad ſecundam Confirmationem, Nego Conſequentiam, differentia eſt: quia particula, De, debet importare ordinem ad principium, & hic importatur ad patrem, quãdo dicimus Filius eſt De ſubſtantia Patris, & ideò eſt vera, Filius verò, vel eſſentia, non eſt principium patris, & ideò hæc propoſitio eſt neganda, Pater eſt de eſſentia Filij: quia ibi importatur ordo ad Filium, quaſi ad principium productiuũ patris, & falſum eſt patrem habere talem ordinem ad Filium.

Ad quintum, Reſpondeo inter Angelum, vt dicit ſuppoſitum, & eius naturam eſſe realem diſtinctionem: quia ſuppoſitum Angeli addit aliquid reale ſuprà naturam, & ità quia natura eſt ſecundum ſe prior, & realitèr diſtincta ab Angelo, benè poteſt dici, Angelum eſſe de natura intellectuali, non verò Patrem eſſe de natura diuina: quia inter Patrem, & naturam diuinam, non eſt niſi diſtinctio rationis, vt dictum eſt.

AR-

ARTICVLVS IV.

Vtrum in Diuinis, ſit potentia reſpectu actuum notionalium.

Concluſio eſt affirmatiua.

DVBITATVR.

An Concluſio iſta ſit vera.



IDETVR, quòd non. Primò: quia D. Tho. ſuprà Quæſt. 25. Art. 1. ad tertium docet, quòd in Deo ſaluatur ratio Potentiæ; quantum ad hoc, quod eſt principiũ efficiens: non tamèn quantum ad hoc, quod eſt principium actionis. Idem docet de Potentia Quæſt. 2. Art. 1. in fine. Ergò in Deo non eſt potentia, reſpectu actuum notionalium.

Confirmatur; Primò Hic in ſolutione ad tertium, docet D. Tho. quod: quia intelligere, & velle non ſunt tales actus, quod deſignent proceſſionem alicuius rei, à Deo diſtinctæ, uel eſſentialitèr, vel perſonalitèr; reſpectu horum actuum, non poteſt ſaluari ratio potentiæ in Deo; ſicut nec generare, nec ſpirare, deſignant proceſſionem alicuius rei à Deo diſtinctæ, vel eſſentialitèr, vel perſonalitèr. Ergò. Probatur Minor. Quia Filius procedens per generationem, & Spiritus Sanctus procedens per ſpirationem, eſſentialitèr, & perſonalitèr ſunt Deus.

Confirmatur ſecundò, ex Ariſt. 12. meth. t. 30. dicente, quod in Deo non eſt, potentia agendi. Ergò in illo non eſt potentia generādi, & ſpirandi, quæ ſit verè, & realitèr potentia.

Secundò Arguitur, Non poſſe generare in Deo, non eſt impotentia aliqua, vt docet Aug. lib. 8. Contra Maxim. Cap. 3. & ratio eſt manifeſta, aliàs cum Filius generare non poſſit, in eo eſſet aliqua impotētia,

tia, Ergò, nec posse generare, dicit veram, & realem potentiam, patet Consequentia: quia in potentia, est negatio verę potentiæ.

Confirmatur, Quod Deus possit esse Pater, non dicit veram potentiam, aliàs Pater haberet principium cum potentia, quæ vera potentia, est sic principium essentialitèr, Ergò nec, quod possit generare. Patet Consequentia: quia posse generare, & posse esse Patrem, idem sunt.

Tertiò Arguitur. Vbi non est verè productio elicita, non est verè potentia producens, talis enim potentia dicitur respectu producti media productione, à se elicita: in Deo autèm non est productio elicita intra ipsum, Ergò nec potentia, respectu actuum notionalium, qui sunt ad intra. Probatur Min. Productio elicita, distinguitur realitèr ab eliciente, cùm nihil possit elici realitèr à seipso: sed generatio, & spiratio, non distinguitur realitèr à generante, & spirante, Ergò non sunt productiones elicitæ.

Quartò, Si in diuinis, esset potentia respectu actuum notionalium, actus notionales essent perfectiores tali potētia: hoc Deo nō cōuenit, cum illa sit infinitè perfecta, Ergò probatur Maior: quia actus, maximè immanens, simplicitèr est perfectior, quàm potentia.

Confirmatur; Generationi passiuę non correspondet vera potentia ex parte Filij, nec spirationi passiuæ correspondet vera potentia ex parte Spiritus Sancti, Ergò nec generationi actiuæ correspondet vera potentia ex parte Patris, nec spirationi actiuæ ex parte Patris, & Filij. Antecedens est D. Th. suprà Quæst. 25. Art. 1. excludentis à Deo omnem rationem potentiæ passiuæ, eo, quod imperfectionem importat, & talis deberet esse potentia, correspondens generationi, & spirationi passiuæ. Et Consequentia probatur: quia secundum Arist. omni potentiæ actiuæ correspondere debet potentia passiua.

Quintò, Si talis potentia poneretur in Deo, respectu actuum notionalium, illa deberet esse aliquod absolutum: Nàm relatio, vt sic, non habet rationem principij productiui: sed potentia absoluta, nō potest poni in Deo, respectu istorum actuum, Ergò, probatur Min. Quæ absoluta sunt, communicantur omnibus personis diuinis, simul cum essentia, sed potentia generandi, & potentia spirandi, non sunt communes omnibus Personis diuinis, Ergò.

Confirmatur, Si potentia generandi, vt potè aliquid absolutum est in Filio, vel est impedita, vel Filius potest generare, Non potest dici, quod sit impedita, quia potentia naturalis impediri non potest, nisi vel ab extrinseco, vel præternaturalitèr: quorum neutrum conuenit

Deo: nec poteſt dici, quòd Filius poſſit generare, aliàs poſsent eſse plures Filij in diuinis, Ergò.

Sed contra eſt authoritas D. Tho. In hoc dubio ſunt diuerſæ ſententiæ. Prima eſt Aureoli in 1. d. 7. Quæſt. 1. Art. 2. in Deo, non eſse potentiam productiuam, nec reſpectu actuum notionalium, nec reſpectu perſonæ productæ, ſed potentiam Dei ad generandum, vel ſpirandum nihil aliud eſse, quàm non repugnantiam terminorum, eodem prorſus modo, quo ſolemus dicere, Deum habere potentiam, vt ſit Deus.

Secunda, eſt Greg. in 1. d. 7. Quæſt. 1. Art. 1. ad 1. & Capræoli ibid. Quæſt. 1. Art. 2. ad 2. contra 1. Conc. qui aſserunt, eſſe in Deo veram, & phyſicam potentiam reſpectu perſonæ productæ, non verò reſpectu actus notionalis, quo producitur. Hanc imponit Caiet. Vazquez hic diſp. 163. Cap. 1. falsò tamèn, vt patebit Caiet. litteram intuenti.

Tertia ſententia eſt, actum notionalem poſſe duplicitèr conſiderari, & ratione ſui, & ratione termini producti, dariq; in Deo realem potentiam reſpectu talis actus, nõ ratione ſui, ſed ratione termini, qui ſufficit vt abſolutè affirmetur in Deo, dari potentiam veram reſpectu actuum notionalium. Hæc ſententia videtur eſse expreſsa D. Th. in Articulo, quàm communitèr ſequũtur eius interpretes.

Pro cuius explicatione. Dico primò. In diuinis eſt verè, & realitèr potentia productiua reſpectu perſonæ, per actum notionalem productæ.

Ità D. Tho. hic, & in 1. d. 7. Quæſt. 1. Art. 1. & pot. Quæſt. 2. Art. 1. & probatur primò, ſecundum Ariſt. 4. meth. t. 29. in tantùm eſt aliquid perfectum, in quantùm poteſt facere alterum tale, quale ipſum eſt, ſed Deus eſt maximè perfectus: Ergò maximè potens facere alterum, qualis eſt ipſe, hoc non facit niſi generando Filium, & ſpirando Spiritum Sanctum, Ergò in eo eſt verè, & realitèr potentia productiua per comparationem ad Filium, & Spiritum Sanctum.

Secundò Filius, & Spiritus Sancti, ſunt verè, & realitèr producti, Ergò in Deo eſt verè, & realitèr potentia productiua ipſorum. Patet Conſequentia: Nàm, quia creaturæ ſunt verè, & realitèr productæ à Deo, in Deo conſtituimus realem potentiam productiuam creaturarum, Ergò.

Confirmatur potentia communicandi ſe ad extra eſt perfectio ſimplicitèr, vt potè Conſequens naturam boni, quæ conſiſtit in hoc, quod ſit diffuſiuum ſui, atq; ideò realitèr, & formalitèr ponitur in Deo, Ergò realiter, & formalitèr eſt in illo potentia cõmunicandi ſe ad intra,

patet

Patet Consequentia: Quia multò eccelentior est communicatio Dei ad intra, quàm communicatio Dei ad extra, Ergò, si respectu creaturæ, cui fit hæc cõmunicatio, constituitur in Deo potentia productiua, multò magis debet constitui respectu Diuinæ personæ, cui ad intra communicatur natura diuina.

Dico secundò. Respectu huius actus, qui est generare, & respectu huius actus, qui est spirare, præscindendo eos à terminis, nõ est in Deo vera potentia productiua secundum rem, sed tantùm secundum rationem appræhensionis nostræ.

Hæc Conclusio, quoad primam partẽ patet ex D.Th. suprà Quęst. 25. Art.1. ad 3. dicente, quod potentia in creaturis est principium actionis, & effectus, in Deo autèm est principium effectus, & nõ actionis: Nàm de ratione potentiæ est, quod sit principium, Ergò, cum respectu istorum actuum, præscindendo illos à terminis, non sit in Deo realitèr principium, nec est in illo potentia secundum rem.

Secundò, Generatio, & spiratio, vt præcisè à terminis, non distinguntur secundum rem à Patre generãte, & à Patre, & Filio spirãtibus, Ergò non habent in ipsis principium secundum rem, Ergò nec potentiã secundum rem. Prima Consequentia patet: quia nihil potest esse principium sui ipsius, & secũda tenet, à negationi superioris ad negationem inferioris, cum omnis potentia sit essentialitèr principium. Quoad secundum verò, partẽ probatur ex D.Th. ibidẽ dicente, quod in Deo non repetitur ratio potentiæ secundum quod est principium actionis, nisi secundum modum intelligendi, prout diuina essentia potest intelligi & sub ratione actionis, & sub ratione potentiæ. Item docet. Secundò contra Gẽtiles Cap.10. & ratio est, quàm ibi insinuat Ferrariẽsis scil. in Deo esse eminentèr quicquid perfectionis in creaturis inuenitur, sed esse principium productiuum, & esse actualem productionem, sunt perfectiones distinctæ, Ergò vtraq; reperitur in Deo per modum vnius, Ergò in eminentia naturæ diuinæ, vt in ea appræhendit intellectus noster rationem potentiæ productiuè, & rationem actualis productionis, Ergò sic appræhendens potentiam generatiuã, & generationem actualem, vel potentiam spiratiuam, & spirationem actualẽ, quãdò cõcipi pręscindat à terminis, cõcipiet alterũ, vt principium, à quo aliquid est, & alterum, quod est ab altero, tamquàm à principio, Ergò respectu horum actuum, præscindendo illos à terminis, est in Deo vera potentia secundum rationem appræhensionis nostræ.

Hinc sequitur respectu actuũ essentialiũ, qui sunt intelligere, & velle,

le, non poni in Deo potentiam, nisi secundum modum intelligendi dũtaxat. Quod expresse docet D. Tho. hic ad 3. & ratio est eadem: quia non distinguuntur ab intellectu, & voluntate secundum rationem, nec inter illos, & actus notionales est aliqua differentia, nisi quod actus essentiales, vt sic non habent terminos productos realitèr distinctos à suo principio. Vnde respectu illorum, nec ratione sui termini est in Deo potentia secundum rem, actus autèm notionalis producunt terminos realitèr distinctos à suis principijs, & sic licèt ratione sui non habeant in Deo potentiam secundum rem, secus tamèn ratione sui termini.

Dico tertiò, in Deo est vera potentia secundum rem ad actus notionales, generationem, videlicèt, & spirationem ratione sui termini. Quòd est dicere, in Deo esse realem potentiam ad producendum personas per generationem, & spirationem, quæ potentia, vt potentia secundum rem respectu istorum actuum, non in se, vt diximus Conc. 2. sed in suis terminis. Hæc Conclusio sic explicata est Aug. 15. de Trinit. Cap. 20. Cirilli 1. Thes., Anselmi lib. de Spiritu Sancto. Damasceni 1. de fide, & prob. 1. ex Concilio Florentino sess. 8. vbi dicitur quod Pater est principium generatiuũ, & sess. vlt. in prin. Confess. fidei latinorum dicitur Credimus Patris, & Filii vnam esse comunem potestatẽ producendi Spiritum Sanctum, sed esse principium generatiuum, & esse potestatem producendi Spiritum Sanctum, dicunt essentialitèr potentiam ad producendas personas, generando, & spirando: Ergò, in ordine ad istos actus, vt includentes suos terminos, est in Deo potẽtia secundum rem.

Secundò licèt generatio, & spiratio non destinguantur à potentia generatiua, & à potentia spiratiua, ratione sui, & ità non sint aliquid productum, tamèn ratione suorum terminorum includunt productionem realẽ, Ergò ratione ipsorũ habent in Deo potentiã productiuã secundum rem. Tertiò, vt sit potentia secundum rem respectu alicuius actus, sufficit, quòd destinguatur ab illo ratione, qua elicitur: sed actus, quo res producitur, non elicitur, nisi ratione termini producti, cum non eliciatur, vt quod, sed, vt quo, vlz. vt productio rei. Ergò satis est, quod, vt sic, distinguatur realitèr à potentia, & respectu illius sit potentia secundum rem. Cum Ergò, generatio, vt includens filium in ratione termini, & spiratio vt similitèr includẽs Spiritũ Sanctum realitèr distinguantur à suis principijs, hæc principia respectum illorum, vt sic, sunt potentiæ secundum rem. Quarto in Deo est potentia secundum rem respectu personæ productæ, vt probauimus

Con-

Conclusione prima, sed hęc potentia non respicit personā productā, nisi vt producitur generatione, vel spiratione, Ergò respectu generationis, & spirationis, vt productiuæ sunt personarum, est in Deo potētia secundum rem.

Ad argumenta Ergò, ad primū Respon. ità verùm esse, in Deo non reperiri potentiam, quātū ad id, quod est principiū actionis. Et ratio est, quia vt docet D. Tho. in 1. dist. 42. Quęst. 1. Art. 1. ad 4. Deus non agit operatione media, quæ sit aliud à sua substantia, vel essentia, sed suum esse est suum operari, & suum operari, est suum esse est sua essentia, & potentia. Vt tamē sit in Deo potētia secundū rem respectū actus notionalis, ratione, non sui, sed sui termini, satis est, quod sit in eo potentia quantum ad id, quod est principium effectus sui termini producti. Vnde sicut potentia creatiua est in Deo secundum rem, non quia creatio, sit actio elicita ex vi talis potentiæ; hoc enim implicat, cum actio ista. & potentia formalissimè identificentur, sed quia res creata verè efficitur à Deo; ità in Patre est potentia generatiua secundum rem, non quia generatio diuina sit actio elicita ex vi ipsius, sed quia Filius, qui est terminus istius generationis, verè producitur à patre, & idem dicendum est de Potentia spiratiua in Patre, & Filio respectu Spiritus Sancti.

Ad primam Confirmationem, Concedo Mai., & Nego Min. licèt enim Filius, & Spiritus Sanctus non distinguantur essentialitèr, vel personalitèr ab hoc Deo, cōmuni ipsis per identitatem, distinguuntur tamen personalitèr Filius à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio. Vnde generatio, & spiratio designant processiones rerum personalites distinctarum à suis principijs.

Ad secundam Confirmationem dico, intelligendum esse Arist. de potentia actiua, separabili à suo actu, hoc enim in Deo, qui est purus actus, reperiri nequit.

Ad secundum, Concedo Antecedens, & nego Consequentiā sicut enim essentiam Patris importat in recto, & relationem in obliquo, ità potentia generandi importat in recto essentiam, & in obliquo paternitatem, de quo Art. sequenti, & quandò dicitur, Filium non posse generare, nō negatur de illo huiusmodi potētia quātū ad id, quod est essentia, hoc enim est perfectio absoluta, & simplicitèr infinita, & per Consequens communis tribus personis; sed solùm negatur quoad id, quod est relationis, quod formalitèr non dicit perfectionem distinctā à perfectione essentiæ, vt diximus Quæst. 28. Art. 2. dub. 4. atq; adeò ex hoc, quod negatur à Filio, non est in eo aliqua impotentia: quia impotentia

potentia

potentia dicit negationem potentiæ, quantùm ad id, quod est perfectionis in ipsa, posse autèm generare dicit potentiam, & quantùm ad formale, quod est esƒentia importata in recto, & quantùm ad conditionem, quæ est realitèr paternitatis, importata in obliquo, & sic dicit potentiam simplicitèr in Patre. Videndus est D. Tho. Quæst. Seq. Art. 6. Ad tertium, & in p. d. 7. Quæst. 2. Art. 2. ad vlt. & de potentia Quæst. 2. Art. 5.

Ad Cõfir. dist. de paternitati, vel vt forma constitutiua suppositi paternitatis, quã ratione antecedit nostro modo intelligẽdi potentiã generatiuam, vel vt relatio referens suppositum Patris ad Filium, qua ratione supponit potentiam generatiuam, & actualem etiam generationem. Ità D. Tho. suprà Quæst. 40. Art. 4. & in 1. d. 27. Quæst. 1. Art. 2. & de potentia Quæst. 8. Art. 3. quo supposito, dicitur illud Antecedens, quod Deus possit esse Pater, non dicit veram potentiam, si sumatur Pater, vt importans paternitatem, per modum formæ constituentis personam, Concedo, si sumatur, vt importat paternitatẽ per modum relationis actuali refferentis, Nego Antecedens sicut enim homo ex hoc, quod habet potentiam generatiuam consequitur posse esse Pater, ità hæc persona diuina, ex hoc, quod habet potentiam generatiuam, Consequitur, nostro modo intelligendi, posse referri relatione paternitatis ad Filium.

Ad tertium resp. quod licèt potentia productiua, quæ secundum rem constituitur in aliquo, sit elicitiua actionis, & effectus, vt patet de potentia calefactiua, aliquãdo tamèn dumtaxat est elicitiua actionis, vt patet de potentia visiua, & aliquandò dũtaxat est elicitiua effectus, vt pate de potẽtia creatiua in Deo, & talis est in illo potentia respectu actuũ notionalium, quod licèt non eliciantur à tali persona, eliciuntur tamèn ipsorum termini, & hoc satis est, vt respectu illorum ratione termini ponatur in Deo potentia secundum rem.

Ad quartum Respondeo, quod, quandò actus est aliud à potentia, actus est nobilior potentia, vt potè realitèr perficiens ipsam, at actus notionalis non est aliud à potẽtia diuina, sicut nec esse Dei est aliud ab eius essentia, vndè non oportet, quod sit nobilior, quàm potentia. Ità D. Tho. suprà Quæst. 25. Art. 1. ad 2.

Ad Confirmat Respondet, Capræolus in p. dist. 7. Quæst. 1. Art. 2. ad 3. contra primam Conclusionem ex D. Th. Quæst. Seq. Art. 6. ad 3. quod eadem potentia est, qua & Pater potest generare, & Filius potest generari, sed cum alia relatione: quia illã habet Pater, vt dãs, & Filius, vt accipiens, atq; adeò in illo non est potentia passiua, sed potentia

tentia

tentia per modum vltimi actus, quę tamèn ex imperfecto nostro modo concipiendi concipitur ad modum passionis.

Ad quintum patet ex dictis ad 2. & completè patebit ex dicendis Art. sequenti, vbi explicabitur, qualitèr, licèt potentia generatiua, quantùm ad essentiam, quàm importat in recto, sit in Filio, generare tamèn non possit ex negatione relationis, quas veluti conditiones important, & tamèn talis potentia non dicitur impedita in ipso.

ARTICVLVS V.

Vtrum Potentia generandi significet relationem, & non essentiam &c.

Conclusio.

Potentia generatiua importat essentiam in recto, & relationem in obliquo.

DVBITATVR.

An doctrina Articuli sit vera.



IDETVR, quòd non. Primò sicut se habet actus essentialis ad formam essentialem, ità, se habet actus personalis ad formam personalem, sed intelligere, velle, creare (qui sunt actus essentiales) sunt in forma esentiali, nempè à diuina essentia, tamquà principio Quo, Ergò actus personalis (qualis est generatio) est à forma personali, tamquàm principio Quo, nempè à paternitate, ac proinde paternitas, & non essentia, erit potentia generatiua &c.

Secundò: quia Deus intelligit, inquantum Deus, Deitas est quæ immediatè habet rationem potentiæ intellectiuæ, sed Pater generat

Rr non

non inquãtum Deus (aliàs quælibet persona diuina generaret) sed inquantum Pater, Ergò paternitas, & non essentia est, quæ immediatè habet rationem potentiæ generatiuæ.

Tertio, Nulla propria operatio conuenit alicui, nisi per propriam formam: sed generatio est propria operatio Patris, Ergò non conuenit illi, nisi per Paternitatem, & consequentèr Paternitas præcise habet rationem potentiæ generatiuæ in ipso. Mai. patet: Nàm vbi forma est, communis, operatio etiàm est communis.

Quartò, secundum D.Tho.3.p.Quæst.3.Art.2.ad 2. quia terminare humanitatem, conuenit soli Verbo, ideo ratio terminandi debet esse proprietas Verbi, & non essentia, Ergò cum generatio soli Patri cõueniat ratio generandi (qualis est potentia generatiua) debet esse proprietas Patris, & non essentia.

Quinto, non solùm principium, Quod sed etiàm, Quo realitèr productiuum, exigit distinctionem realem à termino producto, cum talis terminus immediatè emanet à tali principio: sed essentia diuina (etiàm vt est in Patre) non distinguitur realitèr à Filio, Ergò potentia generatiua, (quæ est principiũ Quo generandi) non importat in recto essentiam, vt est in Patre.

Sed contra est Authoritas D.Thomæ. In hoc dubio missis diuersorum placitis, quæ referunt super istum Articulum Bannez, & Zumel supponenda sunt duo. Primum est, Cuiuslibet actionis secundæ, esse principia scilicèt principium Quod, quale est suppositum agens; & principium Quo, siue remotũ, qualis est natura, siuè proximum, qualis est potentia actiua. Secundum est; Aliud esse in qualibet operatione, virtutem operandi, & aliud conditionem necessariam ad operandum; Nàm illud est formare; quę est ratio agendi, Hoc verò est suppositum, in quo recipitur talis forma. His suppositis.

Dico primò, Potentia generandi importat in recto essentiam, vt rationem agendi, & in obliquo Paternitatem, vt necessariam conditionem.

Hæc Conclusio, quoad primam partem. Probatur primo, Illud est principium Quo generandi in quo genitum assimilatur generanti, cũ hæc similitudo sit semper secundum formam, qua mediante fit generatio; sed Filius assimilatur Patri in essentia diuina, & non in paternitate. Ergo potentia generandi, quę est principium Quo, & veluti ratio generandi, in Deo importat in recto essentiam.

Secundo Pater generat Filium intelligendo, & consequentèr est in illo, principium Quo generandi, & principium Quo intelligendi: sed

ſed principium, Quo intellectionis diuinæ, eſt diuina eſſentia, conſtituens formalitèr in actu, intellectum diuinum ad intelligendum, per modum formæ intelligibilis, noſtro modo intelligendi: Ergo ipſamet eſt principium Quo generationis diuinæ, atq; adeò potentia generatiua, cuius ratio formaliſſimè in hoc conſiſtit, in recto importat eſsentiam. Quoad ſecundam vero partem probatur. Primo, quia Pater conſtat ex eſsentia, & paternitate, vt ex natura, & perſonalitate: ſed perſonalitas non eſt ratio formalis agendi, ſed ſola conditio, cum ſit purus terminus naturæ (Quod patet in nobis) Ergo potētia generatiua in Patre, ſolùm importat Paternitatem, per modum conditionis neceſsariæ ad generandum, & conſequentèr in obliquo. Secundo, nō omnis perſona habens diuinam eſsentiam, & diuinum intellectum generat: Ergo licèt eſsentia, & intellectus, ſint ratio generandi in Patre, non tamèn ſufficiunt ad generandum, niſi adſit illis Paternitas, vt neceſsaria conditio. Tamdem probatur ſimul vtraq; pars: Generatio diuina, neceſse eſt, quod ſit à ſuppoſito incomunicabili, & diſtincta à genito determinante rationem formalem generandi, quia dicit idētitatem omnimodam in natura, quod eſt formalitèr intentum, & realem diſtinctionem in ſuppoſitis, quod eſt conditio neceſsaria: ſed eſſentia diuina, (licèt ſit ſubſiſtens) non tamèn eſt ſuppoſitum incomunicabile: Ergo, vt ſit ſufficiens principium Quo generandi, debet eſse in aliquo ſuppoſito incomunicabili, quod non poteſt eſse, niſi pater, qui generationi ſupponitur, atq; adeo Pater eſt principium, quid generandi, principium vero, Quo qualis eſt potentia generatiua, vtrūq; importat, videlicèt eſsentiam in recto, vt rationem formalem generandi, & Paternitatem in obliquo, vt conditionem.

Dico ſecundo, Proportionalitèr dicendum eſt de Potentia ſpiratiua, quod importat in recto, & magis principalitèr per modum rationis formalis eſſentiam diuinam: in obliquo autem, & minus principalitèr per modum conditionis neceſsariæ, relationem ſpirationis.

Hæc Concluſio probatur eiſdem rationibus, quibus præcedens. Quod ſi quis obiiciat contra illam potentiam ſpiratiuam, & quoad rationem ſpirandi, & quoad conditionem neceſsariam, ſupponi noſtro modo intelligendi ad actum ſpirandi, atq; adeo non poſse importare, (vt conditionem neceſsariam) relationem ſpirationis; hæc enim quoad fundamentum conſequitur ad actum ſpirandi noſtro modo intelligendi.

Reſpondetur, quod quemadmodum potentia generatiua in Patre importat (vt neceſsariam conditionem) relationem Paternitatis, quæ

licet non intelligatur expresſè, ſub proprio conceptu in illo priori rationis, quo potentia generatiua intelligatur completa, & quoad rationem formalem,& quoad conditionem neceſsariam,antecedens ad actum generandi,intelligitur tamen confusè: ità ad hoc,quod relatio ſpirationis ſit neceſsaria conditio potentiæ ſpiratiuæ, non requiritur, quòd formalitèr,& expresſè intelligatur ante actum ſpirandi pro illo priori rationis,quo potentia ſpiratiua, vndequaq; completa intelligitur antecedens talem actum : ſed ſatis eſt,quòd intelligatur virtualitèr,& confusè; & ſic præintelligitur,quatenus radicatur in proprietatibus conſtitutiuis Patris, & Filij.

De hac Concluſione videnda ſunt, quæ diximus ſuprà Quæſt.36. Art.4.Dub.vnico,Concluſione prima.

Ad primum, Nego Mai.,forma enim eſsentialis, qua conſtituitur eſsentia,eſt principium Quo agēdi, quoad omnes actus, tàm eſsentiales,quàm perſonales, vt patet in nobis, in quibus perſonalitas, vt potè vltimus naturæ,ſolùm eſt conditio ratione actuum perſonalium, & quia hoc à fortiori habetur verum de perſonalitate paterna, in ordine ad decimam generationem, Pater enim generando Filium, comunicat ipſi ſuam propriam naturam : Perſonalitas autèm, vt potè relatiua,eſt ſuaptè natura incomunicabilis, & ſic nequit eſſe formalitèr principium communicandi ſe in patre, & conſequenter,nec generandi.

Reſpondetur ſecundò; Argumentum conuincere, quòd ſicut intellectio eſt à diuina eſſentia per modum proximi principij formalis intellecta,cointellecta tamèn ſimul,per modum neceſſariæ conditionis ſubſiſtētia,abſoluta, quàm ſuprà Quæſt.29. Art.3.diximus,eſſe eſsentialem Deo,vt præintellecta tribus perſonis, ità generatio eſt à diuina eſsentia,per modum potentiæ generatiuæ intellecta, cointellecta tamen ſimul per modum neceſsariæ conditionis,Paternitate, quæ eſt forma,conſtituens perſonam Patris.

Ad ſecundum Reſpondetur,quòd,ſi dictio,in quantum,reduplicat totum,quòd eſt neceſsarium ad generandum, & per modum formalis principij,& per modum conditionis neceſsariæ, Pater nec generat, inquantum Deus, quia, vt ſic, non habet conditionem neceſsariam, nec generat,inquantum Pater, quia, vt ſic,non dicit eſsentiam, quæ eſt ratio formalis generandi,ſed generat inquantum Deus pater. Vel diſtinguo Min.ſi dictio,in quantum,reduplicat conditionem, Concedo Min.ſi reduplicat rationem formalem,Nego Min., vt ſic enim,Pater generat,in quantum Deus,nec tamen ſequitur,quòd omnis Perſo-

na

nã diuina generet; non enim omnis diuina persona habet paternitatem formalitèr, quæ est conditio necessaria intrinsecè ad generandũ.

Ad tertium dico, quòd propria operatio conuenit vnicuiq; à sua forma, tamquam à ratione operandi: tamquam à conditione vera, sine qua, non potest esse operatio, conuenit illi à proprio modo habendi talem formam: vnde generare conuenit Patri primo modo à natura, secundò vero modo à paternitate.

Ad quartum, Nego Consequentiam; Longe enim distat terminare, & generare, Nàm terminare, est quasi effectus formalis, & proprium munus personalitatis, seù subsistentiæ, cùm non sit aliud, quàm reddere aliquid incomunicabilitèr subsistẽs: Generare verò est comunicare se, quasi actiuè, nostro modo intelligendi, atq; adeo principium illius non potest est personalitas patris; tùm quia relatio est, cui summè repugnat esse principium agendi: tùm quia est incommunicabilis, atquè adeò, vt sic, repugnat ipsi, esse principium actualis communicationis.

Ad quintum dico, quòd distinctio realis inter id, quod producit, vt quod, & productum per se, requiritur in omni productione reali; non tamen est per se necessaria talis distinctio inter id, quod producit, vt Quo, seu rationem producẽdi, & productum: sed dumtaxat reperitur hæc distinctio in productionibus, quæ imperfectæ sunt, quales sunt generationes istorum inferiorum, in quibus propter suas imperfectiones, natura generans, nõ comunicat genito eamdem numero naturã, sed solùm eamdem specie, atq; adeò in his, & producens, vt Quod, & ratio producẽdi (Quæ, est propria natura ipsius) realiter distinguũtur à genito, & non solùm productum realitèr emanat à producente, sed forma producti, realitèr emanat à forma producentis: In generatione autèm diuina, cum sit infinitæ perfectionis, vt potè à generante infinitæ virtutis, est perfectissima communicatio naturæ diuinæ; & sic non solum eadem specie, sed eadem numero communicatum, & licèt productum realitèr, emanet à producente (nempè Filius à Patre) non tamèn dicitur emanare realitèr à ratione agendi, quæ est essentia diuina; vndè non requiritur, quòd ab ea distinguatur realitèr.

ARTICVLVS VI.

Vtrum actus notionales ad plures personas terminari possint.

Conclusio est negatiua.



IRCA hanc Conclusionem aduertendũ est, illam esse certam secundum fidem, vt pote, quæ expresse habetur in Simbolo Atana. dicentis, vnus Filius, non tres Filij, vnus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus Sancti. Probatq; illam D. Tho. 4. congruentibus rationibus, quas, licèt impugnet Scot. quol. 2. & Aureol. in 1. dist. 7. Quæst. 2. Art. 1. vt refertur à Capreolo ibidem non tamen eneruant, vt patet ex Caiet. Canar. alijsq; recentioribus illas deffendentibus super hunc Artic. & ex Ferra. 4. Cot. g. Cap. 13. & licèt multæ aliæ pro hac veritate adduci possint; nulla tamen, quæ euidenter conuincat illam, est, Nam est super naturalem rationem, sicut misterium Trinitatis, vel trium personarum in vna natura.

Circa solutionem ad prima offert se grauis difficultas, quomodo aliqua potentia sit in Patre, quæ non sit in Filio, sed hanc fusè disputabimus quæst. Seq. tractantes de qualitate diuinarum personarum, & hæc sufficiant de tota hac quæstione.



QVÆSTIO XXXXII.

DE ÆQVALITATE, ET SIMILITVDINE DIVINARVM PERSONARVM.

ARTICVLVS PRIMVS.

An æqualitas habeat locum in diuinis &c.

Conclusio.

Necesse est ponere esse æqualitatem in diuinis Personis.

DVBITATVR.

An æqualitas, quæ est in diuinis Personis, sit relatio realis.



IDETVR quod sic, primò: quia Aug. dicit primò de Trinitate Cap. vlt. quod prima æqualitas est æqualitas diuina, sed non esset prima, si non esset realis, Ergò æqualitas, quæ est in diuinis personis, est relatio realis. Probatur Min. quia ens reale naturalitèr est prius, quàm rationis.

Confirmatur æqualitas est in diuinis personis ex vi generationis diuinæ, & ex vi spirationis, quæ sunt productiones reales, Ergò non est ens rationis, & Consequentèr, nec relatio rationis. Consequentia probatur, quia ens rationis nō potest alicui competere ex vi productionis realis, aliàs esset realitèr productum, & Antecedens probatur ex Aug. 3. contra Maxim. dicentem, Patrem esse æqualem formalitèr, quia genuit æqualem, & eadem

ratio est de æqualitate Patris, & Filii, respectu Spiritus Sancti &c.

Secundò, In Deo est ex natura rei, omnis perfectio simplicitèr, vt docet Anselmus in Monol. Cap. 17. sed æqualitas est perfectio simplicitèr, Ergò est in Deo ex natura rei, ac per Consequens, est relatio realis. Probatur Min. ex Aug. lib. de Potẽtia Animæ, Cap. 7. id expressè dicente, nec valet dicere, Aug. loqui non de relatione æqualitatis, sed de fundamento ipsius, Nàm infrà Cap. 9. ait, non quantitatem, sed æqualitate huius eccellentiæ, causam esse. Confirmatur, æqualitas secundum quantitatem dimensiuam, semper est relatio realis, Ergò, æqualitas secundũ quantitatem virtualem, semper est relatio realis, Ergò cum in diuinis, sit æqualitas secundum quantitatem virtualem, hoc est secundum essentialem perfectionem naturæ, est in illis relatio realis. Antecedens patet; Nàm talis æqualitas, est passio entis realis, vt patet ex Aristot. 5. Meth. dicente, quòd principium est quantitas, quòd secundum illam dicitur æquale, vel inæquale. Prima Consequentia probatur: quia perfectior est æqualitas secundum quantitatẽ virtualem, quàm secundum quantitatem dimensiuam, sed quantitas virtualis, perfectior est, quàm quantitas dimensiua, Ergò, si hæc est relatio realis, illa etiam erit relatio realis.

Tertiò, Tria requiruntur, & sufficit ad realitatem relationis, primò quod vtrumquè extremum, sit reale, secundò quòd extrema sint realitèr distincta, defectu cuius, eiusdem ad se ipsum, non est relatio realis, Tertiò est, quòd ex natura rei oriatur respectus inter vtrumq; posito fundamento, ex defectu cuius, licèt Deus, & creaturæ sint entia realia, & realitèr distincta, non est relatio realis Dei ad creaturas, quia, quocumq; fundamẽto posito, non consurgit in Deo (ex natura) rei respectus ad creaturas, sed omnia hæc requiruntur in æqualitate diuina, Ergò est relatio realis, Probatur Min. quia, diuinæ personæ sunt entiæ realia, & realitèr distincta, & posita vnitate naturæ, super qua fundatur æqualitas, ex natura rei, consurgit in illis, respectus ad inuicem.

Quòd si dicas, Præter hęc requiri ad realitatem relationis, quòd fũdamentum sit realitèr distinctum, & multiplicatum in extremis, quã distinctionem, & multiplicationem, non habet natura in diuinis personis.

Contra hoc est, quòd, si esset vna numero quantitas dimensiua, in diuinis corporibus, esset inter illa relatio realis ęqualitatis, ergò quòd quantitas virtualis (qualis est essentialis perfectio naturæ diuinæ) sit vna numero in diuinis personis, non tollit, quòd æqualitas, quæ est inter illas, sit relatio realis, Consequentia patet à paritate rationis, &

Antece-

Antecedens probatur: quia, illa Hipothesi facta, essent plura quanta simplicitèr, non realitèr inæqualia, Ergò æqualia; Ergò esset inter illa relatio realis æqualitatis.

Quartò, ęqualitas fundatur in vnitate, seruata distinctione extremorum, Ergò quantò extrema inter se distincta habuerint quantitatem magis vnam, tantò magis erunt æqualia, Consequentia patet: quia, si vnitas quantitatis fundat æqualitatem, Maior vnitas, quantitatis Maiorem æqualitatem fundabit, iuxtà illud cõmune proloquiũ, sicut simplicitèr ad simplicitèr, ità &c. sed tres personæ diuinæ sunt extrema inter se distincta, habentq; quantitatem perfectionis maximè vnam, vt potè vnam numero essentialem perfectionem, Ergò sunt maximè æquiuocè, cum Ergò, alia, quorum quantitas non est adeò vna, sint æqualia relatione reali æqualitatis, à fortiori, personæ diuinę habebunt huiusmodi æqualitatem &c.

Quintò, Diuinæ personæ (seclusa quacũq; òperatione intellectus) sunt æquales formalitèr in perfectione essentiali, Ergò talis æqualitas in illis, est relatio realis, Consequentia patet: quia, ens rationis nõ habet esse formalitèr, nisi per operationem intellectus, Antecedens probatur eadem ferè ratione, qua D. Tho. probat suam Conclusionem hic: quia, vbi est quantitas, & vnum non est maius, vel minus, alio, ibi est formalitèr æqualitas, sed, seclusa quacumq; operatione intellectus, in diuinis personis, est quantitas virtualis, scilicèt essentialis perfectio, & vna persona nõ est Maior, vel Minor altera, Ergò seclusa quacumq; operatione intellectus, habent æqualitatem formalitèr in perfectione essentiali.

Sed contra est auth. D. Tho. In hoc dubio supponendum est Conclusionem D. Th. esse certissimã, & de fide, vt patet ex Symbolo Atha. Totæ tres personæ sunt æquales, nihil maius, aut minus &c. de quo Aug. 9. de Trinit. Cap. 1. & lib. 3. contra Maxim. Cap. 10. & Ser. 38. de tempore, Anselmus in Monol. Cap. 13. & in pro sol. Cap. 3. Rich. Vict. de Trin. Cap. 13., Orig. 1. periar. Cap. 2. & 3. & lib. 7. ad Ro. Tertul. 4. Marc. Cap. 25. &c. Quòd vertitur in dubium est, An hæc ęqualitas sit relatio realis. In quo, Scot. in p. d. 31. Quęst. 2. & Quolib. 6. Art. 2. docet, illam esse realem, & D. Thom. hic ad 4. docet, illam esse rationis, quem sequuntur Caiet. Canar. hic Ferrar. 4. contra Gent. Cap. 12. Caprçolus in p. d. 31. Quæst. 1. Art. 1. Durandus, Ricardus, & omnes Interpretes.

Pro cuius expositione supponitur, quòd cũ in creatione, sint tres relati ones, primi generis, fundatę in vnitate, distinctę realitèr, & formalitèr

maliter ex distinctis fundamentis, & terminis, videlicet, æqualitas fundata in vnitate quantitatis, similitudo in vnitate qualitatis, & identitas fūdata in vnitate naturę omnes hæ cōueniēter reperiūtur in diuinis cōmunicātes in fundamētis realiter, & sola ratione distinctæ, quatenus, q̃ fundat, & q̃ terminat eas, diuersimodè consideratur, v.g. cōsiderata natura diuina per modum profunditatis, quæ est quantitas virtualis, vnitas in illa fundat æqualitatem, considerata per modum qualitatis, hoc est secundum rationes attributales, quæ nostro modo intelligendi supponunt diuinam substātiā, vnitas in illa fundat similitudinem, ac tandem considerata per modum substātię dantis esse, vnitas in illa fundat relationem identitatis, se consubstantialitatis, & sicut quantitas, & substantia hoc est, perfectio, attributum, & natura, in Deo sūt idem, & sola ratione, nostris conceptibus distinguūtur, ità relationes æqualitatis, similitudinis, & identitatis, sunt idē realiter, & sola ratione distinguntur, & cum proportionaliter se habeant quoad omnia, quę de relatione ęqualitatis dicimus, de alijs duabus intelligenda sunt. Hoc supposito.

Dico primo, æqualitas, quæ est in diuinis, est relatio rationis. Hæc Conclusio probatur ratione D. Thom. in 1. dist. 31. Quæst. 1. Art. 1., si æqualitas poneret relationem realem in diuinis personis, aut esset realis ex parte essentiæ, in qua conueniunt, aut ex parte relationum, quibus distinguuntur neutrum istorum: Ergo, Probatur Min. quoad primam partem, quia essentia est vna, & eadem numero in diuinis Personis: sed eiusdem ad se ipsum non est relatio realis: Ergò non habet ex parte essentiæ, quòd sit realis; quoad secundā, quia Personæ diuinæ sunt ipsę relationes subsistentes, sed vna relatio non reffertur ad aliam per aliquam relationem realem mediam, alias esset procedere in infinitum: Ergò non habet ex parte diuinarum personarum, quod sit realis. Secundò, Probatur ratione Caiet. in eo genere relationis, in quo fundamenta primariò referuntur, & subiecta secundariò ratione fundamentorum, necesse est fundamentum realiter distingui; quia non tantùm sunt fundamenta, sed primaria extrema relationum; & extrema, secundum omnium sententiam, debent realiter distingui, vt relatio realis; sed ad hoc genus pertinent relationes identitatis, æqualitatis, & similitudinis, Ergò, vt sint relationes reales necesse est fundamenta illarum realiter distingui, & consequenter, cum fundamentum æqualitatis diuinæ, slz. essentialis perfectio, nō habeat huiusmodi distinctionem, nōn est relatio realis, Probatur Min. Nam substantia prima dicitur alteri eadem, quantitas alteri æqualis, qualitas

litas alteri similis &c. Tertio, probatur ratione, quæ colligitur ex D. Tho. supra Quæst.28. Art.4. ad 4. si æqualitas esset relatio realis; sequeretur, quod in Deo essent plures, quam quatuor relationes reales; consequens est erroneum in fide, Ergò æqualitas in Deo, non est relatio realis.

Dices, ęqualitatem quamuis sit relatio realis non ponere in numerum cum alijs quatuor relationibus, eò quod essentialitèr identificatur cum illis. Cótra hoc est, quòd relatio spirationis actiuæ identificatur realitèr cum relationibus Paternitatis, & Filiationis, & tamèn ponitur in numero cum illis, vt hic docet D. Tho. eo quod secundum se sit relatio realis, Ergò si æqualitas secundùm se est relatio realis; ponet in numerum cum alijs, etiam si realitèr illis identificetur.

Dico secundo, secundùm huiusmodi relationem ęqualitatis omnes diuinæ personæ dicuntur, & sunt æquales ad inuicé, si nominalitèr, nõ si verbaliter importetur. Hoc est dicere, quod sicut Spiritus Sãctus, est æqualis Patri, ità Pater, & Filius sunt æquales Spiritui Sancto, & Pater est æqualis Filio: non tamen Pater æquatur Filio, nec Pater, & Filius simul coæquantur Spiritui Sancto, sed è contrà.

Hæc Conclusio, quoad primam partem probatur, Nàm æqualitas est relatio æquiparantiæ, vt docet Arist.5.met. Ergò, est eiusdem denominationis in vtroq; extremo.

Dices consimilitudinem esse relationem realem æquiparantiæ teste Arist. ibidem, & tamen non esse eiusdem denominationis in vtroq: extremo, creatura enim dicitur similis Deo, & Deus non dicitur similis creaturæ, Ergò ex hoc, quòd æqualitas sit relatio æquiparantię, nõ benè infertur, quod sit eiusdem denominationis in vtroq; extremo.

Respondetur, quod ad hoc quod aliqua relatio sit æquiparantiæ; non requiritur, quod in vniuersum vtrumq; extremum subeat eamdẽ denominationem, sed sufficit, quòd hoc habeat, quando vtrumq; extremum denominatur in ordine ad alterum, quod contingit, quando forma, secundùm quàm attenditur talis relatio est eiusdem rationis in vtroq; extremo; licet Ergò, similitudo sit relatio æquiparantiæ; forma tamèn, secundum quàm attenditur huiusmodi similitudo creaturarum ad Deum, non est eiusdem rationis in Deo, & creaturis; & ideò licèt creaturæ, in quibus est hæc forma deficientèr, denominentur in ordine ad Deum, Deus autèm in quo reperitur excèllentissimè, non denominatur in ordine ad creaturas, & consequentèr nón est necesse, quod Deus, & creaturę subeant eamdem denominationem, & forma secundum quam attenditur ęqualitas inter diuinas personas videlicèt

essentialis

essentialis perfectio diuinæ naturæ est eiusdem rationis, in omnibus illis perfectissimè existens, vnde quælibet illarum denominatur in ordine ad alteram, & consequentèr subeunt eamdem denominationem. Ità D.Th. de Verit. Quæst.25.Art.7.ad 11.vbi ait, quòd similitudo, & conformitas, quamuis sint relationes æquiparantiæ, non tamen semper vtrumq; extremum denominatur in ordine ad alterum, sed tunc tantum, quandò forma, secundum quàm attenditur similitudo, & conformitas, eadem ratione in vtroq; extremo existit.

Quoad 2.p. Probatur Cõclusio Nã: per hoc, ꝙ dicitur vnũ adęquari alteri, importatur, quòd accipiat æqualitatem ab illo, cum verbo ex modo significandi verbalitèr, importet actionem, seù passionem, prout est in fieri: sed nec Pater accipit ęqualitatem à Filio, nec Pater, & Filius simul accipiunt illam à Spiritu Sancto, benè autèm Filius accipit à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, æqualitatem secundum naturam diuinam.

Dices, cum Aureolo apud Capræolum in p.dist.19.Quæst.1., quòd coęquari non significat æqualitatem, accipere, sed æqualitatem habere, quod patet ex eo, quòd, si sint duæ lineę æqualis magnitudinis, vna non accipit æqualitatem ab alia, & tamèn propriè dicuntur æquari illi, Ergò cum Pater habeat æqualitatem cum Filio, & Pater, & Filius, cum Spiritu Sancto, licèt etiam ab ipsis non accipiant, poterunt dici illis coæquari.

Respondetur, Nego Antecedens, scilicèt coæquari alteri, sit æqualitatem habere cum illo, sed est actu suscipere quantitatem alterius, vel ad illam accedere; importat namq; hoc verbum ex proprio modo significandi æqualitatem per modum actionis, seu passionis, prout est in fieri. Vndè, quòd in vna linea protenditur, vt accedat ad quantitatem alterius, dicitur ipsi coæquari postquam, autem ad illius quãtitatis terminum peruenerit, iàm non coæquari ei, sed æqualis dicitur similitèr Pater, dicitur æqualis Filio, nõ tamèn coæquari illi, quia non intelligitur, vt tendens ad perfectionem essentialem Filij, sed potiùs ipsi communicans huiusmodi perfectionem, & eadem ratio est de Patre, & Filio, in ordine ad Spiritum Sanctum.

Ad primum Ergò, Respondetur, quòd æqualitas diuinarum personarum, dicitur prima, non quantum ad respectum rationis, quàm importat formaliter, sed quantum ad vnitatem essentiæ, quàm in suo conceptu fundamentalitèr includit, quæ quidem vnitas, est ipsamet essentia diuina indiuisa, in personis, quæ est primum ens &c.

Ad Confirmationẽ sic Respondetur, dicẽdę, quòd æqualitas est, in

Filio

Filio ex vi suæ generationis, quantùm ad vnitatem essentialem, non, quantum ad respectum rationis continentē illam vnitatem, sic suprà Quæst.38 Art.2.diximus, rationem doni competere Spiritui Sancto, ex vi spirationis diuinæ, non quantum ad formalem respectum, quem pro formali dicit ad creaturas, sed, quantum ad entitatem fundamē-talem illius. Secundò, Respondetur, ęqualitatem esse in Filio, ex vi suæ productionis, non tāquam terminum productum, sed, tamquàm quid consequens talem terminum, & productionem ipsius, nullum verò est inconueniens, si ex vi suæ productionis realis, conueniat termino producto aliquid rationis, tamquàm quid consequens productionem ipsius, qualiter ad productionem creaturarum consequitur in Deo relatio dominii, & ad assumptionem humanitatis, consequitur in Verbo relatio vniti.

Ad secundum, respondetur, quòd æqualitas est perfectio simpliciter, non quoad relationem, quam dicit in Deo, nec solùm quoad quātitatem, sed quoad vnitatem essentiæ. Nec replica intendit dicere, quod respectus importatos in æqualitate, vel negatio, quàm dicit æqualitas, dicit perfectionem, inquantum huiusmodi, sed intendit, quod eccellētia, de qua loquitur, attenditur penes quantitatem, vt est tanta in vno, quanta in alio, atq; adeò respectus, vel negatio non est causa perfectionis, sed modus causæ.

Ad Confirmationem, Respondetur, quòd quantitas dimensiua nō fundat æqualitatem ad se ipsam, sed ad aliam eiusdem speciei, atque adeò fundat relationem realem, quatenus verò virtualis in Deo, non fundat æqualitatem ad alias eiusdem spetiei, sed ad se ipsam, cum huiusmodi quantitas, sit indiuisa formalitèr in tribus personis, & quia eiusdem ad se ipsùm non est, nisi relatio rationis, non fundat relationem, nisi rationis.

Ad tertium solutio ibi data, est optima, ad reprob. Canar. hæc censet illi hipothesi facta disputationis gratia, quæ tamèn in se est impossibilis, consurget inter alia corpora relatio realis æqualitatis, Nihilominus tamèn contrarium est certissimum, & ratio est manifesta, quia relationem æqualitatis primò conuenit quantitati, & ratione illius conuenit corpori, ità quod corpus non refertur tali relatione, nisi quatenus quantitas refertur, sed in isto casu, quantitas non potest referri relatione reali æqualitatis, sed dumtaxat rationis, vt potè ad se ipsam, Ergò nec inter illa corpora esset relatio realis æqualitatis, quæ tamèn dicerentur realitèr æqualia, ratione fundamenti realis.

Ad quartum respondetur, quod ad æqualitatem realem, necessaria

est

est vnitas in quantitate vnius quanti supra aliud quantum, tamquam ratio formandi huiusmodi æqualitatem, & prætera requiritur distinctio quantitatum in vtroq; extremo, & quidem, si hæc adsunt, quanto vnitas in quãtitate fuerit muta, tanto erit æqualitas mutua mutuata. Si autèm quantitas habeat tantam vnitatem, quod sit omninò in diuisa in extremis, determinatur ratio realis æqualitatis, & solũ manet formalitèr æqualitas secũdum rationem. Hæc tamen ex eo, quod æqualitas, quæ est in diuinis, non sit relatio realis, desinit esse mutua æqualitas hæc, quàm quælibet reperta in creaturis, etiam si realis sit. Nàm æqualitas in Deo, habet maius fundamentũ, quàm in creaturis, exemplum est in relatione dominij, quod licèt in Deo sit rationis, & creaturis realis, verius tamèn Deus dicitur Dominus, quàm quælibet creatura propter eccellentius fundamentum.

Ad quintum Canar. hic censet, Entia rationis, siuè negationes sint, siuè priuationes, siuè etiam relationes, dummodò non pendeant ab operatione intellectus, tamquàm à ratione fundandi, vt pendẽt secũdę intentiones, existere à parte rei formalissimè, seclusa quacumq; illius operatione, vocari entia rationis, non quia non sint à parte rei, sed quia sint quidam modi, non reale habentes fundamentum in re, quod ratione nostra appræhendi possit, & inter hæc connumerat æqualitatem, quæ est in diuinis, & consequentèr dicit, quod licèt sit relatio rationis, quod tamèn non est secunda intentio, vt formalitèr in Deo seclusa illius operatione, ità, quod seclusa ipsa, possint diuinæ personæ dici formalissimè æquales. Hæc tamèn sententia falsa est: Nàm, si æqualitas secũdum suam rationem formalem, existeret à parte rei haberet existentiam realem, Ergò esset ens reale. Probatur Consequentia, quia essentia, & esse (vt potè actus, & potentia) debet esse in eodem genere.

Quare (hac sententia relecta) respondetur, cum Caiet. & cęteris discipulis D. Tho. communitèr, quod ens rationis formalitèr loquendo qualecumq; illud sit, non habet aliud esse, quàm cognosci, atq; adeò dum non habet esse obiectiuè in intellectu, non habet esse formalitèr, sed fundamẽtalitèr dumtaxat, Quo fit, quod seclusa operatione intellectus, personæ diuinæ non sint æquales formalitèr, sed fundamentalitèr, quod sufficit, vt absolutè dicantur æquales, entia enim rationis pèr suam minimam entitatem, sufficit, quod habeant esse in suis fundamentis ad hoc, quod simplicitèr denominentur, quemadmodum Homo simplicitèr, & absolutè dicitur cęcus, ex eo solùm, quod caret visu, & Paries simplicitèr, & absolutè dicitur visus, ex ęo solùm, quod

potentia

potentia visiua videat illum cęcitas formalitèr, & etiam verũ formalitèr non est, nisi in suis fundamentis, antequam cognoscatur ab intellectu.

Circa id, quod docet D.Th. in sol.ad 4. vnam videlicèt relationem non referri ad aliam, per aliquàm relationem mediam sese ipsa immediatè: quia alias relatio multiplicaretur in infinitum, posset disputari, cùm vna relatio realis, possit super aliam relationem realem fundari, ità quod realitèr referatur media illa, & non per se ipsam immediatè. Hæc tamen disputatio logica, & Met. est. Quare ab illa supersedendo, Pro intelligẽtia veritatis theologicę, quàm hic tradit D.Th. breuiter notandum est, Quod respectus reales sunt in duplici differentia, quidam sunt extincti, & necessarij, Priores tamèn sunt ad proprios terminos correlatiuos secundum se formalitèr consideratos, posteriores verò sunt ad alios terminos, qui simpliciter sũt. ad esse talium relationum, & quando respectus sunt primi generis, vna relatio non refertur ad aliam, nisi se ipsa immediatè, quandò autèm sunt secundi generis referuntur relatione ad inuicem medijs alijs relationibus, Exemplũ sit in Paternitate, quę eo ipso, quod refert Patrem ad Filium, includit intrinsecè, & inseparabilitèr oppositionem cum Filiatione, & distinctionem ab illa, Vndè paternitas, & Filiatio, se ipsis immediatè, & non medijs alijs relationibus opponuntur, & distinguũtur realitèr. At verò respectu vnius Paternitatis ad aliam in ratione similis, non est, ità inclusus in propria ratione Paternitatis cũ vnæ Paternitati, vt sic, accidet, respiciens aliam Paternitatem, vndè duę Paternitates, non se ipsis immediatè relatione reali similitudinis denominentur realitèr similes, & ex hoc non sequitur processus in infinitum, sistendum est enim in illa relatione, quæ suscipit eamdem denominationem, quàm tribuit subiecta V.g. vna Paternitas in ratione &c. Similis media reali relatione similitudinis, refertur ad aliam Paternitatem, sed similitudo istius Paternitatis, non dicitur similis similitudine illius Paternitatis, nisi pro re ipsam immediatè, cum eadem sit demonstratio vtriusq; in ratione similis.

Hinc patet, qualitèr intelligendus sit D. Tho. & quàm vera sit doctrina illius in hac solutione dicentis, quod nec oppositio, neq; ęqualitas, quę reperitur inter diuinas personas, sunt relationes reales medię inter ipsas; oppositio namq; includitur, intrinsecè in coceptu Paternitatis per comparationem ad Filiationem, atq; adeò licèt realis sit, mediare non potest inter ipsas; ęqualitas verò, licèt mediet, vt potè, quę non includitur intimè in tali conceptu, solùm formalitèr non

potest

potest esse relatio realis, propter identitatem fundamenti omninò indiuisi.

ARTICVLVS II.

An Persona procedens, sit coęterna suo Principio, vt Filius Patri.

Conclusio affirmatiua.



HAEC Conclusio est certa secundum fidem, vt patet ex Symb. Athanasij. Personæ coęternæ, & coęquales, & ex Conc. 2. Later. Cap. firmitèr, de S. Trin. & fide Cath. & de Filio sic habetur in Concilio Niceno, & Ephes. vbi habetur, Dicentes erat idest datur tempus verum, aut imaginarium, quandò nō erat Filius, aut non erat antequam fieret, hos tales anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia, & de Spiritu Sancto, quod Patri, & Filio sit coęternus, distinguitur in Conc. Lugd. Cap. Fideli de summa Trin. & fid. Cath. lib. 6. vbi habetur, fatemur, quòd Spiritus Sanctus æternalitèr ex Patre, & Filio procedit, & in Conc. Florent. in litteris S. Vnionis in decret. de processione Spiritus Sancti, vbi dicitur, Spiritus Sanctus à Patre, & Filio æternalitèr est.



ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum in diuinis Perſonis ſit ordo naturæ.

Concluſio affirmatiua.

DVBITATVR.

An in Diuinis ſit ordo prioris, vel poſterioris ſecundum rem.



IDETVR quod ſic primò auctо.SS.Patrũ Nàm Epiph. quem citat D. Th. in Opuſculo contra errores Græcorum Cap.2. & Nazianzenus, quẽ citat Cap.9. aſſerunt Filium eſſe medium inter Patrem, & Spiritum Sanctum, quem modum loquendi ſeruat Baſil.lib. 3.cont. Eunom.in pr. Sed inter medium, & extrema eſt ordo prioris, & poſterioris ſecundum rem, Ergò &c.

Confirmatur primò, ex eodem Baſilio lib. 1. præcedenti, vbi ait, inter diuinas perſonas eſse priùs, & poſterius, non poſitione noſtra, ſed naturali cõſequtione, Ergò inter illas eſt prius, & poſterius ſecundum naturalem, & realem ordinem, ſi enim eſſet ſolũ ordo rationis, eſſet poſitione noſtra.

Confirmatur ſecundò. Inter cauſam, & cauſatum eſt ordo prioris, & poſterioris ſecundum rem, ſed pater eſt cauſa Filij, Ergò. probatur Minor, primò ex Aug.lib. 83. Quæſt., vbi ait, Quod Pater ſuæ ſempiternæ ſapientię ſempiterna eſt cauſa ſine initio, ſecũdò ex Chriſoſtomo in Epiſtola ad Epheſ. exponens illud ad Heb. Melchiſedech &c. Tertio ex Athanaſio, qui in Nicena Synodo dixiſſe fertur, Quicquid habet Filius habet à Patre, vt cauſatum à cauſa &c.

Secundò. In Trinitate negari non poteſt prima, & ſecunda, & tertia Perſona, non ſolùm numeratæ noſtro intellectu, ſed ex natura rei ſecundum ordinem realem, Ergò inter diuinas perſonas eſt ordo prioris, & poſterioris ſecundum rem, Antecedens patet: Nàm Pater eſt prima perſona, Filius ſecunda, & Spiritus Sanctus tertia, vt alitèr eſſe non poſſit; ſi autèm ſolo noſtro intellectu eſſet prima ſecunda, & tertia

Persona, posset dici prima Persona Spiritus Sanctus, & secunda Pater, & tertia Filius, quia qui numerat, à quauis vnitate potest incipere, in qualibet desinere, Prima Consequentia probatur, Quia ordo est habitudo plurium ad vnũ; Ergò si inter diuinas personas est ordo ex natura rei, ex natura rei est habitudo ad vnũ 1., Ergò est natura rei aliæ sunt posteriores, Ergò est inter illas ordo prioris, & posterioris secundum rem.

Confirmatur. In omni ordine omne primum est prius, secundò, & secundũ posterius primò, & sic de reliquis cũ Ergò; in Trinitate Pater sit prima persona ex natura rei, & Filius secunda, & Spiritus Sanctus tertia, Pater est prior ex natura rei, quàm Filius, & Filius posterior ex natura rei, quàm Pater, Ergò inter diuinas personas est ordo prioris, & posterioris secundum rem.

Tertiò D. Th. 2.2. Quæst.26. Art.1. in corp. Docet, quod ordo includit in se aliquem modum prioris, & posterioris, Ergò ordo realis includit in se modum aliquem prioris, & posterioris secundum rem, sed inter diuinas personas est ordo realis, qualis est ordo naturæ, cum vna realitèr sit ab alia, Ergò est inter illas aliquis modus prioris, & posterioris secundum rem.

Confirmatur primò, licèt non sit aliquod instans, in quo sit subiectum, & non sit passio, V.g. in quo sit rationale, & non sit risibile, inter vnum, & alterum est ordo prioris, & posterioris secundum rem, quia subiectum se habet vt id, à quò est realitèr passio, & passio habet se, vt id quod est realitèr à subiecto, sed Pater in diuinis habet se, vt principium à quo est realitèr Filius, & Filius habet se, vt terminus, qui est realitèr à Patre, Ergò licèt Pater, & Filius sint simul duratione, est inter illos aliquis modus prioris, & posterioris secundum rem.

Confirmatur secundo. Hæc est vera, quia Pater diuinus generat, est filius in diuinis: Ergò, quòd sit filius, præsupponit quod Pater generet prioritate aliqua secundum rem, Antecedens probatur, Filius habet esse realitèr ex vi generationis paternæ: sed nihil aliud importat prædicta propositio, neq;.n. importat verã causalitatẽ, aliàs neq; esset hæc vera, quia hoc est ens, est vnum, cum inter ens, & vnũ nõ possit esse vera causalitas, sicut nec realis distinctio: Ergò. Prima, verò Consequentia patet ex eo, quod hæc dictio, quia ex proprio modo significãdi importat prioritatem in rebus à parte rei, & Consequenter realem.

Quarto, inter diuinas origines est ordo realis prioris, & posterio-

ris,

ris, Ergò, & inter diuinas personas, Consequentia patet, Nàm diuinæ origines non sunt intelligibiles sine personis diuinis, terminantibus illas intrinsecè: Ergò talis ordo reperitur inter diuinas personas, qualis reperitur inter diuinas origines, & Antecedens probatur, quia, quando vna actio producit terminum secundum illam rationem, cui conuenit esse principium actionis subsequentis, inter tales actiones, & prioris, & posterioris est ordo secundum rem; sed origo per intellectum producit in diuinis Verbum secundum eam rationem cui conuenit esse principium originis per voluntatem: Ergò inter tales origines est ordo prioris, & posterioris secundum rem. Minor est certa, quia producit verbum, vt verbum, qua ratione formaliter est productiuum amoris, & Mai. explicatur, cum in duabus calefactionibus, quæ ità se habent, quod calidum productum ex vi vnius est principiũ subsequentis, tùm etiàm in frigefactione, & disgregatione visus, quæ ita se habent, quod ex vi frigefactionis causatur album, quod est causa disgregandi visum.

Confirmatur: quando prior actio terminatur ad principium, cui essentialiter actio sequens inter tales actiones est ordo realis prioris, & posterioris, sed origo ver. diuini subijcit terminat ad principiũ cui essentialitèr subiicitur origo Spiritus Sancti, Ergò inter tales origines est ordo realis prioris, & posterioris. Min. patet, quia terminatur ad filium, filio autèm essentialiter subiicitur productio Spiritus Sancti, Mai. probatur, quia propterea inter actionem causæ vniuersalis, & actionem causæ particularis est ordo realis prioris, & posterioris, quia actio causæ vniuersalis terminatur ad causam particularem per modum præmouentis, cui essentialiter subiicitur actio ipsius; propter quod Arist. huiusmodi causas, & actiones vocat essentialiter subordinatas.

Sed contra est Auth. D. Thomæ. In hoc dubio sunt quatuor sententiæ. Prima est, inter personas inuicem relatas esse prioritatem originis, ità vt Pater sit prior origine Filio, & Pater, & Filius vt Spiritus Sancti spiratores, esse origine priores Spiritu Sancto, ità Scotus in 1. dist. 12. Quæst. 2. & dist. 28. Quæst. 3. quem sequitur Gregorius ibidem, Torres hic, & Vasquez disput. 167. Cap. 2. & de originibus sentit idem disputatione sequenti Cap. 5. sequitur eandem sententiam Suarez disp. 12. suæ met. sect. 1. num. 9. & lib. 4. de Trinit. Cap. 15. idem Scotus in 2. dist. 1. Quæst. 1. admittit in eodem instanti temporis esse multa instantia naturæ, & originis, in quorum vno est Pater, in secundo Filius, in tertio Spiritus Sanctus.

Secunda sententia est, quod inter diuinas personas secundum se nulla est prioritas, etiã secũdũ intellectum, bene autem inter illas cõceptas aliquò veluti partiali conceptu, tunc enim est prioritas secundum intellectum. Ità Caiet.& Torres hic; Nàm si Pater non concipiatur, vt Pater, sed vt hypostasis, & subsistens, sic inquantũ est prius intellectu quàm Filius; Idem debet sentire Pater Vasquez, qui vt ostendimus suprà Quæst.40.Art.2.d.1.con.3.tenet patrem constitui in ratione primæ Personæ pro rationem ingeniti, quando non refertur ad Filium, & ità posse esse priorem illo intellectu.

Tertia est; inter diuinas personas, vt correlatiuas, nullam esse prioritatem, vt inter Patrem, & Filium, vt sic, & inter Patrem, & Filium vt spiratorem, & Spiritum Sanctum, vt sic; & absolutè loquẽdo Pater est prior Filio, vt sic, nostro modo intelligendi etiam fundato in re, & Pater, & Filius vt sic, sunt priores nostro modo intelligendi, quã Spiritus Sanctus, vt sic.

Quarta est, inter diuinas personas nullam dari prioritatem, ità D. Tho. hic, quem sequuntur eius discipuli, & Durandus in 1. dist. 10. Quæst.2. Bonauent. dist.2. Quæst.1.& 2.

Pro Explicatione. Dico primò, in diuinis Personis secundum se est ordo naturæ atq; originis, absq; omni formali prioritate naturæ, vel intellectus.

Hæc Conclusio, pro vtraq; parte est expressa Aug. 3. contra Max. Cap.14. vbi ait: Non genitorem ab eo, quem genuit; sed genitum à genitore mitti oportebat; verùm hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ; non quod alter prior esset altero, sed quod alter esset ab altero.

Ratione verò Articuli probatur sufficienter prima pars Conclusionis, secunda verò pars probatur: quia in diuinis personis solum reperitur essentia, vel relatio: sed nulla persona est prior altera secundum se ratione essentiæ, neq; relationis, Ergò nullo modo. Mai. patet, & minor certa est, Nàm essentia est omnino eadem in omnibus, Ergò ratione illius vna non est prior altera. Rursus, relationes sunt simul natura, & cognitione, Ergò ratione relationis vna non est prior altera.

Secundo, quia aliàs Persona, quæ esset posterior, non esset simpliciter Deus, Consequens est contra fidem, Ergò. Sequela probatur: Nàm Deus est primum ens simpliciter, quo nihil est prius, Ergò si aliqua persona diuina est aliquo modo posterior non est simpliciter, & omnibus modis primum ens, & per Consequens neq; Deus.

Dixi

Dixi in Conclusione (Absq; omni prioritate formali) Nàm nullũ reputo inconueniens, dicere, quod in diuinis personis sit virtualis, & eminens prioritas,; sicuti enim distinctio rationis formalis non reperitur in Deo formaliter, sed virtualitèr, & hoc magis arguit infinitatẽ in Deo, quàm imperfectionem, ita sentio in Deo posse reperiri prioritatem virtualitèr, & eminenter, quia perfectiones, & personæ diuinæ ità se habent, quod si in eis posset esse vna prior alia, ibi reperiatur sufficiens fundamentum ad talem prioritatem, qua ratione, & natura est virtualiter prior diuinis attributis, & persona generans potest dici virtualitèr prior altera. Nec arguit hoc in loco imperfectionem, sed infinitatem &c.

Dico secundò, in diuinis Personis secundum se, & completis, consideratis etiàm secundum rationem, qua formalitèr non sunt relatiuè oppositæ, nulla datur Prioritas formalis, & simplicitèr dicta v. g. Pater, vt Pater, & Filius vt Filius, non sunt priores, quàm Spiritus Sanctus, vt Spiritus Sanctus.

Probatur. Nàm ità docet expresse D.Th. in 1. dist. 12. Quæst. 1. in arg. 2. sed contra, & patet eius ratione ibidem: quia secundum Aug. nullus est ordo in Diuinis, nisi naturæ, quo scilicèt aliquis est ex alio, non quo est prior altero: & ideò nullo modo potest aliquid altero prius dici, & tamen si, vt vult Molina, Pater vt Pater, & Filius vt Filius essent aliquo modo priores Spiritu Sancto, sequeretur necessario ibi ordinem esse, quo vnum esset prior altero, non quo esset ex altero; quia Spiritus Sanctus, non est ex Patre, & Filio, vt sunt Pater, & Filius, sed vt sunt spiratores, quia vt sunt Pater, & Filius tantum se mutuo respiciunt, non Spiritum Sanctum.

Secundò, Spiratio actiua in Patre non est posterior filiatione, & est simul cum Spiritu Sancto omni modo simultatis, Ergò non est aliquo modo posterior Spiritus Sanctus Filio, vt sic, & idem erit de Patre. Mai. patet, Nàm nihil habet Filius, quod sit prius eo, quod habet Pater, nec Pater aliquid habet, quod sit posterius eo, quòd habet Filius, Nàm quidquid habet Filius habet à Patre, & Pater nihil habet à Filio, Ergò cum Pater habeat spirationem actiuam, illa non debet esse posterior filiatione, aliàs Pater haberet aliquid posterius, quàm id quod habet Filius, & expectaret eius generationem, vt haberet omnem eius proprietatem, & virtutem post productionem illius. Minor verò manifesta est, quia sunt correllatiua, & ideò simul natura, & cognitione.

Consequentia verò patet, quia eadem est virtus, & spiratio in Pa-

tre,& Filio,& ideo si illa virtus non est posterior Filio,Spiritus Sãctus, qui est omnibus modis simul cum illa, nullo modo est posterior Filio.

Tertio: quia si nos concipimus Patrem, & Filium conceptu perfecto,qui per fidem,& Theologiam potest haberi de illis,non intelligeremus eos vt Patrem,& Filium,nisi vt spiratores; Ergò non intelligeremus eos,vt Patrem,& Filium priores Spiritu Sancto,Consequentia patet,quia si intelligeremus eos vt Patrem,& Filium perfectos, & infinitos,intelligeremus eos, cum omni virtute illis non repugnante, & per Consequens cum spiratione , quæ non repugnat illis, & ità si ratio spirationis includitur in ratione perfecta Patris, & Filii, vt habent perfectam rationem Patris,& Filii,non sunt priores Spiritu Sancto.

Dico tertiò,inter processiones ipsas secundum se, & conceptu perfecto consideratas,conceptu, qui per fidem haberi potest,nulla datur prioritas naturæ,vel intellectus.

Hæc est D.Tho.in 1.d.12.Quæst.1.Art.1.& probatur: quia Filius, vt sic,non est prior Spiritu Sancto, vt patet ex 2. Conclusione, Ergò neq; generatio est prior processione &c.Consequentia probatur: quia idem ordo seruatur inter terminos,& processiones,cum terminus non possit esse prior processione, neq; in diuinis aliquo modo posterior processione diuina.

Secundo,Spiratio actiua in Patre, non est posterior generatione, Ergò neque passiua. Antecedens probatur, quia Pater per generationem,illam communicat Filio: Ergò intelligitur tunc habere illam,non enim potest intelligi,quod communicet id quod non habet. Consequentia verò probatur,quia simul natura, & intellectu spiratio actiua,& passiua sunt sicut cætera correlatiua.

Dico quartò,licèt possit inter duas personas admitti prioritas cum addito,vel prioritas originis; cautius tamen loquimur non admittẽdo talem prioritatem.

Primã Par.Conclus. negat Durandus in 1.d.12. Quæst.1.n.15. sed admittunt illam Scotus,& Caiet.hic,cum alijs recentioribus. Probatur: quia prioritas ista originis, non est prioritas sempiternitatis, quã Aug.& D.Tho.negant inter duas personas,sed solum significat vnam personam esse ab alia: sed hoc verè reperitur in diuinis personis; Ergò.

Sed arguit Durandus: quia personæ constitutæ per relationes producentis,& producti,nullam habent prioritatem originis; sed perso-

næ

næ diuinæ ita constituuntur, vt supponitur. Ergò, Mai. probatur: quia nulla origo actiuè sumpta, potuit, re, vel intellectu præcedere originē passiuè acceptam; aliàs in illo priori posset intelligi aliquis producēs, quod nihil produceret, quod tamèn est impossibile, Ergò persona constituta per originem actiuè accepta, quæ est relatio producentis; nullam habet prioritatem originis personæ constitutæ per relationē producti, vel originem passiuam.

Respondetur. Nego Mai. Ad probationem nego Consequentiam: Nàm prioritas originis non postulat aliquam antecessionem, re, vel intellectu, sed simultatem omnimodam, cum hoc quod vna oriatur ab altera, & ideò, cum hoc reperiatur in Diuinis Personis sine aliqua antecessione, vel dependentia, ibi potest reperiri prioritas originis.

Secunda pars Conclusionis est Dur. & Caiet. & aliorum, & maximè consonat cum doctrina Aug. vbi suprà, dicentis, quod licèt vna persona sit ab alia, non tamèn est prior altera: Consonat cum D.Th. dicente, inter diuinas personas esse ordinem naturæ, absq; aliqua prioritate, & suprà Quæst. 33. Art. 1. ad 3. vbi ait, nomen principium imponi à prioritate, non tamèn significare aliquam prioritatem in diuinis.

Secundò: Quia ratio prioritatis secundum suam formalem rationē dicit imperfectionem in re posteriori; vnde quæcumq; prioritas debet includere imperfectionem, & per Consequens non conuenire rebus diuinis, Patet hoc: Nā illud dicit prius, quod est, vel nō potest intelligi sine altero, sed in diuinis vna persona non potest esse, neq; intelligi sine altera, Ergò.

Ad primum Ergò. Resp. Sanctos illos PP. non loqui de prioritate formali, sed virtuali, & eminenti: vel secundò resp. non loqui de prioritate simplicitèr, sed vt significat ordinem personarum ad inuicem, ea scilicèt ratione, qua secunda est à prima, & tertia à prima, & secūda, quod non arguit vnam personam esse priorem altera, sed habere inter se ordinem originis, quod potest haberi sine prioritate, per hoc solùm, quod vna sit ab altera, vel etiā à duabus, etiam si ipsæ tres personæ sint omnibus modis simul.

Per hoc patet ad secundam confirmationē, & quādo Basilius addit non positione nostra, sed naturali consequutione, solùm intendit numerationem primæ personæ, & tertiæ, non esse voluntariam, sed fundatam in ordine naturæ, vel originis, & ideò non possumus dicere personam Filij, & Spiritus Sancti esse primam.

Ad secundā Cōfir. Resp. Sāctos illos PP. vti nomine causæ pro principio, est enim Pater diuinus principium Filij, & vterquè est, idest principium Spiritus Sancti, non tamèn causa &c.

Ad secundum Argumentum, Nego Consequentiam, ad probationem dicitur, quod ordo secundum rationem genericam dicit habitudinem plurium ad vnum primum cęterum in diuinis non reperitur ordo secundum istam rationem genericam, sed secundum specificam rationem, quatenus est habitudo plurium ad vnum principiū. Dictū autèm est suprà ex D. Th. Quæst. 33, Art. 1. ad 3. quod in diuinis reperitur principium sine prioritate.

Secundò resp. distinguendo Consequens, est ordo prioris, & posterioris formalitèr, nego Consequentiam; virtualitèr Concedo Consequentiam, & hoc sufficit ad rationem ordinis.

Ad Confirmationem Respondetur eisdem modis, primò distinguo Antecedens. Vbi est ordo secundum rationem genericam, transeat Antecedens, vbi est ordo secundū rationem specificam tantùm, Nego Antecedens, & sic est in diuinis. Secundò respondetur omne primum est prius secundò formalitèr, nego Antecedens, virtualitèr, vel eminentèr, Concedo Antecedens, & talis prioritas reperitur in diuinis.

Ad tertium Resp. eodem modo, quod S. Th. loquitur de ordine secundum rationem genericā, nō tamèn secūdum rationem specificam, quo modo tamèn reperitur in diuinis. Vel loquitùr de priori, vel posteriori formalr̄, vel virtualitèr, & prioritas virtualis concessa est in diuinis.

Ad primam Confir. Nego Consequentiam: quia imperfectio prioritatis non repugnat subiecto respectu suæ passionis, quia dicūt diuersas essentias, quarum vna sit causa alterius: Repugnat autèm vni personæ diuinæ respectu alterius, quia vt ostensum est dicunt vnam essētiam, & relationes ad inuicem relatas, inter quas non potest esse prioritas, nisi solùm virtualis.

Ad Confir. 2. distinguo Consequens, Prioritate aliqua formali, nego Consequentiam: virtuali transeat, & hoc sufficit ad veritatem illius causalis, sicuti sufficit ad veritatem illius propositionis. Quia Deus est immutabilis est æternus, vbi sicuti non est, nisi veluti causalitas virtualis, ità non nisi consimilis prioritas.

Ad quartum, nego Antecedens, & ad probationem distinguo Antecedens; Quādo illa actio est prior termino, & terminus est principiū alterius actionis cum aliqua prioritate respectu illius, vt contingit in

exemplis

exemplis ibi adductis, Concedo Antecedens: Quãdo verò illa actio nõ est prior termino, neq; terminus, licèt sit principium alterius est prior illa, vt contingit in generatione respectu Filij, & Filio respectu spirationis, Nego Antecedens.

Ad Confir. distinguo Antecedens eodem modo. Quãdo prior actio terminatur ad principium, cui, vt priori subijcitur sequens actio, trãseat Maior, & hoc patet Argumento, quo illa probatur, si verò non subijciatur illi, vt priori, Nego Maiorem. Dictum est autèm, spirationem non elici à Filio, vt à priori, sed vt à principio absquè prioritate.

ARTICVLVS IV.

An Filius sit æqualis Patri secundum magnitudinem.

Conclusio affirmatiua.

DVBITATVR.

An Doctrina huius Articuli sit vera.



IDETVR quod non, primò Arguitur contra Conclusionem: Nàm Concilium Sardicense in Epistola in qua explicatur fides Trinitatis, & in Florent. sess. 25. Athan. Oratione 2. contra Arianos, & multi alij dicunt Patrem esse maiorem Filio, Ergò.

Confirmatur auctoritate Apostolorum lib. 2. Const. Apostolicarum Cap. 19. vbi asseritur Filium fuisse ministrũ Patris, sed ratio Ministerij destruit æqualitatem, Ergò.

Secundò Arguitur contra id, quod dicit D. Th. ad vltimum, quod æqualitas in diuinis attenditur secundum perfectionem naturæ, eo quod secundum distinctionem relationum non sumitur inæqualitas, vel distinctio: Contra: Nàm D. Th. suprà Quæst. 36. Art. 3. ad secundum

ctum docet, quod Pater, & Filius æqualitèr producunt Spiritum Sanctum.

Confirmatur: Nàm relationes diuinæ sunt veluti specie differentes, propter quod diximus suprà Quæst. 32. illas species relationum multiplicari, sed, vt colligitur ex 8. met. omnes species diuersæ entis sunt inæquales in perfectione, Ergò.

Confirmatur secundò: Nàm si relationes diuinæ dicunt perfectionem, vt habet opinio probabilis, implicat quod non sint æquales: Nàm omnia entia, quantitatis virtute, sunt inter se æqualia, vel inæqualia.

In oppositum est authoritas D. Thomæ. In hoc dubio sunt duæ sententiæ.

Prima est Arrij, qui, Teste Athanasio Oratione secunda contra Arrium, docuit Verbum, idest, Filium, quia fuit creatura, non fuisse ab æterno Patri æqualem secundum essentiam, vel essentias, quia fuit tempus, quando non erat. Idem docuere alij multi Hæretici.

Secunda est Clitouei, qui suprà 1. Damasc. de fide Cap. 11. ait, In Patre ratione proprietatis personalis esse maiorem excellentiã, quàm sit in alijs personis. Nihilominùs

Dico primò. Pater, & Filius ab æterno sunt æquales in essentia, & magnitudine.

Probatur primò, ex testimonio, quod adduxit D. Thom. ex ad Philip. 2. Non rapinam arbitratus, esse se æqualem Deo.

Confirmatur ex Concilio Tolet. 6. in Confess. Fidei, & ex Athan. in Symb. Omnes (inquit) personæ coæternæ sibi sunt, & coęquales.

Secundò Confirmatur ratione: Nàm Filius est perfectus Deus, habens omnia, quæ habet Pater, vt patet ex illo Io. 14. Omnia quæ habet Pater mea sunt, Ergò Pater non habet aliquam maiorem perfectionem, quàm Filius, Consequentia patet, Quia aliàs Filius nõ haberet illam, & ità non haberet omnia, quæ Pater, & contra intelligeretur aliquid Maius illo, & sic non esset Deus, & summum ens.

Dico secundò. Filius non est inæqualis Patri secundum proprietatem personalem.

Hæc Conclusio patet ex dictis suprà Quæst. 28. Art. 2. dub. 4. Vbi ostendimus diuinas relationes dicere quidem perfectionẽm, sed omnes illas esse vnam, & eamdem perfectionem, & per Consequens ratione illarũ nullam inæqualitatem in diuinis personis esse posse.

Vtrum ratione diuinarum relationum, sit æqualitas inter personas diuinas, alia quæstio est pendens ex prædicta decisione D. 4. Nàm: qui

tenent


tenent relationes diuinas dicere relatiuas perfectiones, dicunt ratione illarum personas diuinas habere æqualitatem, ità Suarez lib.3. de Trinit. Cap.10. num.11. & lib.4. Cap.15. num.9. Nos verò, qui docuimus illas ratione sui, AD, non dicere aliquam perfectionem, contra ibi docuimus ratione ipsius, AD, non esse æquales, quia ęqualitas perfectionem requirit in vtroq; extremo, in eo in quo est æqualitas: sed relatio ratione, AD, non dicit perfectionem: Ergò ratione illius nulla potest personis diuinis, aut ipsis relationibus æqualitas conuenire.

Ad primum Respondeo, Sãctos illos PP. solùm velle Patrẽ esse maiorem Filio, idest principium Filij, ità explicant Basilius, & Athanasius, Hilarius, & alij; Pater Maior mè est, idest principium mei.

Ad Confirmationem, Respondeo, Constitutionem Apostolorum solùm velle, Filium habere virtutem creandi, communicatam à Patre, Patrem verò habere illam à se: non verò quod habeat illam, vt Minister, aut aliquo modo Minor.

Ad secundum Respondetur, quod virtus spiratiua significat essentiam absolutam nõ excludẽtẽ relationẽ; & similiter relatio includit essentiam, vt diximus Quæst.28. Art. 2. & ratione essentiæ inclusæ in virtute spiratiua ait D.Th. esse æquales Patrem, & Filium, non ratione relationis, vt dicit AD.

Ad Confirmationem, distinguo Minorem, omnes species entis sunt inæquales in perfectione, si ratione sui specificatiui dicant perfectionẽ transeat Mi. secus verò, si non dicant illam. Relationes verò ratione, AD, non eam important, per hoc patet ad aliam Confirmationem.



ARTI-

ARTICVLVS V.

An Filius, ſit in Patre, & è conuerſo?

Concluſio.

Pater eſt in Filio, & è conuerſo ſecundum eſſentiam, relationem, & originem.

DVBITATVR.

An doctrina huius Articuli ſit vera.



IDETVR, quod non, & arguitur contrà Concluſionem. Nàm eodem modo dicitur in Sacra Scriptura, nos eſſe in Deo, & Deum eſſe in nobis ſicuti dicitur, Patrem eſſe in Filio, & è conuerſo: ſed per hoc, quod dicitur Deum eſſe in nobis, & è contrà, non ſignificatur aliqua realis in exiſtentia noſtri in Deo, & è conuerſo, niſi ſolùm per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, vel gratiam: Ergò idem erit reſpectu diuinarum perſonarum, Mai. patet, Nàm Io. 14. dicitur, Ego in Patre, & Pater in me eſt, & eodem capite dicitur, in illa die cognoſcetis, quia Ego in Patre, & Pater in me, & vos in me, & Ego in vobis.

Confirmatur: quia Act. 17. dicitur, quod in ipſo viuimus, mouemur, & ſumus, & 1. Io. 4. qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo: ſed per hoc, quod dicitur nos eſſe in Deo, vel Deum in nobis, nõ ſignificatur vnitas eſſentiæ noſtræ, & diuinæ: Ergò neque per hoc, quòd dicatur Patrem eſſe in Filio, & è conuerſo, id ſignificabitur.

Secundò: Nàm, ſi ratio, qua D. Th. probat primam, & ſecundam partem Concluſionis eſt bona, ſequitur Paternitatem eſſe in Filio, imò in filiatione: Conſequens eſt falſum, Ergò. Min. propoſitio patet: quia D. Th. hic Articulo 4. ad 2. negat Filium habere Paternitatem, quòd eſt, Paternitatem non eſſe, Nàm in Filio eſt, quidquid Filius habet,

pro

pro 2.etiã patet: quia proprietas teste D.Th.in 1.dist.33.Quæ.1. Art. 3.est in aliquo,vel vt in essentia,vel in supposito; sed Paternitas non est in filiatione,vt in essentia,quia distinguitur realitèr ab illa, nequè vt in supposito; imò numerando modos essendi, quos ponit Arist.4. Phys.tex.23.nullo illorum Paternitas est in Filiatione, Ergò, Sequela verò patet pro 1.parte, ideò sentit D.Tho.Patrem esse in Filio, quia Pater est sua essentia,& sua essentia est in Filio, sed etiam Paternitas est essentia diuina,quia in diuinis abstractum identificatur, cum cõcreto,& prędicatur de illo, & essentia est in Filio,imò filiatione,quia filiatio intrinsecè includit essentiam,vt diximus Quæst.28.Art.2. Ergò Pro 2. etiã parte patet eadẽ Sequela; Nã etiã Paternitas, & Filiatio opponuntur relatiuè,& vnum est de intellectu alterius: Ergò vna erit in altera; sed eadem ratione pater est in Filio ratione relationis, Ergò.

Tertiò: quia alias vna persona secundum se totam esset in alia secundum se tota: Consequens est falsum, Ergò.Sequela patet: Nàm in persona nihil aliud est,nisi essentia,relatio, & origo: sed secundum hæc omnia vna persona est in alia: Ergò.Minor verò probatur: quia implicat eamdem rem secundum se totam ab alia, & secundum se totam esse id; à quo est alia in eodem genere causæ, vel principij, alias esset secundum idem,& in eodem genere causæ, causa, & effectus ex ijsdem: Ergò implicat eamdem rem secundum se totam esse in alia, & in quo est alia eodem modo essendi: Probo Consequentiam, quia etiã sunt diuersæ,& oppositæ habitudines, esse in alio, & esse id in quo aliud, eodem genere essendi: Ergò si propter oppositionem nihil secundum se totum potest esse ab alio,& id,à quo aliud, non poterit esse in alio, & id in quo aliud.

Vltimo. Nàm si vna persona est in alia ratione originis, sequitur continentiam actiuam, & passiuam earum ratione originis esse relationes reales: consequens est falsum; Nàm alias darentur in diuinis istæ relationes reales continentiæ actiuæ, & passiuæ, & sic essent ibi plures,quàm quatuor relationes: Ergò.Sequela probatur: ideò relationes producentis,& producti sunt reales, quia sunt inter res realiter distinctas,& ex natura rei ad inuicem ordinatas, & quia habent supposita distincta: sed idem contingit respectu continentiæ actiuæ, & passiuæ Ergo. Et alia multa argum. vide in Caiet. hic, & Capræolo in 1.dist.19.Quæst.1.

Sed contrà est auth.D.Thomæ. In hoc dubio omissis variis sententijs,quæ videri possunt in Commentatoribus D.Thomæ.

Dico

Dico primò, de fide est, vnam Personam Diuinam esse in alia.

Probatur primo: quia Io. 1. dicitur, in Principio erat Verbum, id est in Patre erat Verbum. Ità Origenes to. 1. in Io. & Aug. 6. de Trinit. Cap. 2. Cyrillus 1. in Io. cap. 1. & 2. Itē eodem cap. dicitur Vnigenitus, qui est in sinu patris, idest in mente, vel essentia Patris, ipse enarrauit nobis. Ità Cirill. lib. 1. in Io. Cap. 10. & 22.

Secundò: quia in quacumquè persona est tota essentia: Ergò erunt omnes aliæ personæ, & relationes. Patet Consequentia, quia, vt ostendimus Quæst. 28. Art. 2. Relationes clauduntur in ipsa ratione essentiæ, & sine ea esse non possunt. Vndè in quacumquè est essentia, erunt ceteræ personæ, & relationes, non relatiuè, & constitutiuè, sed terminatiuè, & in ratione entis, & perfectionis.

Dico secundò, tota vna Persona est in tota alia.

Hæc Conclusio videtur certa in doctrina PP. docet illam Cyrillus 3. Thes. Cap. 1. August. de fide ad Pet. Cap. 1. Ambrosius in hymno laudum feriæ 2. vbi ait, in patre totum Filium, et totum in verbo patrem.

Secundo probatur ratione; nihil est in vna persona, quod non in alia, & in quolibet alterius: Ergò. Consequentia patet, Nam hoc est vnam personam secundum se totam esse in alia tota. Antecedens probatur; Nàm in persona essentia est, & relatio: certum est autem essentiam vnius esse in essentia alterius per identitatem, & relationem illius, quia vt dictum est, relatio illa includit essentiam, in qua intrinsecè includitur relatio. Rursus & relatio vnius personæ, ratione modo dicta, est in essentia alterius, & est in relatione, & quia includitur in eius conceptu, vt statim dicetur: Ergò &c.

Dico tertiò, licèt distinctio relationum, & originum sit conditio vt vna Persona, sit realitèr in alia: tamèn, & identitas esseniæ, & relationes, & origines sunt distinctæ rationes sufficientes, quare vna persona sit in alia.

Pro huius declaratione sciendum est, quòd particula, In, dicit distinctionem, & consubstantialitatem, vt habet D. Tho. Io. 1. lect. 1. à medio, vt notant Capræolus vbi suprà; & Ferrara 4. contra Gent. Cap. 9. iuxtà modum distinctionis vnius ab alio, dicitur aliquid esse in alio. Nàm, si distinctio sit realis verè, & realiter vnum dicetur esse in alio secundum rem, & realitèr. Vbi autèm vnum ratione tantùm distinguitur ab alio, dicitur esse in alio secundum rationem; non quod realitas illius non sit verè, & realiter in illo; Nàm essentia, & persona tantùm ratione distinguuntur, & tamèn verè, & realitèr essentia est

in persona, sed non tamquàm res distincta in alia; sed tamquàm in suppòsito sibi omninò identificata. Modo ergo dicimus, quod personæ diuinæ inexistunt sibi inuicèm, tamquàm in rebus realitèr distinctis. Et ità ad hanc inexistentiam requiritur ista conditio, quod sint realitèr distinctæ, vt hic habet Caietanus. Ratio verò existendi realiter, tamquàm in re omni modo distincta, est quælibet illarum trium scilicèt essentia, relatio, & origo.

Hæc Conclusio sic explicata est D. Tho. in Corpore, vbi ait, In Patre, & Filio tria est concedere, scil. essentiam, relationem, & originē; & secundum quodlibet istorum Filius est in Patre, & è conuerso. Et in 1. ad Han. d. 19. Quæst. 3. Art. 2. docet, quod quęlibet istarum rationum sufficit, vt vna persona sit in alia. Et quod secundum quamlibet istarum rationum diuersimodè est in alia.

Secundò, Nàm SS. PP. seorsum vtuntur his rationibus, modo vna, modo altera, tamquam sufficienti talis mutuæ inexistentiæ. Etenim Hilarius 3. de Trin. in principio, Augustin. de fide ad Petrum Cap. 1. & alij, docent Patrem esse in Filio propter essentiæ vnitatem, & identitatem. Damasc. 3. de fide Cap. 6. & Cyrillus 3. Thes. Cap. 1. Chrisostomus Oratione 9. ex his, quę habet in fine quinti Tomi dicunt, quod diuinæ personæ secundum relationes sunt in se ipsis inuicem secundum intellectum, quatenus in vna intelligitur alia, & sine illa intelligi nequit, vt habet D. Th. hic, Consonant etiam, quæ habet Cyrillus quarto in Io. Cap. 42. circa finem dicens, quod, quia mens concipit non esse sine Verbo, neq; Verbum est sine mente; ideò Pater in Filio, & Filius in Patre.

Dico quartò: Ista existentia non est idem, quod præsentia vnius Personæ ad aliam.

Contrarium huius tenet Suarez lib. 4. de Trin. Cap. 16. sed probatur nostra Conclusio. 1. Nàm Io. 1. duo dicuntur: Primum est; IN PRINCIPIO ERAT VERBVM; quo significatur illa inexistentia Filij in Patre, vt dictum est, secundum verò est: VERBVM ERAT APVD DEVM, quo significatur præsentia Verbi ad Patrem, & coniunctio illius cum eo, Ergò præsentia ista, & coniunctio, aliquid distinctum est ab inexistentia.

Secundò, Præsentia vnius personæ ad alias est in omnibus vnius tātum rationis, & secundum esse reale: ista vera inexistentia vnius personæ in alia non est eiusdem rationis in omnibus, neque omnis secundum esse reale, Ergò &c. Mai. patet: Nàm, vt iste auctor, contra quē disputamus, asserit, ista præsentia prouenit ex immensitate, quæ tantum

tum est vnius rationis, & per Consequens non potest fundare diuersas rationes præsentiæ. Min. pro prima parte probatur ex D. Th. in primò d. 19. Quæstione 3. Art. 2. ad primum, & secundum, vbi ait, quod diuersus modus essendi vnius personæ in alia, est, quatenus vna persona est in alia ratione essentiæ, vel quatenus est in alia ratione originis: Nàm ratione essentiæ eodem modo vna est in alia, ratione verò originis, Pater est in Filio, vt principium in eo, quod est à principio; Filius verò, vt terminus actionis immanentis in suo principio.

Tertiò, Præsentia vnius personæ ad aliam nullo modo dicit consubstantialitatē, sed vnā personā, esse in alia ratione essentiæ dicit consubstantialitatem, vt dictum est, ex SS. PP. specialitèr Cyril. 3. Thes. Cap. 1. & 9. In Io. Cap. 40. Ergò. Mai. patet: Nàm præsentia ista vnius personæ ad aliam prouenit, vt vult Suarez, ex immensitate, immensitas autèm non tribuit consubstātialitatem cum Deo eis rebus, quibus facit præsentem esse Deum, vt patet in Creaturis, Ergò &c.

Quid autèm sit ista inexistentia vnius personæ in alia, præter ea, quæ Sācti dicunt, explicari, atq; intelligi ad perfectum nequit, nisi per visionem beatam. Ità ex Hilario ostendit Magister in 1. dist. 19. Cap. 2. & id significauit Christus in illo Ioannis 14. In illa die scil. beatitudinis, cognoscetis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Quare illum modum existendi, vnam personam in alia, solum in beatitudine cognoscere posſemus. Ità Cyrillus lib. 5. in Io. Cap. 47.

Ad primum Ergò Respondeo. Nego Maiorem. Ad probationem Respondeo ex Chrisostomo hom. 13. in Ep. ad Rom. in sacris litteris non esse simpliciter attendendas dictiones: sed proprium esse, cognoscere sensum dicentis, & dictorum differentias. Et ex Conc. Later. cap. damnamus de Sū. Trin. dicente, quod, quæ dicūtur de Deo, & creaturis sub eodem conceptu, non sunt intelligenda eodem modo, sed proportionaliter secundum capacitatem vtriusquè. Vt dicitur Io. 6. Misit me Pater, & ego mitto vos. Et tamen certum est, missionem istam non sumi eodem modo in Filio, & in discipulis, Nàm in discipulis est missio localis, & sine generatione, in Filio verò vt dicit generationē.

His suppositis ad probat. Mai. Respon. quod licèt dictiones sacræ scripturæ in locis adductis videantur insinuare eumdem modum essendi Dei in nobis, & in personis diuinis ad inuicem; tamē sensus dicētis diuersus est. Nàm in primo loco significatur, quod Filius est in Patre per consubstantialitatem: nos verò in Filio per humanitatem, quam asumpsit, quæ est in illo, vel quia protegimur ab illo; filius verò, est in nobis pro mutuam dilectionem. Ità D. Tho. ibi, & Cyrillus 9. lib.

lib.in Io.cap.vlt. Ad illud verò, quod dicitur ex Act. 17. Respondeo præpositionem illam, IN, significare idem, quod Per. Ità quod sit sensus, Nos sumus per Deum, mouemur, & viuimus. Sicut in illo psal. 59. In Deo faciemus virtutem, idest per Deum faciemus virtutem, & 43. In te inimicos nostros ventilabimus cornu; idest per te. Ità Cyrill. 3. Thes. Cap. 1. & Quæst. in Io. Cap. 40.

Ad secundum distinguo, Consequens pro prima parte: esse in Filio constitutiuè relatiuè, Negò Sequelam: esse in Filio terminatiuè, & ratione essentiæ, quàm includit, vt ostendimus suprà Quæst. 28. Art. 2. D. 4. ad 2. concedo Sequelam. Nequè D. Tho. id negat, sed solum, quod sit in Filio relatiuè constituendo ipsum in esse Filij. Eodem modo dicitur ad secundam partem Sequelæ, quod Paternitas est in Filiatione, & secundum intellectum, quatenus vna relatio est de conceptu alterius, & ratione essentiæ, quatenus est idem cum essentia, quæ realiter includitur in Filiatione. Nec D. Tho. numerauit omnes modos, secundum quos proprietas potest esse in aliquo, sed tantùm, vt ibi insinuat, numerat modos, quibus est in aliquo, cum quo identificatur, scilicet cũ essentia, & supposito, non verò cũ relatione opposita, in qua est modis prædictis. Nec Arist. enumerat omnes modos essendi in alio, sed eos ad quos cęteri reducuntur. Et existentiã vnius relationis esse in alia, teste D. Th. in 1. dist. 19. Quæst. 3. Art. 2. ad 1. reducitur admodum, quo principium est in eo, quod est à principio.

Ad tertium, Concedo Sequelam, & Nego Minorem. Ad probationem, Nego Consequentiam. Ad probationem, Nego Antecedens. Pro cuius declaratione nota ex D. Tho. in 1. dist. 19. Quæst. 3. Art. 2. ad 3. quod existentia vnius Personæ in alia, propter vnitatem essentiæ est solùm relatio rationis; existentia autèm propter relationem dicit ipsas relationes Patris, & Filij, quarum quælibet, v. g. paternitas vt est terminus filiationis est in filiatione, vt verò ipsa fertur ad filiationẽ, & filiatio terminat illam, & non potest intelligi sine filiatione, filiatio est in illa. Hoc supposito, ad probat. Consequentię, quia sunt oppositæ habitudines esse in alio, & esse in quo aliud, Nego Antecedens sed solum sunt habitudines, vel rationes, & considerationes eiusdem relationis diuersæ, compossibiles tamen in eodem; Nàm si loquamur de inexistentia ratione essentiæ, Pater est in Filio, quia identificatur essentiæ, quæ est in Filio, & Filius in Patre est, quia est persona, quę in sua constitutione continet essentiam, in qua continetur Filius: non sunt autèm oppositæ, & incomposibiles in eodem istæ habitudines, scilicèt, esse idem cum essentia, & continere essentiam, vel constitui ex

essentia; quia vt ostendimus suprà Quæst. 40. Art. 1. satis est distinctio rationis ad hæc verificanda. Similitèr non sunt incompossibiles habitudines in eadem relatione esse terminum oppositæ, & referri ad illam, vt terminantem, imo necessariò coniunguntur in eadẽ relatione; &, quia vna realiter est in alia, vt terminat illam, & continet aliam, vt refertur ad illam, & non potest intelligi sine illa, ideò istę habitudines essendi in alio, & in quo est aliud, non sunt oppositæ, sicuti sunt oppositæ rationes, esse ab alio, & ei, id à quo est aliud.

Ad vltimum Respondeo, Distinguo Consequens, quod sint relationes realiter distinctæ ab ipsis quatuor, quæ sunt in Deo, Nego Sequelam: esse easdem cum illis, Concedo Consequens.

ARTICVLVS VI.

An Filius sit inæqualis Patri, secundum potentiam.

Conclusio affirmatiua.



IRCA hunc articulum nota quatuor fuisse errores circa ęqualitatem Filii, secundum potentiam Primus fuit eorum, qui dixerunt, filium esse potentiorem Patre, & illius dominum. Ità habetur in quodam libro, qui vocatur cælestis Thesaurus, & refertur ab Origene lib. 8. cõt. Celsum in principio, vbi impugnat talem errorem. Secundus est Arrianorum. Tertius est, q licet sit Deus non est tñ æqualis potentiæ cum Patre. Quartus est eorum, qui Filium faciunt instrumentum Patris. Ità Lutherus in 1. Cap. Genesis.

Sed omnes hi errores impugnantur per rationem Articuli, & expugnat latius Cyrillus lib. 2. in Io. Cap. 135 & damnantur in Cap. firmiter. De summa Trinit. & in Concilio Tolet. 3. in confessio. fidei can. 6. 9. & 11. vbi dicitur, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse æqualis potentiæ. De Spiritu Sancto vide, quæ diximus Quæst. 36. Art. 1.

QVÆSTIO XXXXIII.

DE MISSIONE DIVINARVM PERSONARVM.

Vide quæ dicuntur ab Illustrissimo Caietano, & Magistro Bannes.

Laus Deo, & Beatissime Virgini, & Diuo Thomæ Aquinati.



INDEX RERVM NOTABILIVM.

A

ACTIO.

AMOR.

ATTRIBVTVM.

C

COGNITIO.

COMPOSITIO.

COMPRÆHENSIO.

D

DEVS.

ter

DISTINCTIO.

DONVM.

ENS.

ESSENTIA.

EXISTENTIA.

F.

FILIVS.

Filius,

FORMA.

G
GENERATIO.

H

HYPOSTASIS.

IDEA.

IMAGO.

INDIVIDVVM.

INGENITVM.

INFINITVM.

INTELLIGERE.

INTELLECTIVVM.

M

MISERICORDIA.

MVLTITVDO.

N

NOMEN.

No-

NOTIO.

NVMERVS.

O

OBIECTVM.

ORDO.

OPERATIO.

P

PATER.

PATERNITAS.

Pa-

PERFECTIO.

PERSONA.

Si

POTENTIA.

PRÆDICATVM.

PRINCIPIVM.

PROCESSIO.

PROPOSITIO.

Q

QVANTITAS.

R

RATIO.

RELATIO.

RES.

S

SALOMON.

Subſiſtere

SVBSTANTIA.

T.

TERMINVS.

THEOLOGVS.

INDEX.

TRINITAS.

V

VERBUM.

personarum

VNITAS.

VOLVNTAS.



Errorum

Errorum Correctio.

Paginæ	Lineæ	Errores	Correctiones
3	9	virtutes	veritates
11	26	eſt	eſſe
38	5	quia	qui in
92	6	&	eſſe
45	11	vitali	vitale
52	18	efficaciat	efficacia
59	7	rationem	ratione
	37	iſtæ	iſte
73	14	Cerbi	Verbi
80	16.21.	formalites eminētes	formaliter eminēter
81	29	quæ	quem
88	7	quælibet	quemlibet
	31	apte rei	a parte rei
89	26	ſcilicet	licèt
90	20	quæ	quem
91	15	duo—alias	duas—alia
	24	quæ	quem
92	36	Tertius	tertio
93	28	reprehen	Reſpondent
94	1	intentius	intenſius
96	21	eſt	e
	34	rationes	rationem
99	24	diſtinguentur	diſtinguuntur
100	17	Spiritu Sancti	Spiritus Sancti
101	11.12.	apte rei	a parte rei
102	16	propoſitiònum	proceſſionum
	35	naturæ	natura
103	17	in genere relationes	in genere relationis
104	14	&	eſt
	15	detratam	determinatam
	29	apte rei	a parte rei
105	6	apte rei	a parte rei
	30	quarum	quorum
106	3	dictionem	diſtinctionem
107	11	radicabiliter	radicaliter
109	8	ſua	ſuæ
	19	Confirmatum	Confirmatur
110	7	mutuantur	mutua inter
	27	ipſo	ipſa
111	10	anima	omnia
114	13	dicunt	dicunt
	19	ſimilis	ſimilem
115	37	ratione	ratio enim
117	6	&	de
	13	neceſſaria	neceſſario
119	37	Spiritu	Spiritus

Pagina	Linea	Errores	Correctiones
120	21	rigurosum	rigorosum
	22	proprietates	propositiones
	6	constitutis	consequenti
	38	processiones	processionis
121	19	contigit apte	contingit à parte
132	12	in sententia	in scriptura
135	5	immediatè	mediatè
139	9	&	de
	27	includitus	includitur
142	34	suum duplicetur	sumi dupliciter
147	2.28.31	apte rei	a parte rei
157	12	ratione	rationale
	34	apte	à parte
158	3	&	de
164	19	apte subiecti	a parte subiecti
173	16	apte rei	a parte rei
177	5	præcedens	procedens
184	12	molis	modis
	32	diuesos	diuersos
193	8	actualitatis	actualitas
195	39	essentia	existentia
199	28	infinita	finita
203	27	perfectione	perfectiones
206	40	quantitates	quantas
208	18	rationem	ratione
218	8	non	tantum
221	18	Spiritus	Spiritum
228	4	continenti	Consequenti
231	13	quia sunt	quia non sunt
234	35	videmus	videndus
235	2	personales	personalitates
239	10	per essentia	pro essentia
240	2	ad, a quo	ad id, a quo
249	11	in ea	in eo
259	18	subsistente	subsistere
260	13	significandum	generandum
271	23	ibi identicè	indistinctè
278	9	particulariter	participialiter
282	37	dictionem	distinctionem
289	22	quod	quot
302	40	bagis	vagi
307	12	coloratur	coloratus
	31	ad quam	ad interrogationem
312	26	trinitarij	Trinitatis
322	17	interlineasis	inter linearis
323	38	indictam	inditam

Paginæ	*Lineæ*	*Errores*	*Correctiones*
329	1	notionales	notiones
332	2	notionales	notiones
333	33	raiio	ratione
335	26	paternitatem	paternitate
342	12	ſuperſtite	ſuper exiſtente
344	7	notionem	notionum
348	22	te enarium	temerarium
349	21	primum	primam
351	40	eadem	eandem
354	10	materia	miſericordia
	22	paternitate	a paternitate
355	15	illam	illum
	21	Filiatio	ſpiratio
356	3	ſic	non ſic
	7	erit	erunt
	12	ſpirationi	ſpiratione
	17	rationum	relationum
	8	rationes	relationes
	24	quomodo	probatur
	31	etiam	eſſe
	35	in diffinitio	indiffinitione
357	17	eminentior	eminens
358	29	ſignificat	ſignificans
364	4	conuenict	conuenit
365	7	per	pro
	12	Pſalmus	Pſalmi
367	20	imperfectionem	imperfectiorem in
	28	Spiritus	Spiritu
370	20	mo-	modo
371	11	argumentoſse	argumento ſed
	14	diuentit	diuertit
374	31	dicem⁹ eſſe trinitatis	dicimus æternitatis
376	29	imperfectione	in perfectione
377	24	liberè	libero
380	12	debent enim deum	debet enim Deus
	23. 26.	Conſequentia	communia
	24	dupliciter	diximus
	34	præcedit	procedit
386	6	prædicamento	prædicto
387	27	eſſentiali	eſſentiale
393	x. 11.	generans	genus
394	9	vna tamen	vnitatem
395	18	abſolutiuè-importa	abſoluta-importat
398	18	quia	quam
405	2	mentalis	mentis (dicere
413	17	loco illius	ſed loco illius debet

414

Pagina	*Linea*	*Errores*	*Correctiones*	
414	5	verò	verum	
423	32	adequati	adequari	
428	31.26.	prælentiæ	præſcientiæ	
	33	informabiliter	infallibiliter	
431	17	paſſionis	paſſiones	
437	28	Filius quod	quod Filius	
439	1	debent	dicunt	
440	27	apud	apud te	
441	30	peruenit	prouenit	
445	12	pro	procedit	
447	24	ſententiam	ſententia	
448	2	prin um	primo	
	13	perfectione	perfectionem	
449	17	Patrem	prius	
450	29	cognoſco	cognitio	
452	12	Aug. vult	Aug. quod ad illam	
	26	perferatur	proferat	cogatura-
	38	ſit	ſcit	men non
453	8	&	de	eneruat
	14	infinitiua	infinita	vim teſti
454	1	haberet	habent	monij,
	2	debent	dicunt	qa Aug.
	6	caula exemplare	cauſam exemplarem	
	30	comprahenſiuam	ad comprahenſiuam	
455	4	quorum	quarum	
456	32	debentis	dicentis	
460	34	præ ferente	proferente	
461	5	naturæ	natura	
	6	ordinem	ordine	
462	19	vel	licèt	
463	20	diuinæ creaturis	diſtictione creaturarũ	
464	39	quod dilationem	quo ad latitudinem	
465	12	inſinuant	inſinuat	
466	32	relatione	rationalitas	
467	6	Spiritum	Spiritum Sanctum	
468	21	indiget	indiges non indiget	
	25	habitudinem	habitudine	
472	5	imaginationem	imaginem	
	12	imaginationis	imaginis	
473	6	aſſimulatis	aſſimilatio	
476	14	vt	eſt	
480	31	quantum	quoniam	
481	9	ſufficientur	ſufficienter	
	38	procedente.	procedens	
482	8	pater *dele*		
484	29	reiciat	reſpiciat	

Pagina	linea	Errores	Correctiones
486	24	quæ	quam
491	1	quinto	tertio
	3	decimo	Christo
	5	infirmatiuè	informatiuè
499	16	possunt	potest
	23	debetur	detur
500	5	non esse	non solú esse Spiritú Sanctum
501	3.12.17.25.	sua parte	suapte
504	12	ratione	ratio
	16	sua parte	suapte
506	25	tit	sit
507	25	sinistri	sinistrè
	33	decimo	Christo
508	4	tacti sunt *dele*	
514	4	suppositum	suppositorum
515	4	suppositioni	suppositorum
518	27	debentur	dicuntur
520	10	per essentia	pro essentia
521	1	supposito	suppositio
	39	genitur	genitus
524	28	conflatur	coarctatur
529	9	diuersis	diuinis
531	4	idest	hoc
532	3	hæreticam	hæreticum
540	15	à præd	apud
542	19	distinctiuè	distinctione
544	19	Sibertus tractus	Gilbertus coactus
553	23	constituet	constitui
554	23	compellat	appellat
556	19	non	enim
	30	libet	licèt
557	35.	voluntates	voluntatem
——	vlt.	litteras rei	licèt à parte rei
561	1	constituit	constituitur
568	36	per naturalitatibus	personalitatibus
569	32	quodlibet	quod licèt
577	4	omnino	omnia
	40	non	enim
583	25.26.	distinguuntur	distinguerentur
585	11	identificatur	identificari
587	14	infinitum	finitum
593	18	generare	generari
605	21	compatatur	computatur
607	15	mouentatis	mouentis
613	12.35.	præpositionem	propositionem
	37	propositionem	præpositionem

613

Pagina	*lineæ*	*Errores*	*Correctiones*
613	29	tota	toto
614	33	propoſirio	præpoſitio
620	31	Spiritus Sancti	Spiritus Sanctus
621	22	quo ad ſecundum	quo ad ſecundam
	23	repetitur	reperitur
622	7	notionalis	notionales
623	26	perſonalites	perſonaliter
624	8	paternitati	paternitate
629	15	eſt	eſſe
639	12	quidam ſunt extincti, & neceſſarij.	Quidã ſunt intrinſeci quidã vero extrinſeci. priores vero
	25	immediatè *Adde*	ſed media relatione reali ſimilitudinis
	26	denominetur ex hoc	dicũtur — etiã ex hoc
	28	ſubiecta	ſubiecto
	31	pro	per
	31	demonſtratio	denominatio
642	5	vnum. 1.	vnum primum
	5	eſt natura rei	ex natura rei
643	18	ſequens actio *Adde*	ſubijcitur
	19	ſubijcitur *dele*	
644	8	pro rationem	per rationem
645	10	in loco	In Deo
648	2	Ideſt *dele*	
650	27	Io.14.	Io.17.
652	vlt.	paternitatẽ nõ eſſe *dele*	in illo
656	29	Io.6.	Io.20.
	vlt.	pro mutuam	per mutuam.

Cæteri errores minutiores, & qui propter commata occurrunt, iudicio prudentis Lectoris corrigenda relinquuntur.

REGISTRVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu.

Omnes ſunt Duerniones fol. 88.

TICINI. Apud Io. Baptiſtam Rubeum. 1627.

Superiorum permiſſu.